This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Cat. 154.

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

[illegible]
[illegible]
R. Wolf

AC
14
.L84

JOHANNIS LOMEJERI

ZUTPHANIENSIS

DIERUM GENIALIUM,

SIVE

Lomeier Johannes

DISSERTATIONUM PHILOLOGICARUM

DECAS I.

ADDITUS EST RERUM MEMORABILIUM INDEX.



DAVENTRIÆ,

Apud ALBERTUM FRONTEN, Bibliopolam, Anno 1694.

Greek
Market
12-1-38
22681
2.v.m1

NU

VIRIS CLARISSIMIS

JACOBO PERIZONIO,

Hiſtoriarum, Eloquentiæ, & Græcæ Linguæ in Academia Lugduno-Batava Profeſſori;

THEODORO JANSSONIO

van ALMELO-VEEN, Medic. Doctori, Poliatro apud Goudanos,

JOHANNES LOMEJER S. D.

QUæ imprimis cauſæ ſunt, *Viri Clarſſimi*, quare nomina veſtra his noſtris lucubratiunculis præſcribere voluerim. Prior quidem, ut ſub umbra & umbone illius auctoritatis, quam vobis veſtro merito, ſcriptiſque ac labo-

ribus publice notis, apud omnes bonos, & literarum amantes, comparaſtis, contra malevolorum invidorumque morſus deliteſcerem: atque hoc modo illos vitio creatos Cenſores, quibus carpere aliquid facilius eſt, quam imitari, tanquam objecto Gorgonis capite, procul abigerem: utque vos, inſtar Herculis ἀλεξικάκου, hæc monſtra, ac nebulas a malignis illis tebrionibus excitandas, diſſiparetis. Ut hac ratione labores noſtri qualeſcunque, in aliquam rei literariæ utilitatem exantlati, locum ſuum tuerentur. Non ſecus ac in colendis vitibus agunt ruſtici; hæ enim fulcris indigent & ſuſtentaculis

Viribus eniti quorum, & contemnere ventos
Aſſueſcant, ſummaſque ſequi tabulata per ulmos.

Altera autem eſt amicitia illa, qua me jam dudum eſtis dignati. Cum parente ſuo, p. m. *Clar. Perizoni*, Theologo ὀρθοδοξοτάτῳ, ea mihi jam interceſſerat, quam fatalis & ferrea mortis neceſſitas interrupit. Magnæ autem mihi voluptati fuit, quod eam quaſi poſtliminio mecum renovare, atque excolere volueris. Nec poſſum non ex animo gaudere, ac tibi honores illos, quos Deus O. M. in te, ad ampliſſimos dignitatum gradus, in celeberrimis Belgii noſtri Academiis promotum, contulit gratulari, atque inde optima quæque Ec-

Eccleſiæ & Reip. literariæ ominari.

Tu autem, *Clariſſ. Almeloveeni*, proxeneta Rev. & Cl. Borremanſio, mihi innotuiſti, vel ego potius tibi. Ille quidem ad ſuperos abiit: nobis autem quaſi hæreditariam illam amicitiam reliquit, quam exinde tum literis, tum coram ſuaviſſimis colloquiis ita coluimus & confirmavimus, ut tui, & doctiſſimarum tuarum confabulationum apud me deſiderium, & immortalis maneat memoria. Tuum præterea de me judicium atque exiſtimationem, tum in aliis ſcriptis tuis doctiſſimis, tum honorifica dedicatione *Bibliothecæ promiſſæ ac latentis*, publice teſtari voluiſti.

Ac-

Accipite igitur, Viri Clariſſimi, eo, quo offertur animo, tenue hoc munuſculum, meque jam ſeneſcentem, & ἐπιθυμίαν ἔχοντα εἰς τὸ ἀναλῦσαι, porro amare, ac Deo O. M. precibus veſtris commendate. Valete. Scripſi Zutphaniæ Gelrorum, ipſis Kalendis Decembris, A. C. CIↃ IↃC XIII.

L E-

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

SI Dies hi Geniales Genio tuo placeant, eos etiam Genium aliquem habere, adeoque victuros auguror. quod ſi animadvertam, idem Genius qui hos genuit aliam dierum genialium decadem adjiciet, quæ fortaſſe Genio tuo allubeſcat magis. Ego interim Genium meum non defraudabo, ſed illi, geniales dies agendo & ſcribendo, indulgebo. Tibi autem ut genialiter, ſed tamen & frugaliter vivas, valeas precor.

Martialis, lib. 6. epigr. 60.

Neſcio quid plus eſt, quod donat ſecula chartis,
Victurus Genium debet habere liber.

Plurimum Reverendo, Clariſſi-
mo, & in omni politiore litera-
tura doctisſimo viro,

D. JOHANNI LOMEJERO,

Paſtori & Profeſſori Zutphanienſi
dignisſimo, ſuoque in Profesſionis mu-
nere collegæ honorando, ſuos
DIES GENIALES edenti;

LOMEIERE, tuam te vitam egiſ-
ſe pudendis
Pigritiæ in luſtris, bis duo ſcripta
negant.
1. Dicit Amaltheon te vivum, ac arte
politum:
Eſſeque Ἀμαλθείας, BIBLIO-
THECA, κέρας.
2. Gentilis VETERUM LUSTRA-
TIO fecit, ut omni
Illuſtraretur nomen in orbe tuum.
Nempe oculis *Veterum* Te *colluſtraſ-
ſe* libellos,
Perluſtraſſe animo, pagina quæ-
que refert.
3. In ſextum & decimum caput OB-
SER-

SERVATIO Lucæ,
Ἀδζαρον illuſtrans, *divite* cum Ty-
pico,
Te ſimul *illuſtrat*, nomen, cum *di-
vite mente*,
Divite doctrinis, notitiaque ſa-
cra.

4. LOMEIERE, DIES GENIALES
denique ſignant
Ingenitum ingenium, cum *genio in-
genuo.*
Scripta Profeſſorem commonſtrant
ſingula dignum
Laude, ac ætatem vivere Ne-
ſtoream.

L. M. Q.

JOHANNES FLENDERUS,
Profeſſor & Rector
Zutphanienſis.

Aliud

ALIUD EJUSDEM.

SCripſit *Alexander* GENIALES, non *Magnus* ille,
Verum *ab Alexandro*, Napolitanus erat:
His peperit clarum ſibi nomen ab *arte* DIEBUS,
Ut *Magno* parta eſt gloria *Martis* ope.
Docta *Lomejeri* GENIALES *Muſa* nitentes
Lumine diffuſo protulit, ecce DIES.
Queîs ita jam partum ſibi nomen ab *arte* tuetur,
Non ut *Alexandro* cedat in *arte*: *ſat eſt!*

ALIUD.

L*Omejere*, tuos quoties perpendo labores,
Quos vigil exantlas arte, fideque tua:
Continuo noſtram ſubit admiratio mentem,

Unum

Unum tot Geniis ſufficere ingenium.

Scrinia tu reſeras perdocti pectoris, inde
Eruis æterna ſcripta linenda cedro.
Perplexa ambiguæ mentis penetralia pandis,
Cum malus inſigni vindice nodus eget.
Romano Grajum permiſces, ſacra profanis,
Et tua mirandum bibliotheca parat.
Illuſtrat tua docta decas incognita nobis,
Et tenebras clara pellis ubique face.
Nulla dies genialis abit, quin talia luſtras,
Qualia venturo ſunt mihi grata die.

Bernhardus Pleger,
J. U. D.

IN-

INDEX DISSERTATIONUM.

I.

De veterum Scytharum Philoſophia. Pag. 1

II.

De iv. Monarchiis. 62

III.

De Harpocrate. 114

IV.

De variantibus lectionibus in Novo Teſtamento. 174

V.

Conciliatio Euangeliſtarum, Marci cap. xv. b. 25. Johannis cap. xix. v. 14. 193

VI.

De Terentiis. 244

VII.

VII.

De Loco Matthæi, cap. v. verſ. 13. 267

VIII.

De ſeptem Græciæ ſapientibus. 275

IX.

De variis precationum generibus, ex Philipp. cap. iv. v. 6. & 1. Tim. c. 11. v. 1. 312

X.

De oſculis. 328

FINIS.

JOHANNIS LOMEJERI
DIERUM GENIALIUM
Decas prima.

DISSERTATIO PRIMA.

De veterum Scytharum philoſophia.

Scytharum inhumanitas in veſtitu, victu, vultu, ἀνθρωποθυσία: Eorum ſapientes: Prometheus, Deucalion, Zamolxis, Zeutas, Abaris, Diceneus, Comoſicus, Orpheus, Anacharſis, Bion, Heraclides, Cotys, Toxaris, Amaloſuntha, Pliſti. Scythici nominis Latitudo. Dii Scytharum: Mars, Apollo, Dia-

na, Ceres, Neptunus, Saturnus, Bachus. Gentes ſapientiores ſuperſtitioni magis deditæ. quid ſenſerint Scythæ de animæ immortalitate, de rerum principiis, ventis aliisque ad rerum naturam pertinentibus, de divinatione, de Muſica, de ſummo hominis bono. quæ eorum prudentia, fortitudo, temperantia, juſtitia, οἰκονομικὴ, *conjugia, Politia & leges, eloquentia. De Scythiſmo error Epiphanii. quæ Scythis de morum feritate, ebrietate, &c. exprobrantur, diluuntur.*

SCythæ inter barbaros barbariſſimi ab omni ævo habiti ſunt. Paulus in epiſtola ad Coloſſ. cap. 3. v. 11. barbaris illos ſubjungit. Joſephus, lib 2. contra Apionem, σκύθαι, inquit, φόνοις χαίροντες, καὶ βραχὺ τῶν θηρίων διαφέροντες. *Scythæ cædibus gaudentes; & paululum a beſtiis differen-*

ferentes. nec ſine ratione: quæ enim de eorum vivendi modo in veſtitu, victu, & immanitate a ſcriptoribus narrantur, ab omni ſane politiori doctrina, artibuſque quæ ad humanitatem ſpectant, videntur alieniſſima. Non quidem nudi incedebant, ut Indorum gymnoſophiſtæ, non ſinente hoc aëre illis locis frigidiſſimo, ut graphice, ipſa experientia edoctus deſcripſit Naſo in triſtibus, *lib.* 3. *eleg.* 10. ideoque coacti pellibus, unde & genti nomen inditum, & ſutis braccis mala frigora arcebant. Non togis utebantur, ut Romani rerum domini, non pallio, ut Græculi θηθέτῃ, cum lanæ uſus iis ignotus fuerit. Victus iis non delicatus, lacte & melle vivebant, quæ in promtu armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines in plauſtris corio tectis, cum uxoribus & liberis errare ſolitis. Hinc triſtis illa in vultu ſeveritas, quales σκυθρώπους eos pingit Ovidius:

Vox fera, trux vultus, veriſſima
mortis imago.

Non coma, non ulla barba reſecta manu.

Nec abſuiſſe creditur inhumana θηριότης, adeo ut hoſpites Dianæ Tauricæ immolaſſe dicantur, virgine ſacerdote ſacra faciente. Ovid. Pont. lib. 3. eleg. 2.

Fœmina ſacra facit tæda non nota jugali,
Quæ ſuperat Scythicas nobilitate nurus.
Sacrifici genus eſt (ſic inſtituere parentes)
Advena virgineo cæſus ut enſe cadat.

Quis inter tales homines non homines aliquam rerum divinarum atque humanarum contemplationem fuiſſe cogitare auſit? cum inſuper & ἀνθρωποφαγίας, & λυκανθρωπίας inſimulentur. *Mela, lib. c.* 4. *Herod. lib* 4.

Sed videre libet num obtuſa adeo pectora Scythæ geſtarint? num Sol adeo averſus ab axe eorum & ab hyperboreis fuerit? ut cum homines fuerint, ea quæ humanitatis ſunt ab iis plane a-

liena fuerint. Scitum eſt illud Poëtæ:

Nemo adeo ferus eſt, qui non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem præbeat aurem.

Hoc teſtimonium eis largitur Curtius, lib. 7. cap. 22. *Scythis, non ut cæteris barbaris, rudis & inconditus ſenſus eſt; quidam eorum ſapientiam quoque capere dicuntur, quantamcunque capit gens ſemper armata.* Nec diſſentit Herodotus in Melpomene, ἔτι γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ πόντου, οὐδὲν ἔχομεν προβαλέσθαι σοφίης πέρι, οὔτε ἄνδρα λόγιον οἴδαμεν γενόμενον, παρὲξ τοῦ σκυθικοῦ ἔθνεος, καὶ Ἀναχάρσιος. *De nulla natione eorum qui intra Pontum ſunt, aut aliquid ad ſapientiam pertinens proferre poſſumus, aut aliquem virum pro erudito habitum novimus, præter gentem Scythicam & Anacharſim.* in quo non minus falſus eſt hic hiſtoricus, quam olim Judæorum Magiſtri, qui ex Galilæa, ipſis deſpecta, nullum unquam prophetam prodiiſſe pronuntiabant, *Joh. cap.* 7. *v.* 52. Cum tamen inde eſſent Jonas, Nahum, Anna Phanuëlis filia.

Græci quidem, quidvis in hiſtoı audentes, nimis ambitioſe ſuorum ı geſtas extollunt, aliarum vero gen ùm deprimunt. Omnia etiam fabu contaminarunt, quæ ſi a barbaris ſc pta fuiſſent, longe alia nobis facie ; parerent, quod Attila, etiam Scytl feſtive admodum notavit: Cum en Mediolanum cepiſſet, vidiſſetque imagines Romanorum Principum, ſ lio aureo ſuperbe inſidentium, & S tharum ante eorum pedes poſtraı rum; ipſe contra ſe juſſit picta itid imagine ſolio extantem ac ſublim exhiberi; Romanos autem Imperaı res, ſacculos humeris bajulantes, aurum ad pedes ejus effundentes. *S das in κόρυκ*ος. Idem acerbe Valeria Rom. Imperatori exprobravit Sapoı Perſarum Rex, cum victi illius ter pedem equum aſcenſurus imponere *hoc*, inquit, *verum eſt*, *non quod in bulis aut parietibus Romani pingunt*. *Lact. de mort perſec. cap.* 5. quod Leones, in fabulis, hominibus ob ciſſe dicuntur. ſed ad Scythas red mur:

M

Multi inter eos ſapientiæ laude celebrantur, Prometheus, Deucalion, Zamolxis, Zeutas, Abaris, Dicineus, Comoſicus, Orpheus, Anacharſis, Bion, Heraclides, Cotys, Toxaris, Amaloſuntha, Pliſti. videamus ſingulos.

De Prometheo, Herodorus, in eo libro quem de vinculis Promethei compoſuit, ut ſcribit Nat. Comes, mythol. lib. 4 cap. 6 memoriæ prodidit, eum Scytharum Regem fuiſſe, qui cum ſubditis populis res victui neceſſarias ſuppeditare non poſſet, quod Aquila fluvius ita vocatus, illius regionem inundaret, in vincula conjectus a Scythis fuit. Hercules Prometheum liberaſſe dicitur, interemta aquila, quia fluvium in mare detorſit, ne amplius regionem inundaret. Huic Japeti filio philoſophiæ inventionem ipſi tribuunt Græculi. Suidas, Προμηθεὺς εὗρε πρῶτος τὴν γραμματικὴν φιλοσοφίαν. Ubi Voſſius de, de arte grammat. lib. 1. cap. 3. inſerendam conjunctionem judicat, γραμματικὴν καὶ φιλοσοφίαν. quomodo

modo

modo autem hic ἀγκυλομήτης, ut eum vocat Heſiodus, ex luto finxerit hominem in effigiem moderantum cuncta Deorum omnibus Poëtis & mythologis decantatum eſt: quid autem Philoſopho magis convenit, quam homines formare, hoc eſt, a vita rudi & agreſti, ubi beſtiarum ritu vivunt, ad civilem agendi rationem revocare. De ejus Philoſophia præter alios videderi poſſunt Lucianus in Prometheo, C. Rhodig. lect. antiq. lib. 7. cap. 19. & 20. Verulamius de ſapientia veterum. Natal. Comes, mythol. lib. 4. cap. 6.

Promethei filium Deucalionem Scytham vocat Lucianus in Dea Syria, & hujus non exigua fuit ſapientia, quam in reparando humano genere poſt diluvium, non ſegniter oſtendit. de quo præter innumeros alios videndus idem Natal. Comes mythol. lib. 8. cap. 17.

Zamolxin multis ante Pythagoram annis extitiſſe credidit Herodotus, lib. 4. quod præteriit Laërtius, initio

libri

libri octavi, veritus ſcilicet ne hoc modo philoſophiam barbaricam Græca antiquiorem agnoſceret: niſi forte duo Zamolxes fuerint. De eo hæc tradit Herodotus, a Græcis e doctus, eum Thracem fuiſſe, Sami vero ſervitutem ſerviiſſe Pythagoræ, manumiſſum autem, cum magnam pecuniæ vim collegiſſet, in patriam rediiſſe: gentiles ſuos meliorem vivendi rationem, ex Græcorum, qua imbutus erat, diſciplina docuiſſe, popularium primos convivio ſæpius excepiſſe, de animæ immortalitate diſſeruiſſe: extructo ædificio ſubterraneo, in eo triennium latuiſſe, quarto autem anno, deſiderantibus jam ac deflentibus eum Thracibus, ſe exhibuiſſe, ut hoc modo credibilia redderet ea de quibus philoſophatus fuerat. qua in re imitatus videtur aſtum heri ſui Pythagoræ, de quo idem fere narrat ex Hermippo Laërtius, *lib.* 8. Eum, poſt ſuum in Italiam adventum in ſubterranea domo latuiſſe, matre interim omnia quæ contingebant, notato etiam tempore,

literis mandante; exacto anno ſquali-dum ac macie confectum Pythagoram eſcendiſſe, concioneque advocata, quod ab inferis redierit, narraſſe, ejus rei ut fidem faceret ea, quæ interim facta erant, enarraſſe. Similibus ergo artibus Pythagoras & Zamolxis auctoritatem ſibi apud imperitos conciliarunt.

Zeutam hominem eruditum prius quam Zamolxim Scythas habuiſſe ait Jornandes de rebus Geticis, §: 18. quin hic Zeutas Ægyptiorum Mercurius fuerit, quem illi Θεὺθ appellarunt, dubitare vix liceat, ſapientiæ ac literarum inventor, cujus nominis veſtigia, apud Græcos in vocibus Ζεὺς, Δεὺς, Θεὸς, apud Gallos in *Teutate*, apud Germanos in ipſa gentis *Teutonicæ* appellatione, non obſcura videri poſſunt. lectu digna ſunt quæ habet Cluverius, *Germ. antiq. lib.* 1. *cap.* 9. & 26.

Abaris Zeutæ filius, oracula quæ Scythica dicuntur, nuptias item Hebri fluminis, & Apollinis ad Hyperboreos

boreos adventum oratione metrica ſcripſiſſe traditur. celebratur proverbio ſagitta, quam ipſe nihil comedens, teſte Herodoto, *lib.* 4. circumtuliſſe dicitur. hanc ad philoſophiam refert Nazianzenus, oratione funebri in Baſilium: τὸν γὰρ Ἀβάριδος ὀϊστὸν τί ἂν λέγοιμι τοῦ ὑπερβορέου; ἢ τὸν Ἀργεῖον Πήγασον; οἷς οὐ τοσοῦτον ἦν τὸ δι' ἀέρος φέρεσθαι, ὅσον ἡμῖν τὸ πρὸς Θεὸν αἴρεσθαι. *Quid Abaridis Hyperborei jaculum recenſeam, aut Argivum Pegaſum? quibus non tam ſtudio fuit per aërem volare, quam nobis ad Deum mentes tollere.* Magicis artibus imbutus fuiſſe creditur, *vid. C. Rhodig. lect. antiq. lib. 9. cap.* 23. Pauſanias in Laconicis eum ex hyperboreis veniſſe, ædemque Soſpitæ Proſerpinæ condidiſſe refert, quamvis alii Thraci Orpheo idem tribuant.

De Diceneo hæc ſcribit Jornandes, „ de rebus Geticis, §. 35. cernens „ Scytharum animos ſibi in omnibus „ obedire, & naturale eos habere in„ genium, omnem plane philoſo„ phiam eos inſtruxit: erat enim hu-

„ jus

„ jus rei magiſter peritus. Nam Ethi-
„ cam eos erudivit, ut barbaricos mo-
„ res ab eis compeſceret. Phyſicam
„ tradens, naturaliter propriis legi-
„ bus vivere fecit, quas uſque nunc
„ conſcriptas Bellagines nuncupant.
„ Logicam inſtruens, eos rationis ſu-
„ pra cæteras gentes fecit expertos.
„ Practicen oſtendens in bonis actibus
„ converſari ſuaſit. Theoricen de-
„ monſtrans ſignorum duodecim, &
„ ea per planetarum curſus, omnem-
„ que aſtronomiam contemplari edo-
„ cuit, & quomodo lunaris orbis au-
„ gmentum ſuſtinet, aut patitur de-
„ trimentum edixit, ſoliſque globus
„ igneus quantum terrenum orbem in
„ menſura excedat, oſtendit aut qui-
„ bus nominibus, vel quibus ſignis in
„ cœli polo vergentes aut revergen-
„ tes CCCXLIIII. ſtellæ ab ortu in oc-
„ caſum præcipites ruant, expo-
„ ſuit. Qualis erat, rogo, Voluntas,
„ ut viri fortiſſimi, quando ab armis
„ quatriduum uſque vacaſſent, do-
„ ctrinis philoſophicis imbuebantur?

„ vide-

„ videres unum cœli poſitionem, a-
„ lium herbarum fruticumque explo-
„ rare naturas, iſtum lunæ commo-
„ da, incommodaque, illum ſolis
„ laborem attendere, & quomodo
„ rotatu cœli raptus retro reduci ad
„ partem occiduam, qui ad orien-
„ talem plagam ire feſtinarit, ratione
„ accepta quieſcere. Hæc & alia mul-
„ ta Diceneus Gothis ſua peritia tra-
„ dens mirabilis apud eos invenitur,
„ ut non ſolum mediocribus imo &
„ Regibus imperaret. Elegit namque
„ ex eis tunc nobiliſſimos prudentio-
„ res viros, quos ad Theologiam in-
„ ſtruens, numina quædam & ſacella
„ venerari ſuaſit, fecitque Sacerdo-
„ tes, nomen illis Pilatorum contra-
„ dens, reor, quia opertis capitibus
„ tiaris, quos pileos alio nomine
„ nuncupamus, litabant, reliquam
„ vero gentem Capillatos dicere juſ-
„ ſit, quod nomen Gothi, pro ma-
„ gno ſuſcipientes, adhuc hodie ſuis
„ cantionibus reminiſcuntur.

De Comoſico, idem Jornandes, §.

„ 36.

„ 36. ita pergit: Decedente vero Di-
„ ceneo pene pari reverentia habuere
„ Comoſicum, quia nec impar erat
„ ſolertia. Hic etenim & Rex illis &
„ Pontifex ob ſuam peritiam habeba-
„ tur, & in ſumma juſtitia populos
„ judicabat.

Nunc porro procedat ille Threïcius longa cum veſte Sacerdos, ſacer interpreſque Deorum Orpheus, quem ex philoſophorum ordine, imo ex hominum numero exturbare conati ſunt Græculi, ut ſcilicet ſibi ſolis philoſophiæ inventionem vindicarent, nec aliis gentibus quicquam debere viderentur. Ariſtoteles, ut ait Cicero, *lib.* 1. *de nat. Deor.* Orpheum Poëtam nunquam fuiſſe voluit, ut hoc, quod legitur, Orphicum carmen Pythagorici cujuſdam fuiſſe Cecropis. Ne ſapientem quidem fuiſſe alii voluerunt, quia ex Thracia eſſet oriundus. *Ælian. var. hiſt. lib.* 8. *cap* 6. quaſi alibi fungi, in ſola autem Græcia homines, & quidem ſapientes naſcerentur, Diogenes vero Laërtius, *lib.* 1. in procemio, an

philo-

philoſophus ſit appellandus dubitat, quia de Diis abſurda & impia commentus eſt. quæ de eo fabulati ſunt Poëtæ, compendio videri poſſunt in Mythologia Nat. Comitis, *lib.* 7. *cap.* 14. Philoſophum fuiſſe ex docendi & vivendi ratione demonſtravit. Deorum cultum inſtituit, quæ ideo a Thrace Orpheo θρησκεία, vel per metatheſin θρησκεία dicta. Homines ad vitam meliorem cantu ſuo traduxit. Horat: in arte Poët:

Sylveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum.
Cædibus, & fœdo victu deterruit Orpheus;
Dictus ob id lenire tigres, rabidoſque leones.

Philoſophiam autem in Ægypto didiciſſe putatur, Euſeb. lib. 2. πϱοπ. c. 1. & lib. 3. cap. 3. Diodorus Sic. lib. 1. cap. 96 Vita ejus frugalis proverbio locum dedit, apud Platonem, lib. 6. de legg. qui Ὀρφικὸν βίον vocat vitam innoxiam, & a luxu alienam, ut idem apud Thracas Orpheus conatus videa-

tur,

tur, quod apud Ionios tentavit Pythagoras, ad Romanos Numa Pompilius.

Narrat Pauſanias, *in lib.* 6. ſive Eliacis poſterioribus, Ægyptium quendam cenſuiſſe & Amphionem & Orpheum magica ſcientia excelluiſſe, & propterea alteri feras allicere, alteri vero ſaxa ad muros extruendos movere artributum. Idem ſenſiſſe videtur Euripides, cum Iphigeniam in Aulide ita introducit loquentem, cum obteſtatur patrem ne daretur neçi:

Ἐι μὲν τὸν Ορφέως εἶχον, ὦ πάτερ λόγον
Πείθειν ἐπάδουσ᾽ ὥσθ᾽ ὁμαρτεῖν μοι πέτρας.
Κηλεῖν τε τοῖς λόγοισιν οὓς ἐβουλόμην,
Ἐνταῦθ᾽ ἂν ἦλθον.

Hoc eſt: *O pater, ſi haberem orationem Orphei, ut poſſem incantando perſuadere, lapides ut me ſequerentur, & demulcere dicendo quos vellem, uterer illa.* quinimo ſi ſpectemus ea ipſa quæ Poëtæ narrant de Orpheo evocante animam conjugis ſuæ, manifeſtum erit, allegoriam quam quidam ſtatuunt in illa de feris & ſerpentibus hiſtoria, hic locum non habere.

bere. hujus enim fœminæ gratia

Tænarias etiam fauces, alta oſtia ditis
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingreſſus, maneſque adiit, regemque tremendum,
Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda.

In hoc autem Necromantiam exercuiſſe magno conſenſu veteres tradunt. Servius in 6. Æneid. v. 119. *Si potuit manes arceſſere conjugis Orpheus*, ait, Orpheum voluiſſe carminibus animam Euridyces evocare, & quia non potuit, idcirca Poëtas fingere, eum recepiſſe quidem conjugem, ſed cum reſpiceret eam perdidiſſe, dura lege Plutonis. idem, ad 4. Georg. v. 503.

—— nec portitor Orci
Amplius objectam paſſus tranſire paludem,

Myſticum eſt, inquit, dicitur enim bis eandem umbram evocari non licere. ſcil. ex diſciplina magorum. Pauſanias in Bœoticis confirmat hoc ipſum teſtimonio multorum veterum diſſen-

tientium quidem verbis, re autem conſentientium. dicebant enim Orpheum uxore mortua veniſſe ad Aornum Theſprotiæ, ubi pervetus oraculum erat, in quo ſolebant umbræ mortuorum evocari: elaboraſſe igitur Orpheum ut Eurydicen evocaret: apparuiſſe ſed cum ipſe putaret conjugem ſequi, opinione ſua ſe falſum, & eam evanuiſſe.

Plinius quidem, *lib.* 30. *cap.* 1. Orpheum a Magiæ crimine liberare conatur, ſed infirmo admodum argumento, quod tota Thracia Magiæ expers fuerit: hoc autem manifeſto falſum eſt. Zamolxis enim Thrax fuit, qui etiam magicis ſacris initiatus fuit, ut & præceptor ejus Pythagoras.

Fabula de Lyra Orphei in Lesbum tranſlata, quam narrat Lucianus, de aſtrologia, & adverſus indoctum, docet ridiculam infelicitatem eorum, qui, inſtar aſini Cumani, leonis exuviis ſuperbientis, videri volunt philoſophi, omnemque orgiorum Orphicorum ſcientiam in ſcrinio pectoris circumferre, cum tamen Lyram ipſam

pulſare

pulſare neſciant, ideoque canibus in prædam exponuntur.

Succedat nunc Anacharſis Gnuri filius, Caduidæ Scytharum Regis frater, matre autem Græca natus, qui Athenas profectus cum Solone hoſpitii & amicitiæ jus coluit, cujus vita a Diogene Laërtio, .lib. 1. latius deſcripta. ut & Bionis Boryſtenitæ, qui a Boryſtene e Scythia, patre liberto, acerbiſſime literato, matre e lupanari natus, Athenas philoſophatum venit. Laërt. lib. 4, Neque ex hoc albo expungendus Heraclides e Ponto Heracleotes. Ponticæ enim gentes inter Scythas relatæ, nam & Scythiæ Ponticæ meminit Plutarchus in Mario, & decantatiſſimum Naſonis in Ponto, inter Scythas exilium manifeſte hoc docet. Scythia certe olim latiſſime in Septentrionem excurrebat, audiamus Strabonem, *lib.* 1. ὥσπερ τὰ πρὸς Βορρᾶν μέρη τὰ γνώριμα ἑνὶ ὀνόματι Σκύθας ἐκάλουν. ἢ Νομάδας, ὡς Ὅμηρος, ὕστερον δὲ καὶ πρὸς ἑσπέραν γνωσθέντων κέλτοι καὶ Ἴβηρες, συμμίκτως κελτίβηρες, καὶ Κελτοσκύθαι προσηγορεύοντο, ὑφ

ἓν ὄνομα τῶν καθέκαστα ἐθνῶν διὰ τὴν ἄγνοιαν. *Sicut notæ verſus ſeptentrionem gentes uno prius nomine Scythæ, vel Nomades, ut ab Homero, appellabantur, ac poſtea temporis cognitis regionibus occiduis, Celtæ, & Iberi, aut mixto nomine Celtiberi, & Celto Scythæ dici cœperunt, cum prius ob ignorantiam ſingulæ gentes uno nomine afficerentur.* Diſtinctius paulo Scythiæ, latiſſime ſe extendentis, terminos deſcribit Jornandes, libro de rebus Geticis §. 16. & 17. cujus verba huc inſerere nimis operoſum eſſet, quantulum abeſt quin Scythis vindicaremus ipſam Synopen, niſi obſtaret Herodotus, qui in Melpomene, eam a Cimmeriis Scythas fugientibus conditam teſtatur, & ſic Scythis annumeraremus, juxta Strabonem, lib. 12. non tantum Timotheum Patrionem philoſophum, Diphilum Comicum, Batonem rerum Perſicarum ſcriptorem, ſed etiam, quo imprimis gloriari poſſent, Diogenem illum Cynicum celebratiſſimum.

Cethys, Scythicæ juventutis prin-

ceps,

ceps, & regia progenies, non belli magis quam philoſophiæ ſtudiis clarus Ovidio celebratur. Pont. lib. 2. el. 9.

Sed quam Marte ferox, & vinci neſcius armis,
Tam nunquam facta pace cruoris amans.
Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.
Nec Regum quiſquam magis eſt inſtructus ab illis,
Mitibus aut ſtudiis tempora plura dedit.
Carmina teſtantur, quæ, ſi tua nomina demas,
Threïcium juvenem compoſuiſſe negem.
Neve ſub hoc tractu vates foret unicus Orpheus,
Biſtonis ingenio terra ſuperba tuo eſt.
Vtque tibi eſt animus, cum res ita poſtulat, arma
Sumere, & hoſtili tingere cæde manum,
Atque ut es excuſſo jaculum torquere la-

lacerto,
Collaque velocis flectere doctus equi:
Tempora ſic ſtudiis ubi ſunt data juſta paternis,
Atque tuis humeris forte quievit opus:
Ne tua marceſcant per inertes otia ſomnos,
Lucida Pieria tendis in aſtra via.

Philoſophiam ethicam de amicitia, & hoſpitalitate docet apud Lucianum Toxaris Scytha, tum in dialogo cognomine, tum in illo cui titulus. Σκύθης ἢ πρόξενος. Ad recentiora tempora deſcendere non libet, progreſſu enim temporis omnis generis eruditio ad Scythas migravit, ut nunc plurimæ gentes, inter Scythas olim cenſitæ, etiam cultisſimas olim longe ſuperent. Unicum ſupereſt quid de Pliſtis Thracum an Dacorum ſentiendum ſit. ſed de his videndus Bochartus, epiſtola ad N. N. in operum ejus tomo 1. pag. 1052.

Religionem porro Scytharum videamus. Eorum Deos Herodotus in Mel-

Melpomene ita recenſuit: Θεοὺς μὲν μούνους τούσδε ἱλάσκονται. Ἱστίην μὲν μάλιστα, ἐπὶ δὲ Δία τε καὶ γῆν, νομίζοντες τὴν γῆν τοῦ Διὸς εἶναι γυναῖκα. μετὰ δὲ τούτους Ἀπόλλωνά τε, καὶ οὐρανίην Ἀφροδίτην, καὶ Ἡρακλέα, καὶ Ἄρεα. Τούτους μὲν πάντες οἱ Σκύθαι νενομίκασι. *Deos autem ſolos hos placant: Veſtam quidem præcipue, poſtea Jovem ac Tellurem, Tellurem Jovis uxorem exiſtimantes. Poſt hos Apollinem, cæleſtem Venerem, & Herculem ac Martem: Hos omnes Scythæ Deos putarunt.* Sed neque hos ſolos, ſed & alios coluerunt, Imprimis Martem, nec mirum cum gens armis fuerit deditisſima 3. Æneid.

Gradivumque patrem, Geticis qui præſidet armis.

Symbolum hujus numinis venerati ſunt acinacem. Lucian. Toxari. Σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύοντες. *Scythæ acinaci faciunt,* Clem. Alex. Σκυθῶν μὲν οἱ Σαυρομάται, ὥς φησιν Ἱκέσιος ἐν τῷ περὶ μυστηρίων, ἀκινάκην σέβουσι. *Sarmatæ apud Scythas, auctore Hiceſio de myſteriis, adorant acinacem.* Ammian. Marcell. lib. 17. de Alanis: *gladius, barbarico ritu, humi*

mi figitur nudus, eumque, ut Martem, regionum quas circumeunt, præſulem verecundius colunt. Optime hæc illuſtrat locus Menandri in Eclogis legation. Δείσαντες δὲ οἱ ἐν Σιγγηδόνι τοὺς ὅρκους γοῦν αὐτὸν (chaganum) ὀμνύναι προεκαλοῦντο, καὶ ὡς παραυτίκα, ἐς τε Ἀβαρικοὺς ὤμνυεν ὅρκους, ξίφος σπασάμενος, καὶ ἐπαρασάμενος ἑαυτῷ τε τῷ Ἀβάρων ἔθνει παντοίως, εἰ κατὰ Ῥωμαίων τὶ μηχανώμενος γεφυροῦν βούλοιτο τὸν Σάον, ὑπὸ ξίφους μὲν αὐτὸς τε, καὶ τὸ Ἀβάρων ἅπαν ἀναλωθείη φῦλον. *Metuentes qui erant in Singedone ad jurandum Chaganum provocarunt. ille autem eveſtigio jusjurandum Abaricum præſtitit, ſtricto gladio ſibi & Abarum genti omnia mala imprecatus, ſi in Romanos quid molitus conſilium ceperit de Sao ponte ſternendo, ut tum ipſe, tum tota Abarum gens gladio intereat.* Neque his tantum, Quadis & Alanis, ſed Scythis in univerſum hoc uſu receptum fuit. Pomp. Mela, lib. 2. cap. 1. *Mars Omnium Deus, ei pro ſimulachris enſes & cinctoria dedicant, hominesque pro victimis feriunt.* Solin. cap. 20. *Populis iſtis Deus Mars eſt, pro ſimulachris*

„enſes

„ *enſes colunt.* Audiamus Jornandem,
„ §. 19. Martem Gothi ſemper aſper-
„ rima placavere cultura, nam victi-
„ mæ ejus mortes fuere captorum, o-
„ pinantes bellorum præſulem aptius
„ humani ſanguinis effuſione placan-
„ dum. huic prædæ primordia vove-
„ bantur, huic truncis ſuſpendeban-
„ tur exuviæ, eratque illis religionis
„ præter cæteros inſinuatus affectus,
„ quum parenti devotio nominis vi-
„ deretur impendi. De gladio autem
Martis invento, et ad Attilam Hun-
norum Regem delato fabulam ex Pri-
ſco hiſtorico idem Jornandes, §. 60.
„ narrat: Quum paſtor quidam gregis
„ unam buculam conſpiceret claudi-
„ cantem, nec cauſam tanti vulneris
„ inveniret, ſolicitus veſtigia cruoris
„ inſequitur: tandemque venit ad gla-
„ dium, quem depaſcens herbas bu-
„ cula incaute calcaverat, effoſſumque
„ protinus ad Attilam defert. quo ille
„ munere gratulatus, arbitratur ſe to-
„ tius mundi principem conſtitutum
„ & per Martis gladium poteſtatem

 „ ſibi

,, ſibi conceſſam bellorum. Quod vero deinceps hujus gladii fatum fuerit fabulari porro pergit in annalibus ſuis
,, Lambertus Schafnaburgenſis: Re-
,, gina ſcilicet Ungarorum, mater Sa-
,, lomonis Regis, ipſum hunc gladi-
,, um dono dedit Othoni Duci Bajoa-
,, riorum, quum eo ſuggerente atque
,, annitente Rex filium ejus in regnum
,, paternum reſtituiſſet, cumque eum
,, Dux Otho filio Dedi Marchionis,
,, Dedi juniori in argumentum pignuſ-
,, que individuæ dilectionis ad tem-
,, pus præſtitiſſet, illo peremto Regi
,, et per Regem Lupoldo de Mers-
,, burgh obvenit, qui caballo forte
,, lapſus, illius gladii mucrone trans-
,, foſſus illico expiravit. In Thracia autem, quæ a Jornande in ſecunda Scythiæ parte cenſetur, Martem natum eſſe ait Sophocles, ibidem & ſepulchrum ejus oſtendi indicat Clemens Romanus, *recognit. lib.* 10.

Nec per acinacem tantum, ſed & per ventum jurarunt Scythæ. Lucianus Toxare: μὰ τὸν ἄνεμον, καὶ τὸν ἀκινάκην.

vide-

videlicet, quia aër vitam conſerret, gladius auferat. Nec tamen hoc argumentum evincit ventum pro Deo Scythis habitum, quoniam & per ea quæ cariſſima habebant, gentiles jurare ſoliti ſunt, quamvis ea pro numinibus non haberent.

Apollinem quoque coluerunt Scythæ. Pindarus *Olymp. od.* 3. δᾶμον ὑπερβορέων Ἀπόλλωνος θεράποντα vocavit. *Pomp. Mela, lib.* 3. *cap.* 5. ſacris operati maxime Apollinis, quorum primitias Deloń miſiſſe initio per virgines ſuas, deinde per populos, ſubinde tradentes ulterioribus, moremque quamdiu, & donec vitio gentis temeratus eſt, ſervaſſe referuntur. qua de religione etiam agit Herodotus, *lib.* 4. Addam verſus Pherenici hac de re, quos adfert Pindari ſcholiaſtes, prout eos legendos judicat Iſaacus Voſſius, Obſerv. in Melam. lib. 3. cap. 5.

Ἀμφί θ' ὑπερβορέων οἵτ' ἔσχατα ναιετάουσι
Ναῷ ὑπ' Ἀπόλλωνος, ἀπείρητοι πολέμοιο,
Τοὺς μὲν ἄρα προτέρων ἐξ αἵματος ὑμνίζουσι
Τιτήνων βλάστοντας ὑπὸ δρόμον αἰθρήεντα

Ναίς-

Ναίουσι θυῃ Βορέαο γόνῳ Ἀριμασπὸν ἄνακτα.

quæ ita, rudi Minerva vertimus:

Vltima hyperboreis habitant qui climata in oris,
Martis inexperti, Phœbi ſed templa colentes
Carminibus celebrant veterum de ſanguine natos
Titanum, quorum eſt pars ætheris illa ſereni.
Hanc Arimaſpus habet Boreæ qui regnat in arvis.

In intima Scythia Hyperboreos Apollini aſinos immolaſſe multi tradiderunt. Pindarus Pythia decima:

Εὕροις ἂν ἐς Ὑπερβορέων ἀγῶ—
να ναυμαστὰν ὁδόν.
παρ' οἷς ποτε περσεὺς
Ἐδαίσατο λαγέτας, δώματ' ἐσελθὼν,
Κλειτὰς ὄνων ἑκατόμβας
Ἐπιτόσσαις Θεῷ
Ῥέζοντας. ——

Invenias ad Hyperboreorum certamen ſive conventum admirandam viam. Apud quos olim Perſeus Dux epulatus eſt, ædes ingreſſus, cum inveniſſet inclytas aſinorum

norum hecatombas Deo ſacrificantes, Callimachus:

> Φοῖβος ὑπερβορέοισιν ὄνων ἐπιτέλλεται ὀροῖς.
>
> *Phœbus hyperboreis aſino placatur in oris.*

Clemens in protrept. Σκύθαι δὲ τοὺς ὄνους ἱερεύοντες μὴ παυέσθων, ὡς Ἀπολλόδωρός φησι, καὶ Καλλίμαχος. *Scythæ ne ceſſent mactare aſinas, ut dicunt Apollodorus & Callimachus.* Arnob. lib. 4. *Quis ei Canes a Caribus, quis ab Scythis aſinos immolari? non principaliter cum cæteris Apollodorus?* Antonius quoque Liberalis. fab. 20. hyperboreos multis deſcribit Apollini immolantes τὰς θυσίας τῶν ὄνων, victimas aſinorum.

Sed hæc omnia ficta eſſe norunt illi, qui intima Aquilonis aſinis & mulis prorſus inacceſſa eſſe didicerunt. Herodotus in Melpomene: οὐδὲ ἐστὶν ἐν τῇ Σκυθικῇ πάσῃ χώρῃ τὸ παράπαν οὔτε ὄνος, οὔτε ἡμίονος, διὰ τὰ ψυχρά. *In terra Scythica neque aſinus neque mulus eſt, propter frigora.* Ariſt. de gener. anim. l. 2. c. 8. Ἔτι δὲ ψυχρὸν τὸ ζῶον ὄνος ἐστί. διόπερ ἐν τοῖς χειμερινοῖς οὐ θέλει γίνεσθαι τόποις, διὰ τὸ δύσ-

ριγον

ριγον εἶναι τὴν φύσιν, οἷον περὶ Σκύθας, καὶ τὴν ὅμορον χώραν. *Frigidum animal eſt aſinus, proinde in locis frigidis gigni non poteſt, utpote ſua natura frigoris impatiens, velut apud Scythas & vicinas regiones* Strabo de Getis, lib. 7. ὄνους τε γὰρ οὐ τρέφουσι. δύσριγον γὰρ τὸ ζῶον. *Nam neque aſinos alunt, eſt enim animal frigoris impatiens.* Plinius, de aſinis, lib. 8. cap. 43. *Ipſum animal frigoris maxime impatiens, ideo non generatur in Ponto.*

Neque obſtat locus Ezechielis, cap. 27. v. 14. *De domo Thogarmæ equos & equites, & mulos adduxerunt,* O Tyre, *ad nundinas tuas.* Id enim perperam ad Scythiam refertur. Thogarma enim Scythia non eſt, ſed Trogmorum in Galatia regio, ubi aſini & muli fuere præſtantiſſimi. *vid. Bochart. Phaleg. lib. 3. cap.* 11.

Dianam Apollini fratri jungimus, quam in Cherſoneſo Taurica cultam, & humano ſanguine placatam eſſe notiſſimum eſt. audiamus ſenem Ovidianum, lib. 3. de ponto. eleg. 2. hæc narrantem:

Eſt

Eſt locus Scythia (Tauros dixere priores)
Qui Getica longe non ita diſtat humo.
Hæc ego ſum terra (patriæ nec pœnitet) ortus,
Conſortem Phoebi gens colit illa Deam.
Templa manent hodie vaſtis innixa columnis,
Perque quater denos itur in illa gradus.
Fama refert illic ſignum coeleſte fuiſſe,
Quoque minus dubites, ſtat baſis orba Dea.
Araque quæ fuerat natura candida ſaxi,
Decolor affuſo tincta colore rubet.
Fœmina ſacra facit. &c.

Hanc Deam, aliis, quibus olim humanæ hoſtiæ feriebantur, addit Lucanus, lib. I.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates; horrenſque feris altaribus Heſus,

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

videatur Cluverius Germaniæ antiq. lib. 1. cap. 22. 26. 28.

Quanto in honore Diana apud Scythas fuerit, ex Amazonibus, mulieribus Scythicis videre eſt, quæ in Aſia, non tantum urbem Epheſum a nomine cujuſdam Amazonum dictam, ut ait Heraclīdes de politiis, condiderunt, quod & Juſtinus lib. 2. cap. 4. notavit, ſed ipſum etiam templum, inter ſeptem orbis miracula numeratum. Jornandes, §. 24. Epheſi templum Dianæ ob ſagittandi venandique ſtudium, quibus ſe artibus (Amazones) tradidiſſent, effuſis opibus, miræ pulchritudinis condiderunt. Sunt autem viri non indocti, qui totam Amazonum, adeoque & ſtructuræ hujus templi hiſtoriam ad fabularum categoriam, nec ſine ratione, retulerunt.

Cereris templum inter Hypanim & Boryſthenem fuiſſe, & Neptunum a Scythis cultum Herodotus *lib.* 4. aſſerit.

rit. de utroque juvat audire Loccenium, antiq. Sueo-Goth. cap. 3. Terræ fœcundandæ priſcos Sueogothos Cererem præſidem conſtituiſſe exiſtimant. Ejus enim cultum etiam e Græcia atque Italia in Suediam migraſſe notant J. Magnus, lib. 7. cap. 21. Olaus Magnus, lib. 9. c. 45. Lipſius, cent. 3. ad Belgas. epiſt. 44. a Cerere *korn* derivat. Ceréris cultum majoribus olim hic etiam exercitum vel inde colligas, quod adhuc mos durat, quanquam a ſuperſtitione purgatus, ut placentas ex ſimilaginea farina ruricolarum uxores imponant a puerperio ingreſſæ templum Sacerdotibus loco donorum deſtinatas, quales ab ethnicis Cereri ejuſque ſacerdotibus offerri ſolebant. quem ritum tangit Horatius lib. 1. epiſt. 10.

Utque ſacerdotis fugitivus liba recuſo,
Pane egeo jam mellitis potiore placentis.

Hodiernum ſeptentrionalium morem

C

„ rem etiam obſervavit Jacobus Phi-
„ lippus Tomaſinus Italus, in erudi-
„ to libro de donariis, ac tabellis vo-
„ tivis, cap. 40. ubi ait: Cerealia do-
„ na aris imponi adhuc moris eſt apud
„ agreſtes in extremo ſeptentrione,
„ qui noſtra ætate Chriſtianorum ritu
„ vivunt. Pergit de cultu Neptuni.
„ Præterquam, *inquit*, quod fontes
„ quoſdam ſacros, etiam *aquæ Deum*
„ more gentilium habuerunt, quem
„ hodieque vulgus *Neccum* appellat,
„ & undis ſubmerſos, ab eo raptos,
„ ac ſuffocatos ait. velut Neptuni fi-
„ lios veteribus dictos eſſe qui mari
„ periiſſent, notat Voſſius, de ido-
„ lol. lib. 1. cap. 15. Alias in quodam
„ dictionario Belgico-gallico, eſt *Nec-*
„ *cer* Spiritus aquaticus; & *Necce* ne-
„ care. Deprehenſum quibuſdam un-
„ da extractis gulam fractam, caput
„ obverſum, ut diabolus firmet vulgi
„ ſuperſtitionem. Hactenus Locce-
„ nius.

Jovem & Veſtam Scythas coluiſſe, & Jovem quidem Papæum, Veſtam

Tabiti

Tabiti cognominaſſe auctor eſt Herodotus, *lib.* 4. Quin Papæi nomen ſit ab Hebræo אב unde אבא & per metatheſin apud Græcos παππᾶς, vix dubitum eſt. Vocabulum autem Tabiti eſſe a תפת Thopheth non inconcinne conjecturam facit Clar. Vitringa, *obſerv. ſacr. lib.* 1. *cap.* 7.

Bacchum a Scythis cultum fidem faciat Statius, Theb. lib. 4.

Marcidus edomito bellum referebat ab Æmo
Liber, ibi armiferos geminæ jam ſidere brumæ
Orgia ferre Getas, canumque vireſcere dorſo
Othryn, & Icaria Rhodopen aſſueverat umbra.

Lycurgus tamen Thraciæ Rex, ut Bacchum regni ſui fines ingreſſum cognovit, Bacchas comprehenſas flagellis verberavit, ipſum ad cædem quæſivit, vites ſua manu ſuccidit, ſed immiſſo a Libero furore ſeipſum vulneravit. vide Servium. ad 3. Æneid. v. 14.

Agmen claudat Saturnus; quem e-

eundem Zamolxim crediderunt, quod ex Herodoto notavit Laërtius, de vitis philoſ. *lib.* 8. ſed & Gebeleizem dixerunt. Ritum deſcripſit Herodotus, *lib.* 4. Ad eum aſſidue mittunt nuntium, cum quinque remigum navi, ſorte ex ſeipſis delectum, præcipientes ei ea quibus indigent: hoc modo: quibuſdam tria dantur jacula, tum illi qui ad Zamolxin mittitur manus pedeſque ligantur, & in ſublime jactatur, interim jaculis illis petitur. Si ipſis præſentibus extinguitur, propitium ſibi credunt Deum, ſin minus, culpam in ipſum nuncium rejiciunt. Deinde alium cum iiſdem mandatis mittunt. Eidem Deo, quem ſuum & ſolum eſſe arbitrantur, tonanti & fulguranti, miſſis in cœlum ſagittis, minas intentant. confer his, quæ ſcripſit Olaus Magnus hiſt. gent. ſeptentr. lib. 3. cap. 5, 6, 7.

Mirari hic ſubit populos, inter gentes, vera Dei cognitione deſtitutas, quo magis illi artibus philoſophicis ac humanioribus dediti fuerunt, eo profundius

fundius in ſuperſtitionum abon
darum voragines eſſe immerſos
gyptii omnis eruditiones auctor
de reliqui ſuam hauſerunt ſapien
qualia demens portenta coluit? J
ſat. 15. hos ſecuti Græci & ipſi R
ni, qui omnes omnium fere De
religiones a devictis gentibus R
tranſtulerunt, ut vere Babylon ill
ritualis facta fuerit κατοικητήριον δα
καὶ φυλακὴ παντὸς πνεύματος ἀκαθάρτ
poc. cap. 18. v. 2. Alii vero popu
libus minus imbuti, non ita ſup
tionibus obruti fuerunt. In quo
randum eſt juſtiſſimum Dei judic
cum enim plus luminis ex natu
beant gentes cultiores, Deum t
non glorificarunt, ſed evanueru
cogitationibus ſuis, putarunt ſe
ſapientes, ſed ſtulti facti ſunt,
eos in reprobum ſenſum trad
Rom. cap. 1. Atque hæc de Sc
rum religionibus: ad humanam
ſapientiam pergimus tam theoret
quam practicam.

Animarum immortalitatem eo

to crediſiſſe certum ex Doctrina Zamolxis, ad quem ſe poſt mortem ad beatiorem vitam ire putabant. *Herod.lib.* 4. Tranſanimationem veró, vel μετεμψύχωσιν diſcipulum hunc a præceptore Pythagora hauſiſſe, & ſuos docuiſſe perquam credibile eſt, cum ea opinio plurimas olim gentes pervaſerit. In naturali philoſophia quantum valuerint, oſtenderunt Scythæ in illa cum Phrygibus, de gentis ſuæ antiquitate, contentione non indocta. De rerum principiis altercati ſunt philoſophi: Alii ex aqua omnia proveniſſe exiſtimabant, inter quos familiam duxit Thales Mileſius; Alii contra igni rerum initium aſſignabant, quorum princeps Heraclitus Epheſius. Litem hanc ſuam non fecerunt ſapientes Scythæ, ſed ex utraque hypotheſi argute diſſerunt apud Juſtinum, lib. 2. cap.
„ 1. Si ignis prima poſſeſſio rerum
„ fuit, qui paulatim extinctus ſedem
„ terris fecit, nullam prius quam ſep-
„ tentrionalem partem, hyemis rigo-
„ re, ab igne ſecretam; adeo ut nunc

„ quo-

„ quoque nulla magis rigeat frigori-
„ bus. Ægyptum vero & totum ori-
„ entem tardiſſime temperatum: quip-
„ pe qui etiam nunc torrenti calore
„ Solis exæſtuet. Quod ſi omnes ter-
„ ræ ſubmerſæ profundo fuerunt, pro-
„ fecto editiſſimam quamque partem,
„ decurrentibus aquis, primum dete-
„ ctam; humillimo autem ſolo aquam
„ diutiſſime immoratam: & quanto
„ prior quæque pars terrarum ſiccata
„ ſit, tanto prius animalia generare
„ cœpiſſe. Porro Scythiam adeo edi-
„ tiorem omnibus terris eſſe, ut cun-
„ cta flumina ibi nata in Mæotim,
„ tum deinde in Ponticum & Ægypti-
„ um mare decurrant. Ægyptum au-
„ tem quæ tot Regum, tot ſeculorum
„ cura impenſaque munita ſit, & ad-
„ verſum vim incurrentium aquarum
„ tantis ſtructa molibus, tot foſſis
„ conciſa, ut cum his arceantur, illis
„ recipiantur aquæ, nihilominus co-
„ li, niſi excluſo Nilo, non potue-
„ rit, non poſſe videri hominum ve-
„ tuſtate ultimam, quæ ſive ex agge-

„ rationibus Regum, ſive Nili trahen-
„ tis limum, terrarum recentiſſima vi-
„ deatur.

In meteorologia imprimis occurrit doctrina de ventis. Hos duos tantum agnovit Cotys, ſcil. Thracum Rex. Lucilii verſus apud Nonium, in *Demagis*, leguntur corruptisſimi, eos ſuis numeris ita reſtituit Hadrianus Junius:

Rex Cotys ille duos ventos Auſtrum atque Aquilonem
Noviſſe ajebat ſolos ſe demagis iſtos
Ex nimbo auſtellos, nec noſſe, nec eſſe putare. vel, *nec noſſe putare neceſſe.*

quam lectionem etiam ſequitur Salmaſius. Non curavit Scytha multiplices illas ventorum ſubdiviſiones, nautis ſane utiles, reliquis non item. Quamvis enim venti cardinales quatuor conſtituantur, qui rurſus in multo plures ſubdividuntur, nihilominus docti obſervant in antiquis Philoſophorum ac Medicorum libris, ad deſignandas tempeſtatum & aëris conſtitutiones,

τὰ βόρεια ſolum & τὰ νότια nominari, nuſquam τὰ ἑσπέρια, aut τὰ ἑῷα. Ariſtoteles, *lib.* 2. *Meteorol. cap.* 6. poſtquam octo principales cum ſuis lateronibus nominavit, ὅλως δὲ, inquit, τὰ μὲν βόρεια τούτων καλεῖται, τὰ δὲ νότια. *Univerſaliter quidem horum alij Boreales vocantur, alij Auſtrales.* Nempe venti occidentales, tanquam frigidiores, Boreæ apponuntur, & Auſtro Orientales, quia ſunt calidiores. quod his verbis idem addit: προστίθενται δὲ τὰ μὲν ζεφυρικὰ τῷ βορέᾳ, ψυχρότερα γάρ, διὰ τὸ ἀπὸ δυσμῶν πνεῖν. τῷ δὲ νότῳ ἀπηλιωτικά, θερμότερα γάρ, διὰ τὸ ἀπὸ ἀνατολῆς πνεῖν. Idem, *lib.* 4. *politic. cap.* 3. Omnes Reip. formas, vel ad democratiam, vel ad oligarchiam contendit eſſe referendas; καθάπερ ἐπὶ τῶν πνευμάτων λέγεται τὰ μὲν βόρεια, τὰ δὲ νότια, τὰ δ' ἄλλα τούτων παρεκβάσεις. *quomodo in ventis alij Boreales, alij dicuntur Auſtrales, & reliqui ſunt horum exceſſus.* Quin & in ſacris literis duobus his ventis Borea & Noto, Spiritus S. vis, tanquam ſymbolo, deſignatur, *Cant.* 4. *v.* 16. Ut hæc Scythæ de ventis philoſophia non

adeo abſurda videri poſſit.

Ad naturalem philoſophiam pertinet divinatio. hanc triplicem apud Scythas uſitatam invenio: ῥαβδομαντείαν, extiſpicium, & augurium. De ῥαβδομαντείᾳ teſtis mihi eſt Herodotus, qui lib. 4. hæc ſcribit: Μάντιες δὲ Σκυθέων εἰσὶ πολλοὶ, οἱ μαντεύονται ῥάβδοισι ἰτεΐνῃσι πολλῇσι ὧδε. ἐπεὰν φακέλους ῥάβδων μεγάλους ἐνείκωνται, θέντες χαμαὶ, διεξελίσσουσι αὐτοὺς, καὶ ἐπὶ μίαν ἑκάστην ῥάβδον τιθέντες, θεσπίζουσι. ἅμα τε λέγοντες ταῦτα, συνειλέουσι τὰς ῥάβδους ὀπίσω, καὶ αὖτις κατὰ μίαν συντιθεῖσι. αὕτη μέντοι ἡ μαντικὴ πατρωΐη σφι ἐστί. *Vates apud Scythas multi ſunt, qui virgis ſalignis ad hunc modum divinant: grandes virgarum faſces cum attulerunt, humi poſitos diſſolvunt, ac ſeparatim ſingulas ponentes, vaticinantur: Et inter dicendum virgas prehendunt, & rurſus ſigillatim componunt. Hæc illis tradita a majoribus divinatio.* conſentit Amm. Marcellinus, lib. 31. *Futura miro præſagiunt modo: nam rectiores virgas fœminæ colligentes, eaſque cum incantamentis quibuſdam ſecretis, præſtituto tempore diſcernentes, aperte*

quid

quid portendetur, norunt. Id apud Germanos olim uſitatum. Tacit. de mor. Germ. cap. 10. *Sortium conſuetudo ſimplex. virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt. mox ſi publice conſulatur, ſacerdos civitatis, ſi privatim, ipſe paterfamilias precatus Deos, cœlumque ſuſpiciens ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum: auſpiciorum adhuc fides exigitur.*

Extiſpicii exemplum ſuppeditat Jornandes, de rebus Geticis. §. 61.
„ Attila cum Theodorico & Ætio
„ conflicturus, perculſus eventu, dif-
„ fidens ſuis copiis, metuens inire
„ conflictum, intuſque fugam revol-
„ vens ipſo funere triſtiorem, ſtatuit
„ per haruſpices futura inquirere.
„ Qui more ſolito nunc pecorum fi-
„ bras, nunc quaſdam venas in abra-
„ ſis oſſibus intuentes Hunnis infauſta

„ de-

„ denuntiant. Hoc tamen quantulum
„ prædixere ſolatii, quod ſummus ho-
„ ſtium ductor de parte adverſa oc-
„ cumberet, relictaque victoria ſua
„ morte triumphum fœdaret.
Augurii denique exemplum eſt a-
„ pud eundem §. 68. Attila Aquile-
„ jam obſidens, deambulans circa mu-
„ ros; dum utrum ſolveret caſtra, an
„ adhuc moraretur deliberat, ani-
„ madvertit candidas aves, id eſt, ci-
„ conias, quæ in faſtigio domorum
„ nidificant, de civitate fœtus ſuos
„ trahere, atque contra morem per
„ rura forinſecus comportare. Et ut
„ hoc, ſicut erat ſagaciſſimus inquiſi-
„ tor, præſenſit, ad ſuos inquit, Re-
„ ſpicite aves, futurarum rerum pro-
„ vidas, perituram relinquere civita-
„ tem, caſuraſque arces periculo im-
„ minente deſerere. Non hoc vacuum,
„ non hoc credatur incertum: rebus
„ præſciis conſuetudinem mutat ven-
„ tura formido. Vide porro Olaum
Magn. hiſt. ſeptentr. lib. 3. cap. 12, 13.
Muſicam, inter eas artes, quas li-
berum

berum hominem ſcire æquum eſt, non infimo loco collocandam, Scythæ etiam exercuerunt. Plutarchus in Demetrio: οἱ μὲν σκύθαι πίνοντες καὶ μεθυσκόμενοι παραψάλλουσι τὰς νευρὰς τῶν τόξων, οἷον ἐκλυόμενοι ὑπὸ τῆς ἡδονῆς ἀνακαλούμενοι τὸν θυμόν. *Scythæ inter pocula & temulentiam arcuum nervos interim pulſant, quaſi voluptatibus remiſſum revocantes animum.* Muſicam ſcilicet amabant non mollem, & animos enervantem, non Lyram Paridis, ſed maſculam, ad Achillis Lyram potius emodulandam. Orphei eloquentiam, qua fera hominum corda mitigavit, ἄμουσον fuiſſe nemo facile crediderit. Propert. lib. 3. eleg. 2.

Orpheu te tenuiſſe feras, & concita dicunt;
Flumina Threïcia detinuiſſe Lyra.

Ateas quidem, teſte in apophthegmatis Plutarcho, cum Iſmeniam tibia canentem multi mirarentur, juravit ſe hinnientem equum libentius auditurum: Sed an unica hirundo ver faciet? An non idem Darius Hyſtaſpis juraret; in memoriam revocans ſe non lyra aut

tibia,

tibia, ſed equi hinnitu ad regni Perſici habenas capiendas promotum fuiſſe? cum & Perſarum Reges deinceps equum ſigillo inſculptum habuerint, teſte Thucydidis Scholiaſte, *ad lib.* 1. Germanorum etiam antiquiſſimi ex equis auguria captarunt, teſte Tacito, de moribus Germ. *cap.* 10. Quam multi inter ipſos Græcos ἄμουσοι. Ipſa Pallas tibiam abjecit, idem fecit Alcibiades; Themiſtocles lyram recuſavit: alia vide in C. Rhodig. *lect. antiq. lib.* 9. *cap.* 1.

Nunc preſſius practicam Scytharum philoſophiam excutiamus, cujus prima pars de ſummo hominis bono agit. Quantum Scythæ a ſententia Epicuri, felicitatem in voluptate collocantis, & animorum immortalitatem negantis, abhorruerint, tum ex illis quæ antea de Zamolxi diximus, tum ex illis, quæ de virtutibus, quibus ſtuduerunt Scythæ, dicenda reſtant, ſatis apparet. conſiderabimus tantum quatuor illas virtutes, ex ſententia Stoïcorum, cardinales, ad quas reliquæ facile reduci poſſunt. Quan-

Quantum prudentia mentiſque ἀγχινοίᾳ ſive ſolertia valuerint, docuerunt illis muneribus, quæ Dario Hyſtaſpis filio, terram & aquam petenti miſiſſe dicuntur apud Herodotum. Erant hæc, avis, mus, rana, quinque ſagittæ: hoc ænigma pro ſe interpretabatur Darius, ut ſibi homines blandiri ſolent. Gobryas autem, penitius hæc inſpiciens, hanc eorum mentem eſſe docuit: *O Perſæ, niſi avolando avibus, vos in cavernis terræ occultando muribus, vel aquis mergendo ranis ſimiles fiatis, ſagittis conficiemini.* Verum eum vatem fuiſſe eventus docuit.

Animi invicti atque excelſi robur ac magnitudinem in bellis rebuſque geſtis non obſcure oſtenderunt. cum enim animos immortales ſibi perſuaſiſſent, leviſſimus ſane illis erat mortis metus. Appianus Alexandrinus hoc teſtimonium Germanis perhibuit, quod eſſent θανάτου καταφρονηταὶ, δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως. Communis ſedit hæc ſententia populis ſeptentrionalibus. Lucan. lib. 1.

—— Certe populi quos deſpicit Arctos

Felices

Feliccs errore ſuo, quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum rediture parcere vitæ.

Huc tamen referri nolim, quod narratur de fortitudine Tamyris Maſſagetarum ſive Scytharum Reginæ, quæ ſtratagemate circumvenerit Cyrum Perſici imperii conditorem; ejuſque caput amputatum in utrem ſanguine humano plenum; cum crudelitatis exprobatione, injecerit. præterquam enim quod hoc a prudentia atque experientia Cyri, jam ſenis, alieniſſimum plane eſt: obſervandum præterea Herodotum hæſitanter admodum hæc de re loqui. Diodorus autem Siculus, *lib. 2. cap.* 44. Cyrum in acie captum cruci a regina Scytharum affixum eſſe affirmat. Cteſias, in prælio contra Derbicas (populum Hyrcanis vicinum) ipſum jaculo ab Indo quodam ſub coxa in femore vulneratum. Derbicum

bicum Regem Amoræum cum duobus filiis interfectum, & tertio a vulnere accepto die Cyrum mortem obiiſſe ſcribit. Johannes Malela Antiochenus, ex commentitio quodam ſcripto Pythagoræ Samii, in pugna navali interemtum eſſe Cyrum refert. Conditorium ejus Paſergadis in Perſide poſitum memorant Curtius, Plutarchus, Arrianus, Strabo, *lib.* 15. conſule, ſi placet, commentarium Clar. *Pitiſci* in Curtium, lib. 10. cap. 1. Lucianus in Macrobiis, Cyrum centum annos aſſecutum, præ mœrore, vitam finiiſſe ait. Xenophon autem eum placide mortuum eſſe narrat, & orationem ejus recitat, qua ante mortem filios ad juſtitiam & concordiam hortatus eſt. additque commemorationem de immortalitate animæ, & de præmiis & pœnis poſthanc vitam ſecuturis. &c. Quamvis enim hæc a Xenophonte, non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti imperii ſcripta ſint, judice Tullio, *lib.* 1. *epiſt.* 1. *ad Q. fratrem* hoc tamen non de ipſis rebus in vita & morte ge-

ſtis, ſed de præceptis ethicis ac politicis, quæ ubique interſeruntur, capiendum eſſe judico.

Sequitur temperantia, quæ voluptates in victu & amictu moderatur, ac juſtitia, quæ in tribuendo ſuum cuique verſatur, quarum virtutum prior poſteriorem quaſi parit, quid enim illi alienum concupiſcerent, apud quos nullus divitiarum uſus? ideoque Scythas præ aliis gentibus laudat Juſtinus, lib. 2. cap. 2. & Homerus, Iliad. N. v. 5, 6.

Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων, καὶ ἀγαυῶν ἱππημολγῶν.
Γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

hoc eſt, interprete Ebano: --*gravibus pugnantum cominus armis*
Myſorum, ſoloque Abiorum vivere lacte
Aſſuetæ gentis, quod plenis mulget equarum
Uberibus, quæque innocuam juſtiſſima vitam Tranſigat.

Ammianus Marcell. lib. 23. inter has nationes pene ob aſperitatem nimiam inac-

inacceſſas homines eſſe quoſdam mites & pios affirmat. quæ autem apud galactophagos in cibo & potu eſſet intemperantia? aut quæ inde poſſet oriri injuria? non ſecus ac apud Campanos, ut Cicero diſputat, 2. *Agrar.* nulla erat contentio, quia nullus honor. Non gloriæ, ait, cupiditate efferebantur, propterea quod ubi honos publice non eſt, ibi cupiditas gloriæ eſſe non poteſt: non contentione nec ambitione diſcordes; nihil enim ſuperaret de quo certarent: nihil quod contra peterent: nihil ubi diſſiderent. Hinc illa apud Scythas triſtis in vultu ſeveritas, atque in verbis fides. Anacharſis voluptate fictitia & artificioſa γελωτοποιῶν ad riſum non motus, ſimiæ animalis à natura ad riſum facti conſpectu motus riſit. *Athen. lib.* 14. *cap.* 1. Et Ateas maſcule hæc Philippo ſcripſiſſe fertur. Σὺ μὲν ἄρχεις Μακεδόνων, ἀνθρώπων μεμαθηκότων πολεμεῖν. ἐγὼ δὲ Σκυθῶν, οἳ καὶ λιμῷ καὶ δίψει μάχεσθαι δύνανται. *Tu quidem Macedonibus, viris qui bella gerere didicerunt, imperas: Ego vero Scythis,*

qui cum fame & ſiti pugnare poſſunt. Plut. apopht.

Secunda Philolophiæ practicæ pars eſt οἰκονομικὴ, quæ in tuenda augendaque re familiari verſatur. Vita Scytharum aureo ſeculo proxima. Nulli agrorum, quos non exercent, fines: nec domus illis ulla, nec tectum aut ſedes armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. ut apud Romanos antiquiſſimos, teſte Propertio, lib. 4. eleg. 1.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu,
Pellitos habuit ruſtica corda patres.

quæ veſtium ſimplicitas quantopere veteribus placuerit videre eſt apud Paſchalium de coronis. *lib.* 9. *cap.* 23.

Conjugia quod attinet: galactophagi quidem facultates & uxores communes habuerunt, quod Damaſcenus, libro de moribus gentium, notavit; qua in re idem cum omnis ingenii atque eruditionis principe, Platone ſenſerunt: ideoque inter ſe ſeniores quosvis patres, juniores filios, æquales fra-

tres

tres appellarunt. Thraces autem tres quatuorve uxores ducunt, ac quidam etiam triginta, teſte de politiis Heraclide, quibus tanquam ancillis utuntur. Sicut autem uxores multæ ſunt, ita & ordine quodam per circulum cum iis congrediuntur. Ea quæ marito potitur lavat ei veſtes & miniſtrat. Plurimæ earum, poſtquam eis mariti uſi, humi dormire coguntur. Si quæ indigne id ferret, poterant parentes pretium numeratum refundere, ac filiam domum reducere. pretio enim accepto eas matrimonio jungunt, mortuoque viro, ſicut res aliæ, uxores defuncti hæreditate acquiruntur. De Gothorum & Vandalorum caſtitate, Salvian, *lib. 7. de provid.* Scytharum in parentes pietatis hoc inſigne teſtimonium eſt, apud Valerium Max. lib. 5. cap. 4. quod a Dario interrogati per legatos, quem fugiendi finem, aut quod initium pugnandi facturi eſſent, reſponderunt: ſe nec urbes ullas, nec agros cultos, pro quibus dimicarent, habere. cæterum cum ad parentum ſu-

orum monumenta veniſſent, ſciturum Darium quemadmodum Scythæ præliari ſolerent. quo quidem uno tam pio dicto gens hæc quamvis barbara ob omni ſe feritatis crimine redemit.

Quid domeſtica inter liberos valeat concordia Scilurus & ipſe Scytha, octoginta filiis ſuis moribundus oſtendit in jaculorum faſciculo, quæ ſingula facillime perfracta, colligata autem frangi non poterant.

Reſtat ea philoſophiæ pars quæ in Reip. adminiſtratione conſiſtit. quamvis autem regium apud Scythas imperium eſſet, ingens tamen illis erat libertatis amor, qua in re ſuetum Regibus, quaſi ſine lege modoque dominantibus, orientem longe ſuperarunt. Idathyrſus ſane Ionibus mollitiem animi exprobravit, quod ponte, quo Iſtrum Darius ſtraverat, ſoluto, in libertatem ſe vindicare gravarentur, ἀνδράποδα χρηστὰ καὶ ἄδραστα *mancipia frugi; & aliena a fuga, eos vocando.* Plut. apopht. Legibus quidem carebant, ſed quid illis opus ubi ſponte ſua fides re-

ctum-

ctumque coluntur. Verus Philoſophus cum Ariſtippo ſentit: Ἐὰν πάντες οἱ νόμοι ἀναιρεθῶσιν, ὁμοίως βιώσομεν. *Si omnes leges intereant, æquabiliter vivemus.* talis erat & Antiſthenis ſententia, qui negabat ſapientem vivere juxta leges ab hominibus inſtitutas, . ſed juxta ipſam ipſius virtutis normam. annon leges ſcriptæ ſæpiſſime ſunt inſtar campanæ ſine piſtillo? quoties impune a potentioribus violantur? ut ſumma cum ratione Anacharſis Scytha eas elegantisſime aranearum telis ſimiles eſſe dixerit, in quibus infirmiora animalcula hærent, valentiora perrumpunt. *Val. Max. lib. 7. cap. 2.* huc facit illud Oweni:

Condidimus leges quam multas? quam prope nullas?
Nam ſi ſervetur nulla, quid ulla valet?
Vt leges ſerventur, ad huc Lex unica fiat:
Hæc cito facta foret Lex; cito fracta foret,

Imprimis ad bene beateque vivendum

Scythis profuit vitiorum ignoratio, pluſquam apud Græcos cognitio virtutis. quaſi natura illis hoc dederit, quod Græci longa ſapientium doctrina, præceptiſque philoſophorum conſequi non potuerunt, ut ait Juſtinus, *lib.* 1. *cap.* 2. Profecto nimis accurata mali cognitio offendit animum. Et homo valde gnarus vitiorum ab iis exercendis vix abſtinet. Diligentia Caſuiſtarum, ut vocant, quam in examinandis omnibus peccatorum ſpeciebus impenderunt, eorum etiam quorum vel ſolum nomen aures terret, labor omnino perniciosus fuit, magis ad corrumpendos bonos mores, quam ad inſtruendas conſcientias accommodatus. Sapienter, inquit Cicero, *pro Roſcio* „ *Amer.* feciſſe dicitur Solon, Athe„ nienſium legiſlator ſapientisſimus, „ cum de parricidæ ſupplicio nihil ſan„ xerit, quod antea commiſſum non „ erat, ne non tam prohibere, quam „ admonere videretur. Plane ut in phyſicis laudanda eſt quædam & docta ignorantia. *Neſcire velle quæ magiſter*

maxi-

maximus Docere non vult erudita inſcitia eſt. ut erudite judicavit Joſ. Scaliger. Altitudinem cœli; & latitudinem terræ, abyſſumque & ſapientiam quis perveſtiget? quærit Syracides, cap. 1. v. 3. Salſe Diogenes ad eum qui de meteoris diſſerebat: ποσταῖος πάρει ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. Talium hominum vanitatem tetigit Ambroſius: Philoſophi, inquit, de cœlo diſputantes; quid loquantur ignorant. Sed ad Scythas redeundum.

Dictionis elegantiam in Philoſopho quis admodum flagitet? Græci quidem hac re ſuperbiunt, quibus ingenium & rotundo ore Muſa loqui dederit; ſed & multis eorum garrulitas, & in dicendo vanitas faſtidio fuit. Maſcula autem Scytharum oratio proverbio locum fecit: ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις. qui Dario λακονικῶς nihil aliud quam κλαίειν reſponderunt. Ejus imaginem graphice depingit Curtius. *lib. 7. cap.* 8.

Ineptus vero eſt inter Patres Epiphanius, qui libro primo de hæreſibus, §. 8. poſt barbariſmum, quem regnaſſe dicit ante diluvium, ſucceſſiſſe

ſcribit Scythiſmum, inde a diluvio uſque ad tempora Serugi, & ædificationem turris Babylonicæ, quando cœperit Helleniſmus. Non ſatis convenienter memorantur Scythæ ante Serugum, cum citra dubium Babylonica turri longe ſint poſteriores. Fuerint ſane illo tempore homines, qui Nimrodi, principis ſui, veſtigia prementes, feram, ſævam, & agreſtem vitam duxerint, Scythiſmi tamen nomen huic rei parum idoneum eſt. Barbariſmus & Scythiſmus videntur potius morum corruptioni, quam fidei & religionis accommodari poſſe. Sed & temporum diſtinctio non aliunde hauſta eſt, quam ex male intellecto Apoſtoli loco: Coloſſ. cap. 3. v. 11. *Ubi non eſt Græcus & Judæus; barbarus aut Scythes*. Neque enim Apoſtol. variam de Deo opinionem ſignat: ſed ſolum ait in renovatione Chriſtiana, non meliorem aut deteriorem eſſe conditionem Judæi quam Græci, nec Græci, quam barbari, nec vulgaris barbari quam Scythæ, etſi hic cæteros barba-

barbarie ſuperare exiſtiſnetur.

Quæ porro Scythis de morum feritate, ἀνθρωποφαγίᾳ aliiſque inhumanitatis aſperitatibus objiciuntur, de omnibus omnino capi non debent, cum aliquos hinc excipiat ipſe Herodotus, & ἀνδροφάγους Scythicam nationem eſſe neget, in Melpomene. Terra eorum fuit latiſſima, non mirum ergo ſi alibi aliis, & quidem longe diverſis moribus uſi fuerint. Præterea maximam partem fabuloſa ſunt quæ illis imputantur. ideoque Tauricas fabulas theatris ſuis remiſit Patrum doctiſſimus Tertullianus, *apolog. cap*. 9. Multæ aliæ gentes, quæ ſuam tamen humanitatem, morumque politiem crepant, a tali immunes non ſunt crudelitate. Audiamus Tertullianum, eodem loco:
„ Hæc quo magis refutaverim a vobis
„ fieri oſtendam partim in aperto, par-
„ tim in occulto. Infantes penes Afri-
„ cam Saturno immolabantur palam,
„ uſque ad proconſulatum Tiberii, qui
„ coſdem Sacerdotes in eiſdem arbo-
„ ribus templi ſui obumbraticibus ſce-
„ lerum

„ lerum votivis crucibus expoſuit, te-
„ ſte militia patriæ noſtræ, quæ idi-
„ pſum munus illi proconſuli functa
„ eſt. Sed & nunc in occulto perſeve-
„ rat ſacrum facinus &c.

Nec Græci Scythis ἀκρατοποσίαν aut ebrietatem objiciant, cum & ipſi pergræcari ſæpe ſoliti ſunt, addito ſcilicet ſympoſiis edicto: ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι. Græcorum Bacchanalia deteſtati ſunt ipſi Scythæ, negantes credibile eſſe Deum inveniſſe quo homines ad dementiam adigantur. *Herod. Melpom.* Multa Athenienſium inſtituta non ſine ratione exagitat Lucianus in dialogo, cui titulus Anacharſis, ne ſibi præ Scythis ſapientiæ laudem adſcribant. Multi apud Græcos barba tantum ac pallio philoſophi, veræ ſapientiæ ac virtutis ne hilum habebant. quos ſatyrico aceto perfricat Juvenalis. ſat. 2.

Fronti nulla fides, quis enim non vicus abundat
Triſtibus obſcœnis? caſtigas turpia, cum ſis

Inter

Inter Socraticos notiſſima fama cinædos.
Hiſpida membra quidem, & duræ per brachia ſetæ
Promittunt atrocem animum: ſed &c.

Sed de veterum Scytharum philoſophia ſatis, imo forte plus ſatis.



DISSERTATIO SECUNDA.

DE QUATUOR SUMMIS IMPERIIS.

Qua poſt enarrationem locorum Danielis cap. II. *&* VII. *Zachariæ item; cap.* VI. *oſtenditur, errari plerunque in asſignando initio & fine quatuor monarchiarum: item ante & poſt haſce, etiam ſimul cum illis plures fuiſſe Monarchias.*

CUm Illuſtribus ac Præpotentibus inclyti Comitatus Zutphaniæ Ordinibus placuiſſet, præter ſcholam, quam trivialem vocant, in urbe primaria diu jam florentem, erigere etiam Muſarum domicilium paulo auguſtius, in quo præter linguas, quibus eruditi cenſeri ſolent, Philoſophia etiam cum Hiſtoria Græca & Romana juventuti publice traderentur, quæ illuſtris ſchola vocari ſolet. Reverendo & Literatiſſimo viro, D. Johanni Flen-

Flendero Scholarum trivialium Rectori ſolertisſimo, Logicam cum Metaphyſica, inter quas oſculum homines ſapientisſimi jam olim obſervarunt: mihi vero Philoſophiam practicam, una cum hiſtoriis ac linguis docendam commendarunt. Dies inaugurationi publicæ dictus fuit XI. Kalendas Octob. A. C. cIↄ Iↄc LXXXVI. In frequentisſima virorum doctisſimorum, tum civium tum hoſpitum corona verba fecit vir Nobilisſimus, *Fredericus van der Capellen, Dominus in Boedelhoff, Hagen, Eſſelt, &c. Illuſtris Collegii Ordinum Deputatorum Comitatus Zutphaniæ Præſes*, qui pro ea qua pollet eruditione, dexteritate & facundia, voluntatem Ordinum luculenta oratione expoſuit; quo facto, ego quidem hæc quæ hic vides, dixi. Rev. autem D. Flenderus de officio boni Metaphyſici peroravit.

Oratio habita XI. *Kal. Octob. A. C.* 1686. *in actu publico inaugurationis illuſtris ſcholæ Zutphanienſis.*

Illuſtres, &c.

VEriſſima eſt illa Ebræorum γνώμη, quæ in פרקי אבות ſive, *capitulis Patrum*, antiquiſſimæ & venerandæ eorum ſapientiæ monumentis, legitur: מרבה משיבה מרבה חכמה *multiplicans ſcholas, multiplicat ſapientiam.* Quod effatum, ſi conquiſitis ac exquiſitis rationibus vobis probare vellem, A. H. de veſtro in literas arteſque humaniores affectu ac judicio dubitare, adeoque inſignem vobis injuriam facere merito videri poſſem. *Quod enim munus* (ut Ciceronis utar Verbis) *majus meliuſve adferre reip. poſſumus, quam ſi docemus atque erudimus juventutem? his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita pro lapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda atque coërcenda ſit.*

Ideoque Illuſtres ac Præpotentes hujus comitatus Ordines, aliorum lau-

dabi-

dabilia exempla ſecuti, in hac metropoli non tantum conſtituerunt & hactenus liberaliter ſuſtentarunt ſcholas triviales, bonis & honeſtis legibus decoratas & armatas, in quibus a viris doctiſſimis ac ſolertisſimis, artes illæ, quibus ingenua juventus impertiri ſolet, magna cum laude & fructu traduntur: Sed etiam in hac funeſtiſſima Eccleſiarum & ſcholarum reformatarum in Gallia diſſipatione ac naufragio, tabulas colligere, & auguſtiorem hic Muſis ac Bonæ Menti ſedem, imo ædem dicare, conſervare voluerunt; utque Juventutis conatus majori commoditate ad altiora proveherentur, neve ἀνίπτοις χερσὶ καὶ ποσὶν ad Academica ſubſellia adoleſcentes ruerent, ſed ſeveriore lege ſub oculis parentum ac propinquorum magis proficerent, lectiones publicas de rebus, ad divinas ac humaniores ſcientias pertinentibus, ex hoc loco, haberi ſciverunt, juſſerunt. Hoc autem Profesſionis onus, conſentientibus Ordinum ſuffragiis, nobis duobus, Rever. D. Joh.

Flendero, Scholarum Rectori, mihique impoſitum eſt. Quamvis autem ex gentilium ſuperſtitione binarius numerus infauſtus habeatur: tàmen ex ſapientiſſimi Salomonis oraculo: Meliores ſunt duo quam unus. Æneas Achatem laborum habuit, & curarum ſocium. Nec Diomedes ſolus, nec Ulyſſes ſolus, ſed σύν τε δύ' ἐρχομένω feliciter hoſtium caſtra explorarunt, & Palladium illud, in quo ſpes opeſque Trojanorum ſitæ erant, ſacrato templo avulſerunt, & rapuerunt.

Tum primum Phrygii ſine vi cecidere, ſine armis,
Et meruit jam Troja capi: nec victor Achilles,
Aut Agamemnoniæ tantum potuere Mycenæ,
Nec volvenda dies. ——

Tibi ergo, *Rev. D. Collega Flendere*, rerum Philoſophicarum: Mihi autem hiſtoriarum ac linguarum quæ ad humanitatem ſpectant profeſſio demandata eſt: quæ omnes commune quoddam habent vinculum, & quaſi cognatione

tione quadam inter ſe continentur: ita ut qui unam neglexerit ſimilis ſit illi qui ſcalarum gradus alios tollit, alios incidit, nonnullos male hærentes relinquit, qui ſane ingens ruinæ periculum ſtruit, non aſcenſum parat.

Me profecto quod attinet: equidem, quaſi ex longinqua navigatione littus ac portum mihi proſpicere videbar, utpote in ſcholaſtica palæſtra ſpectatus ſatis, & jam fere rude donandus, cum, ut taceam de laboribus SS miniſterii mihi incumbentibus, eo jam proceſſerim ætatis ut, tanquam alteri Vejanio, armis Herculis ad poſtem fixis, privatis laribus abdito, latere mihi liceret. & ipſa moneta ratio

purgatam crebro mihi perſonat aurem:

Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne

Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Ut verum fatear, animus domeſticis fractus calamitatibus non idem eſt. Fuimus Troës. Sed quoniam Mæce-

natibus noſtris placuit antiquo me includere ludo: quid agam? illis adverſer, qui me nec petentem nec prenſantem, ſed honorifico ſuo de me judicio dicam an affectu moti, huc produxerunt? mihi ſane etiam famæ potius ac exiſtimationis jacturam faciendam, quam illorum voluntati intempeſtive reluctandum judicavi. Interim non ſemel animo meo obverſatus eſt Priamus ille Virgilianus, qui capta jam & ardente Troja, rebus plane deſperatis, tamen

Arma diu ſenior deſueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris, & inutile ferrum
Cingitur, & denſos fertur moriturus in hoſtes.

Sed præfationum ſatis. Ne ergo novum hoc, ſed tamen immortalibus laudum præconiis efferendum inſtitutum ab auſpiciis ſit iners, ante omnia Deum O. M. ex animo veneramur, ut hanc rem, quam in ejus nomine inchoamus, Eccleſiæ, Reip. huic urbi

&ci-

& civibus, nobiſque adeo omnibus & ſingulis bonam, felicem, fauſtam ac fortunatam eſſe velit ac jubeat.

De orationis porro, in hoc celeberrimo actu habendæ, argumento non diu, imo diu deliberandum mihi fuit. Aliis in locis jam frequentatis, ubi quotidie fere declamantes e cathedris audiuntur

Omnia jam vulgata: quis aut Euryſtbea durum,
Aut illaudati neſcit Buſiridis aras?
Cui non dictus Hylas puer? & Latonia Delos?
Hippodameque? humeroque Pelops inſignis eburno
Acer equis? ——

Hic autem nobis prima tentatur via, in vacua venimus, ideoque nihil ab aliis præceptum præreptum atque occupatum, quo ipſo tamen inopes nos copia fecit. Ut in cœna dubia, & opipara ubi varius eſt & affluens apparatus, jure merito dubites quid ſumas potiſſimum. Tandem tamen ab hoc loco & tempore non alienum fore ju-

dicavi, ſi de celebratiſſimis illis quatuor in orbe terrarum Monarchiis hinc ad vos verba fecero.

In hujus autem orationis limine tanto magis enixe favoris veſtri, A. H. ac benevolentiæ aura mihi exoranda eſt, quam tamen vos mihi non negaturos eſſe, quæ veſtra eſt humanitas, tanto certius mihi perſuadeo, quanto hæc mea, quam defendo, ſententia a vulgari Theologorum, Hiſtoricorum ac Chronologorum opinione diſcedit longius.

Sunt quædam ψευδοδοξίαι ἐπιδημικαὶ non tantum in Phyſicis et Philoſophia practica, ſed etiam in hiſtoriis & chronologia, quæ præjudiciorum radices tam alte in multorum hominum animis egerunt, ut vix ac ne vix quidem inde evelli penitus atque eradicari poſſint: quas inter et hæc non ſane minima eſt. Numerant ſcil: quatuor tantum Monarchias, inchoando eas non longo poſt univerſalem cataclyſmum tempore, ab ædificatione turris Babylonicæ, aut Nimrodo Noachi pronepote, vel

vel Nino aut Semiramide; terminando autem in ultima hujus ſeculi conſummatione. Ego, quamvis floruiſſe olim quatuor illas Monarchias non negem, nego tamen illas fuiſſe ſolas, adeoque chronologos in harum initio præſertim ac fine aſſignando non leviter hallucinari paucis demonſtrabo clariſſime. Operæ pretium autem erit prius ἀνασκευαστικῶς argumenta, quibus illi nituntur examinare, quam ad noſtram ſententiam probandam accedamus.

Quænam autem quatuor illa ſumma Imperia fuerint, non una tum veterum, tum recentiorum fuit opinio. Paulus Oroſius S. Auguſtini auditor, *lib.* 2. hiſtoriarum adverſus paganos, *cap.* 1. Perſarum imperium omittit, recenſens Babylonicum, Macedonicum, Africanum, Romanum. eademque dicit ineffabiliore ordinatione per quatuor mundi cardines, quatuor regnorum principatus fuiſſe, diſtinctis gradibus eminentes; ut Babylonicum regnum ab Oriente,

a meridie Carthaginenſe, a ſeptentrione Macedonicum, ab Occidente Romanum: quorum inter primum et novisſimum, id eſt, inter Babylonicum & Romanum, quaſi inter patrem ſenem ac filium parvum, Africanum & Macedonicum brevia et media, quaſi tutor curatorque venerunt, poteſtate temporis, non hæreditate juris admiſſa.

Recentiores aliqui, cum in tribus prioribus Monarchiis, Babylonica, Perſica, Macedonica cum aliis ſentiant, quartam tamen non putant eſſe Romanam, ſed Seleucidarum et Lagidarum, ſive ſucceſſorum Alex. Magni. qua ratione ultima illius quaternionis pars ad mundi finem extendere ſe nullo modo poteſt. Vulgatisſima autem ſententia ſumma illa Imperia ponit hæc quatuor: Aſſyriorum ſive Babyloniorum, Perſarum, Græcorum et Romanorum, atque his omnium temporum hiſtoriam, inde a diluvio et ædificatione turris Babylonicæ, uſque ad finem mundi complecti volunt

et cir-

et circumſcribere. Hanc ſententiam ex tribus præſertim ſacrarum literarum locis probare conantur, quorum duo in Vaticiniis Danielis, tertius in Zacharia legitur.

Primus ergo locus Danielis, *cap.* 2. recitatur: Scilicet: Nabuchodonoſor, Babyloniorum Rex potentiſſimus, per ſomnium vidit ingentem ſtatuam, cujus caput erat *aureum*: pectus una cum brachiis *argenteum*: venter et femora ex *ære*: crura *ferrea*, pedum pars aliqua ferrea, pars autem *fictilis*. tandem lapis ex monte ſine manibus revulſus, cum totam ſtatuam in minutiſſimum pulverem redegiſſet, effectus eſt mons magnus, qui totum terrarum orbem implèvit. Ex quo ſomnio Poëtæ, quibus ut pictoribus, quidlibet audendi poteſtas magna ſemper fuit, quatuor illas mundi ætates ſuaviter ſomniaverunt, ſcilicet: auream ſub Rege Saturno, argenteam ſub Jove, poſtea æneam, ac tandem ferream. Mythica enim gentilium Theologia ex ſacrarum hiſtoriarum fragmentis et ortum et incremen-

tum cepit. Nos ad ſomnium regium revertimur. Expergefactus Rex cum valde eſſet attonitus, convocatis ariolis et divinatoribus mandat, ut quale fuiſſet ſomnium explicarent, ni facerent, capitis poenam denuntiat. Ea re cognita, Daniel adoleſcens, qui cum reliquis captivus eo deductus fuerat Hieroſolyma, ſe Regis deſiderio ſatiſfacere poſſe nuntiabat: Productus incipit, et primo quidem quid ſomniarit Rex oſtendit, deinde quid ſibi velit ſomnium interpretatur, et ſtatuam illam ſignificare dicit quatuor regna ſibi ſucceſſura, cujus caput *aureum* ipſe Nabuchodonoſor, quem Deus O.M. ſumma potentia ornaverat atque gloria, cui imperium in omnes homines, & in beſtias agri, volucreſque cœli dederat. Poſt hunc regnum aliud oriturum erat *argenteum*, videlicet: *Auro deterius, fulvo pretioſius ære.*

Tertium quidem *aneum*, longe lateque dominaturum: quartum vero *ferreum*. nam ſicut ferrum comminuit & perdomat omnia; ſic etiam hoc re-

gnum

gnum reliqua omnia confringet, ſibique ſubjiciet. Lapis autem ex monte ſine manibus revulſus, notat illud regnum quod Deus O. M. per univerſum orbem excitaturus eſſet, a nullo vel potentiſſimo deſtruendum, alia regna comminuturum conſumturumque, ipſum autem in ſecula ſeculorum perennaturum. Alter in Daniele locus legitur *cap.* 7. Vidit Vates quatuor animalia grandia e mari aſcendentia. Primum ſimile *Leoni*, habens alas aquilinas, quibus evulſis illud e terra ejectum eſt, atque in pedes erectum hominum ritu, menſque humana illi data eſt. Secundum ſimile *Urſo*, habens tres dentium ordines, cui poteſtas carnes devorandi data eſt. Tertium *Pardo* ſimile, habens quatuor alas, & quatuor cornua. Quartum autem *longe a reliquis diverſum*, formidabile & terrificum, eximie robuſtum, habens grandes ferreos dentes, vorans, diminuens, reliqua pedibus proculcans, decem cornibus præditum ac armatum. Inter quæ aliud parvum cornu

succre-

ſuccrevit, tria autem e prioribus evulſa ſunt, & fuerunt in iſto cornu velut oculi hominis, & os loquens grandia. tum poſitis ſubſelliis antiquus dierum multis angelorum millibus ſtipatus progreditur ad judicium, librique aperti ſunt, &c. Hæc fere quatuor Monarchiis, & Turcarum imperio, ex quarta enato, applicantur. quæ elegantiſſimis verſibus Poëta Germanus breviter ſic complexus eſt:

Regna vide quatuor ſub imagine picta ferarum,
Scilicet Aſſyrios vult fera prima Duces.
Altera Perſiacis eſt aſſimilata Monarchis,
Tertiaque imperio, Græcia magna, tuo.
Quarta refert veſtros Latialis turba Tyrannos
Bellua, Romanum qui tenuere ſolum.
Illius exiguum cornu ſub fronte renatum,
Fallor? an hoc duros indicat eſſe Getas?

Quæ

Quæ facies, vultuſque feræ, quæ lingua, minæque?
Quales blaſphemos, quos jacit ore, ſonos?

Tertius locus eſt in Zacharia, *cap.* 6. Vidit Propheta quatuor quadrigas, de medio duorum montium egredientes. In prima quadriga erant equi *Rufi*, in ſecunda *Nigri*, in tertia *Albi*, in quarta *varij & quaſi grandine adſperſi.* Quid autem hæc ſibi velint Angelus explicat: Sunt quatuor venti cœli, egredientes de loco ubi ſteterant coram Domino totius terræ. Hæc autem de quatuor Monarchiis ſic capi ſolent: Quadriga prima notat Imperium Babyloniorum, qui multum ſanguinem effuderunt, ideoque illis equi Rufi tribuuntur. Horum in viſionis expoſitione Angelus non meminit, quia illius Monarchiæ tempus jam præterierat, & Cyrus ἀξίωμα illud ad Perſas tranſtulerat: poſt quæ tempora vaticinatur Zacharias, imprimis ſub Artaſaſtha, ſive Artaxerxe Logimano, & Dario Notho, ſub quibus ædificatio templi Hiero-

Hieroſolymitani primo quidem ſuffla-minata, deinde autem rurſus manda-ta & continuata eſt. Secunda quadri-ga eſt Imperium Perſarum et Medo-rum, Equi autem Nigri metum no-tant & horrorem quem incuſſerunt Ju-dæis. Tertia eſt Macedonum, cui junguntur equi Albi, qui manſuetudi-nem notant. Alexander enim M. oc-cupata Tyro & Gaza Phœniciæ urbi-bus, Judæam ingreſſus eſt iratus, quod Judæi contra Reges Perſicos, propter accepta ab illis beneficia, nihil ſe mo-turos ſignificaſſent. Verum Hieroſo-lymis appropinquanti occurrit, noctu antea oraculo monitus, Iaddus ſum-mus Pontifex, venerabili Sacerdotum ac Seniorum comitante choro, & qui-dem veſtibus ſacris, quod alias extra ſacram λειτυργίαν nefas erat, induto. Alexander ſubito mutatur iram in cle-mentiam vertit, de equo deſcendit, Pontificem ſalutat, pacem promittit, tributa ab Ocho Perſarum Rege impo-ſita remittit, Samaritanos Judæis mo-leſtos compeſcit. Hæc autem ut face-

ret

us ſe monitum eſſe fatebatur.
id de Attila Hunnorum Re-
occurrente Leone I. Papa
hiſtorici. Ultima quadriga
um eſt: Equi autem maculis
adſperſi varia Impp. Roma-
genia notant. ſub quibus va-
fuit Judæorum fortuna ac

argumentis quamvis aliquid
nario Monarchiarum nume-
di poſſit, tamen ne fidiculis
hoc extorquebitur, quod de
tio & fine vulgo tradunt.

------m enim Danielis locum quod attinet: initium ſane primæ Monarchiæ in illo non ponitur Nimrodus, Ninus, Semiramis, ſed ipſe Nabuchodonoſor, diſertis verbis dicente Vate: *Tu, o Rex, es caput illud aureum.* Et quid quæſo vaticinatus eſſet Daniel de rebus jam diu præteritis? Finis autem ponitur non in conſummatione ſeculi, ſed in natalibus Soſpitatoris noſtri Jeſu Chriſti, & conſecuta propagatione Euangelii per to-

tum

tum terrarum orbem. Hic enim eſt ille lapis, qui ſine hominum manibus, id eſt, abſque virili opera carnem noſtram induit, cujus regnum non intra anguſtos Judææ limites, ſed iiſdem, quibus ſolis curſus, regionibus ac terminis continetur: quod ſtatim ſub initiis οἰκονομίας Novi Teſt. cœpit βιάζεσθαι, & fulguris inſtar exire quidem ex Oriente, apparere autem uſque in in Occidentem. In omnem terram præconii Euangelici ſonus tranſiit. Interim Deus & huic Regi Nabuchodonoſori, & Judæis ſignificare voluit illa regna, ſub quorum umbra ac tutela, Eccleſiæ ſuæ ſub Veteri Teſtam: in patriam ex Babylonica captivitate reductæ, hoſpitium aliquod concedere voluit: quorum primum Babylonicum potentiſſimum, atque adeo aureum ſub Nabuchodonoſore, Evilmerodacho, Belſazare. Secundum minus, argenteum ſcilicet, in Cyro, Cambyſe, reliquiſque Perſarum Regibus. Tertium ſub Alexandro M. & fortaſſe etiam ſub ſucceſſoribus ejus. Quartum

Romanum, niſi ad Seleucidas & Lagidas referre malueris; nam & illis conveniunt quæ de pedibus luteis et ferreis dicuntur. Syriæ enim & Ægypti Reges, ſæpius inter ſe connubiis &; affinitatibus conjuncti, nullam tamen inde pacis ſoliditatem ac conſtantiam eſſe conflatam, & hic ipſe Daniel, *cap.* XI. et alii hiſtorici tradunt. Sicut etiam nulla ſtabilis fuit apud Romanos concordia, quamvis Pompejus Juliam Cæſaris filiam uxorem duxiſſet, qua viva pax licet infida & dubia, aliqua tamen ſervata eſt: verum ſimul hæc ad plures ivit, illico rauco ſtrepuerunt cornua cantu, & ſecuta ſunt infelicia illa & funeſtisſima

Bella per Æmathios plusquam civilia campos.

Joh. Bodino interim nihil commodius videtur, quam hæc omnia de una Babylone interpretari, quæ cum in poteſtatem Medorum, Perſarum, Græcorum & Parthorum perveniſſet, ſæpius capta, labefactata, vaſtata; & tandem aliquando penitus everſa eſt.

Pergo ad alterum Danielis ὅραμα, quatuor illa animalia exhibens. Sed neque hoc vel tantillum ſtatuminandæ huic ſententiæ confert. Merito enim dubitari poteſt, num eadem quatuor imperia, per ſtatuam Nabuchodoſoris ſignificata, etiam hac viſione præmonſtrata fuerint. Aperte enim, *verſu* 17. de futuro tempore ſermo eſt, regnis ſcilicet *ſurrecturis* ſuper terram. quomodo ergo una ex illis beſtiis prænotare potuit regnum Aſſyriorum ſive Babyloniorum? quod non modo dudum ante ſurrexerat, ſed etiam ex parte, videlicet Aſſyriaca, jam plane erat extinctum, ex parte vero altera, Babylonica ſcilicet, brevi poſt prorſus extinguendum.

Quapropter non ſine ratione conſiderandum relinquunt chronologi, num forte quarta beſtia ſignifacare poſſet regnum Turcarum, ſive Muhammedanorum, unde horrendæ blaſphemiæ, & perſecutiones in eccleſiam Dei, & ſanctos locorum excelſiorum orituræ eſſent. Pontificii Antichriſtum hinc aliquan-

liquando proditurum ſomniant, quem in ſua ſynagoga jam natum ac revelatum eſſe non vident. De his autem quæ futura ſunt, quæque Pater in ſua poſuit poteſtate, quis divinare valeat? Ad Harpocratem et Angeronam.

Sic ergo hæc controverſia ad tertium ex Zacharia locum, tanquam ad triarios, rediit. Verum in hoc nihilo plus præſidii eſt, quam in prioribus. Primum enim de harum Monarchiarum initio hinc nihil concludi poteſt, nihil ſaltem de Nimrodo, Nino, aut Semiramide, quia Angelus viſionis interpres primam quadrigam negligens ne γρῦ quidem de illa. Deinde autem de fine mundi poſt ultimam ita ſecuturo, ut nullum regnum ſit medium, altisſimum ſane eſt ſilentium.

Superſunt quædam levioris armaturæ copiæ, quas etiam facile difflabimus. Abarbaniel, Judæorum magni nominis Magiſter, aliud argumentum excogitavit ex vaticinio Joelis, quatuor Monarchias exſculpens ex quatuor plagis propoſitis, גזם חסל ילק ארבה

hoc eſt, Eruca, Locuſta, brucho, robigine. quia ab illis populis, tanquam a noxiis animalibus Urbs & templum vaſtata ſint. *En cor Zenodoti! en jecur Cratetis?* Annon Cyrus aliique Perſarum Monarchæ, annon Alexander M. templum & urbem reſtituerunt, & ornarunt? Cur ex decem plagis Ægypti non totidem Monarchias ſibi ſomniavit? quibus major videtur ſubeſſe ratio conſequentiæ, afflictis enim Ægyptiis Deus O. M. populum Iſraëliticum ex tyrannica ſervitute liberavit.

Sed fortaſſe in numero quaternario aliquis hoc ingens quæret myſterium. Fateor Pythagoram ejuſque aſſeclas hunc numerum magni feciſſe, imo per eum juraſſe: Μὰ τὴν τετράδα. Item:

Ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν
Παγὰν ἀενάου φύσεως.

Næ per quaternionem noſtræ animæ tradentem
Fontem perennis naturæ.

Ideoque hunc numerum appellitaverunt ἀναπληρωματικὸν, ambitu ſuo complecten-

plectentem unitatem, ſimilem puncto; binarium ſimilem lineæ, hoc eſt, longitudini ſine latitudine; ternarium ſimilem ſuperficii, hoc eſt, longitudini cum latitudine: denique ſeipſum, ſimilem corpori, hoc eſt, longitudini cum latitudine et profunditate. In Pythagoricorum philoſophia hic numerus fuit Α & Ω, prora et puppis, ut qui virtute ſua includat denarium, perque hunc Centenarium, & per eum Millenarium, cubus qui audit æternitatis. Intelligebant autem vel animæ humanæ perfectionem, quam deſignaſſe videntur per tetragonum rectangulum compoſitum harmonice ex unitate, binario, ternario, & quaternario: Vel, bonitatem, incorruptionem, immortalitatem, incommunicabilitatem, quæ quatuor ſubſtantialiter ſunt in Deo: Vel denique, ipſum nomen τετράγραμματον יהוה quod ſoli Deo proprium, ſacroſanctum atque ἀνεκφώνητον eſt Judæis, inter quos Pythagoras eſt peregrinatus, eorum ſacris, ut quibuſdam placet, per circum-

 ciſi-

ciſionem initiatus, & צדק גר proſelytus juſtitiæ factus. Verum enimvero cur hic numerus majora & plura myſteria contineat quam ternarius? quo ipſe Deus gaudet, cujus encomia eleganti grypho celebravit Auſonius. Hic duplicatus conficit ſenarium, in quo multa, propter primævæ creationis ἑξαήμερον myſteria vidit Auguſtinus lib. XI. de Civ. Dei, cap. 30. quid dicam de ſeptenario? hic præ aliis omnibus numen quoddam habere viſus eſt, ut liquet Septentrionum, Planetarum, ſepticollis Romæ, miraculorum mundi, ſeptem eccleſiarum in Aſia minore, Sapientum Græciæ, oſtiorum Nili, ſeptem artium liberalium, ſeptem Græcarum vocalium, ἑπταφωνίας Muſicæ, anni climacterici, aliarumque rerum infinitis exemplis, ut Poëtarum princeps non temere dicat: *O terque quaterque beati,*

Queis ante ora Patrum, Trojæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere,

& ipſe Spiritus S. ab antiqua eccleſia,

ut

ut *ſeptiformis munere* celebratur. Octonarii perfectio in proverbium abiit, ἀπαντοκτώ. Novenarii vim ſentiunt animę Novendialibus placandę, quas ſcilicet *novies Styx interfuſa coërcet*. Præcipue vero denarius

—— numerus magno tunc in honore fuit.

Seu quia tot digiti per quos numerare ſolemus,

Seu quia bis quino fœmina menſe parit.

Seu quod ad uſque decem numero creſcente venitur,

Principium ſpatiis ſumitur inde novis.

Hoc quidem apud omnes in confeſſo eſt:

Pondere, menſura, numero Deus omnia fecit,

quaternarii autem præ aliis privilegium nullum eſt, quamvis paradiſus terreſtris quatuor fluminibus fuerit rigatus, quamvis collegialiter ſe ſiſtant quatuor prophetæ Majores in Veteri Teſt: & totidem Euangeliſtæ in No-

Chriſti eſt, uncti in Regem Sionis, cujus regnum ſub N. T. nulli loco alligatum eſt. Artes autem et ſcientię humanę, in quibuſvis gentibus, quamvis Romanis Græciſque barbarę viderentur, ab omni ævo excultę fuerunt, ut in Ægyptiis, Chaldæis, Perſis, Indis, Sinenſibus manifeſtum eſt. Videamus tantum annon plures ejuſmodi dignitatis ac potentię ſtatus in orbe terrarum fuerint. Ante omnia hic caſtigandus eſt eorum error, qui Aſſyriorum regnum cum Babylonico imperite confundunt. Aſſyriacum enim imperium ante periiſſe vel e ſolo Ezechiele liquet, *capp.* 31. & 32. ubi Aſſyrios inter devictarum projectarumque gentium exempla numerat. Nam veriſſime equidem addiderim ne comparandam quidem Aſſyriorum potentiam cum illa quam deinde alii populi poſſederunt. Ante Phulem enim, ejuſque filium Tiglath-phulaſſârem, quo loco habebimus Aſſyriaca illa voluptatum mancipia? quorum vel nomina ægre a perpetuis tenebris vindicavit Euſebius.

ſebius. Secus quam vulgus ſcriptorum ſolet de Aſſyriis judicat Herodotus, eoſque quingentis ſaltem annis ſuperioris Aſię tenuiſſe imperium memorat, & quinta ætate, hoc eſt, centum quinquaginta annis antiquiorem facit Nitocri Semiramidem, quę Nitocris Labyniti a Cyro devicti mater fuit. Quantas interim Ægyptiorum, quantas Arabum, quantas Palæſtinorum, Tyriorum, Æthiopum, Syrorum opes divina produnt monumenta? Et hi omnes ante Nabuchodonoſorem floruerunt. Non ſine piaculo hic omitteremus Hebræos, qui ſpreta & rejecta θεοκρατείας a Saule ad ſtatum Monarchicum redacti ſunt, deinde autem ſub Davide, ac potisſimum ſub Salomone longe lateque dominati ſunt, omnibuſque circa populis terrori fuerunt, qui horum majeſtatem comiter agnoſcere ac colere coacti ſunt.

Stantibus porro ac vigentibus his quatuor Monarchiis nonne fuerunt & alię non inferiores? quantæ Arabum, Parthorum, Scytharum vires? quam-

vis enim ſcriptorum monumentis illorum res domi militiæque geſtę non adeo celebratę ſint, tamen

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes illacbrimabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia Vate ſacro.

Babylonii Aſiam egreſſi non ſunt. An ergo nullę Monarchię in Europa & Africa? Imperii Perſici fundator Cyrus Maſſagetarum ſenſit Monarchiam a fœmina victus, poſt mortem ſanguinem bibit, cujus inſatiabilis fuerat vivus. Darius Hyſtaſpis filius Scythas non impune laceſſivit. Xerxes Europam infelici tentavit eventu, qui Helleſpontum ponte junxerat, compedes mari injecerat

Hic qualis rediit? nempe una nave, cruentis
Fluctibus, & tarda per denſa cadavera prora.

In Græcia viros Leonidam, Themiſtoclem alioſque heroas invenit. Coi inſulani Dario & Xerxi terram & aqua petentibus denegarunt: Spartani

ni eorum legatos idem petentes in puteum præcipitarunt, ut ibi invenirent quod poſtularant.

Venio ad Alex. M. ſed et eo tempore mundus plures Soles habuit:

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis,
Æſtuat infelix anguſto limite mundi,
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Seripho.

Sed utrum ultra Indiam in Chineſium regionem penetraverit.

Hiſtorici certant, & ad huc ſub judice lis eſt.

Germani autem quanti eum fecerint ex maſculo eorum reſponſo conſtat. Alexander potentia ſua inflatus, eam maxime omnibus formidabilem putans, ab ipſis audivit, ſe nihil magnopere timere, niſi forte ne cœlum in ipſos rueret: ringente interim Alexandro.

Pergimus ad *Romanos rerum Dominos, gentemque togatam.*

Maximam horum potentiam in majus extulerunt ſcriptores, Poëtę præſertim, aut aſſentandi, aut ingenii oſtentandi cauſſa. His ſcilicet Jupiter

nec

viſ enim ſcriptorum monumentis illorum res domi militiæque geſtę non adeo celebratę ſint, tamen

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: ſed omnes illacrimabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia Vate ſacro.

Babylonii Aſiam egreſsi non ſunt. An ergo nullę Monarchię in Europa & Africa? Imperii Perſici fundator Cyrus Maſſagetarum ſenſit Monarchiam a fœmina victus, poſt mortem ſanguinem bibit, cujus inſatiabilis fuerat vivus. Darius Hyſtaſpis filius Scythas non impune laceſſivit. Xerxes Europam infelici tentavit eventu, qui Helleſpontum ponte junxerat, compedes mari injecerat

Hic qualis rediit? nempe una nave, cruentis
Fluctibus, & tarda per denſa cadavera prora.

In Græcia viros Leonidam, Themiſtoclem alioſque heroas invenit. Coi inſulani Dario & Xerxi terram & aquam petentibus denegarunt: Sparta-

ni eorum legatos idem petentes in puteum præcipitarunt, ut ibi invenirent quod poſtularant.

Venio ad Alex. M. ſed et eo tempore mundus plures Soles habuit:

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis,
Æſtuat infelix anguſto limite mundi,
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque
Seripho.

Sed utrum ultra Indiam in Chinenſium regionem penetraverit.

Hiſtorici certant, &c. adhuc ſub judice
lis eſt.

Germani autem quanti eum fecerint ex maſculo eorum reſponſo conſtat. Alexander potentia ſua inflatus, eam maxime omnibus formidabilem putans, ab ipſis audivit, ſe nihil magnopere timere, niſi forte ne cœlum in ipſos rueret: ringente interim Alexandro.

Pergimus ad *Romanos rerum Dominos, gentemque togatam.*

Maximam horum potentiam in majus extulerunt ſcriptores, Poëtę præſertim, aut aſſentandi, aut ingenii oſtentandi cauſſa. His ſcilicet Jupiter

nec

nec metas rerum, nec tempora poſuit; Imo, Imperium ſine fine dedit ideoque

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua tellus, qua ſidus currit utrumque.

Item: *Gentibus eſt aliis tellus data limite certo,*
Romanæ ſpatium eſt urbis & orbis idem.

Florentiſſimum ſane hoc imperium fuit, præſertim ſub Trajano, neque antea majus extitit, & poſtea ſemper immunitum eſt, ut videre eſt ex Appiano & Sexto Rufo, qui Trajani temporibus ſcripſerunt. Termini fineſque imperii cum maximum & in culmine ſuo, ſub Auguſto, ab Oriente Euphrates; a Meridie Nili cataractæ, & deſerta Africæ, & mons Atlas; ab Occidente Oceanus; a ſeptentrione Danubius & Rhenus. Poſteri regna aliquot adjecerunt. Britannias Jul. Cæſar, Claudius, Adrianus, Sept. Severus in ipſo Oceano intrarunt.

rant. Trajanus autem imprimis ab Oriente Arabiam, Armeniam, Meſopotamiam, a ſeptentrione, lapideo ponte ſupra Danubium ſtructo, Daciam ſubegit, & de Rege Decebâlo triumphavit. Sed an Romani ſoli dominati ſunt? An non imperium Parthicum floruit in Oriente? An non Babylon ſuperba tropæis

Auſoniis? umbraque erravit Craſſus
inculta?

Quid Naſo, apud Pontum Euxinum exul? ubi ſine adulatione canit

Maxima pars hominum nec te, pulcherrima, curat
Roma, nec Auſonii militis arma timet.

Quam late patet Sinenſium imperium? quod anno ante natum Chriſtum 221. per Xium in unum corpus redactum, ab eo tempore & deinceps conſtantiſſime floruit: Hoc, ut neque Indiam nunquam tentarunt Romani. In Europa fatalis Rom. Imperii limes fuit Rhenus. Nunquam Germaniam perdomuerunt Romani. Quam maſcula et vere

Ger-

Germana Arioviſti Regis Vox ? Cum Cæſaris legati dicerent : Veni ad Cæſarem : *Quis autem eſt Cæſar ? &, ſi vult, inquit, veniat, &, quid ad illum quid agat noſtra Germania ? num ego me interpono Romanis ?* Quantam cladem populo Rom. intulit Arminius Cheruſcorum Dux fortisſimus. Prælium commiſſum eſt in Weſtfalia, in agro Paderbornenſi nomen campo inditum eſt, hodieque **Winfelt** dicitur, ubi Arminio tropæum poſuit Ferdinandus tum Paderbornenſis, poſt etiam Monaſterienſis Epiſcopus, qui quamvis a ſacris noſtris alienus, magnus tamen fuit artium liberalium patronus, & eruditorum fautor ac Mecænas. Cæſę ſunt tres legiones cum ipſo Duce Varo, legatis, et auxiliis. qua clade nuntiata Auguſtus excubias per urbem indixit, ne quis tumultus exiſteret. & Præſidibus provinciarum propagavit imperium, ut et a peritis et aſſuetis loci continerentur. Vovit et Jovi magnos ludos, ſi Remp. in meliorem ſtatum convertiſſet, quod fa-

ctum

ctum Cimbrico, Marſicoque bello fuerat. Adeo eum conſternatum ferunt, ut per continuos menſes, barba capilloque ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quinctili Vare, legiones redde.* diemque cladis quotannis mœſtum habuerit ac lugubrem. Fuerunt ergo uno & eodem cum illis imperiis tempore etiam aliæ Monarchiæ, quibus illud ἀξίωμα nullo modo negari aut adimi poteſt.

Sed illud omnes abſurditatis numeros ſuperat, quod Imp. Romanum ad finem uſque mundi extendunt, adeoque nullas, poſt illud Monarchias admittunt. Deſiit enim, deſiit, et jam dudum extinctum eſt toto orbe clariſſimum olim Imperium Romanum.

Fuit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ, ferus omnia Jupiter Argos Tranſtulit.

Ultimus Romanorum Impp. fuit Auguſtulus, cujus tempore, ſcil: A. C. 475. Odoacer Rugus, cum ingenti manu Herulorum ac Scyrorum ex Pannonia Italiam invadit, Oreſtem

Patricium Rom. qui Papiam cum ſuis copiis ſe receperat, capit et occidit, oppidum diripit & incendit: progreſſus omnem regionem Romam uſque occupat. Auguſtulus, animo fractus, imperium ſponte deponit; Odoacer urbem ingreditur, & Italię regnum adeptus, per 14. annos, nullo reſiſtente, præfuit. Sic ergo Imperium Rom. quod ἀκμὴν ſuam in Octaviano Auguſto habuit, in hoc Auguſtulo, quaſi nomine fatali, quod et in aliis regnis obſervatum eſt, expiravit, nec unquam convaluit. Gothi, Longobardi, Vandali, Heruli, Hunni, Gepidæ, Galli, aliæque nationes feræ & barbaræ, ita illam terrarum Deam gentiumque Romam, diripuerunt, everterunt,

Vt Romam in media quærat novus advena Roma,
Et Romæ in Roma nil videat media.

Primum vulnus illi inflictum eſt a Conſtantino M. qui, ut hoſtibus melius reſiſteret, Imperii ſedem Byzantium in

Thra-

Thraciam tranſtulit, eamque urbem exuviis Veteris Romę ornatam νέαν Ῥώμην dici voluit; uſus tamen obtinuit, ut de ejus nomine Conſtantinopolis diceretur. *Ex illo fluere, & retro ſublapſa referri*
res Romę antiquę. Nullum enim jam ſupereſt Romanum Imperium. per Aſiam ne veſtigium quidem, aut latum unguem, ut in proverbio eſt, habet. occuparunt omnia Turcę, Scythę, aliique Chriſtiani nominis hoſtes. Africa tota amiſſa eſt. Avulſa eſt Hiſpania, Luſitania, Gallia, Britannia, Dania, Sarmatia, Pannonia, Illyricum, Græcia tota cum vicinis regionibus: adhæc Sicilia, Sardinia, Corſica, Baleares inſulæ, Allobroges, quæ quidem provinciæ poſt Monarchiam Rom. ſuos habent Dominos & Monarchas, qui plenam in omnibus poteſtatem obtinent. Videamus nunc Italiam, priſcum & avitum ac primum Imperii Rom. patrimonium: Calabriam, Apuliam, Campaniam, Neapolim avita ſucceſſione tenent Hiſpania-

rum Reges. Urbem Romam Cæſarum domicilium atque ſedem, agrum Picenum, Flaminiam, & Hetruriæ partem occupat ille qui

Oraclo vocis mundi moderatur habenas,
Sed falſo in terris creditur eſſe Deus.

Quid? an hic non videtur vobis aliam & quidem diverſam erexiſſe Monarchiam? legatur tantum Bellarmini Jeſuitæ *liber*, 5. *de Pont. Rom.* in quo de temporali ejus poteſtate diſputat. Videbitis in hac beſtia poſteriori prioris imaginem revixiſſe, cum omnem prioris poteſtatem exerceat; imo Regum & Imperatorum colla ſuperbo pede premat, & efferat ſe ſupra omnem quod dicitur Deus aut Numen. Hoc fieri non potuit vigente Imperio Romano, cujus abſceſſio, in decem Reges diſperſa, Antichriſtum ſuperductura erat, ut ex Paulo & Johanne docet Tertullianus. Ejus ergo revelatio imperium illud fuiſſe, & non eſſe amplius abunde docet. Quæ præterea

ſunt

ſunt in iis locis potentiores civitates, aut ſuos habent Regulos, aut factionibus ſunt addicti. Jam Veneti, quam poſſident egregias non ſolum urbes & muncipia, ſed etiam provincias, ipſi interim liberrimi. Longobardia fluctuavit diu: poſtquam enim primo Vicecomites, deinde Duces ibi conſtituti ſunt, miſere dilacerata fuit. Eam Sfortiarum occupavit familia, quam deinde Galliæ Reges Ludovicus XII. & Franciſcus I. ejecerunt, Carolus autem V. eam ſibi vindicavit, cujus poſteri, Hiſpaniæ Reges, eam hodieque poſſident. Poſt extinctum ergo Imperium Rom. ex ejus ruinis plurimæ aliæ Monarchiæ enatę, quarum quæque propriam ſibi prę aliis ὑπεροχὴν arrogavit. Gallię Rex qui Chriſtianiſſimus audit, quem parem agnoſcet? Quid ante ſeculum agitarunt Hiſpaniarum Reges, de quorum Monarchia ſcripſit Thomas Campanella, monachus Dominicanus: de hac adornanda, cum apud Imperatorem Rudolphum II. verba faceret Mendoza Re-

gis Hiſpani legatus, qui, podagra laborans, ſella in oratorium erat illatus: Imperator rerum abſurdarum ab ipſo propoſitarum impatiens gladium ſtrinxit. Mendoza autem, quamvis podagricus, fuga ſibi conſulere coactus eſt. Rudolphus autem *Podagræ Medicus* per jocum dictus eſt. Non detinebo vos A. H. vaniſſimis fanaticorum quorundam de quinta Monarchia ineptiis, nec Michaëlis Sendivogii de nova Monarchia Boreali, in qua omnia pro votis ſucceſſura ſint, nugis ac ſomniis, quæ ipſo rerum eventu ſatis ſunt refutata.

Sed, dicetis, ſupereſſe tamen Germaniam, quæ a Carolo M. collecta & in unum corpus redacta, facta eſt Cæſarum domicilium & ſedes, quod tum ex titulo Imperatoris Romani ſemper Auguſti, et inſignibus Aquila ſcilicet, et quidem bicipite, ſatis appareat. Verum, A. H. non dicam quo jure Carolus M. imperium obtinuerit: Utrum illa dignitas auctoritate Leonis III. P. R. a Græcis ad Francos fuerit

tranſ-

tranſlata; an vero jure belli hanc ſibi acquiſiverit, ac deinde amica tranſactione cum Nicephoro Imp. Conſtantinopolitano ſtabiliverit ac poſſederit? Solimannus jactavit ſe Conſtantini M. ſucceſſorem eſſe. Hoc tantum dico; Germanis hodie miſerum ſolum imo ridiculum ſupereſſe nomen, ſine ulla vel tenuisſima ipſius rei umbra. titularis eſt Imperator non tutelaris. Neque Aquilæ illæ, quibus hodie pro inſignibus utuntur Germaniæ Impp. Romanorum inſignia ſunt, ſed Germanorum, monumenta ſcilicet ingentis illius *Varianæ* cladis. Non enim eſt Aquila biceps, ut imperitum vulgus putat, ſed duæ ſimul Aquilæ pinguntur, quarum altera alteram expanſis alis obtegit. In illa enim victoria, quam Arminius de Varo, ejuſque legionibus obtinuit, tres Romanæ Aquilæ raptæ ſunt, unam ſignifer, priuſquam in manus hoſtium veniret, evulſit, merſamque intra baltei ſui latebras gerens in cruenta palude ſic latuit. Duas autem Germani abſtulerunt, et adhuc

hodie poſſident, nec unquam reddiderunt Imperatoribus Romanis, ut Parthi quidem fecerunt, reddentes Aquilas in clade M. Craſſi captas. Germanorum ergo inſignia ſunt hæ Aquilæ, non Romanorum.

Ex vultu veſtro colligere mihi videor, A. H. me verborum ſatis effudiſſe, probaſſe tamen quod inſtitueram, Scilicet: quatuor quidem illas Monarchias fuiſſe, ſed earum fimbrias, tum quoad initium, tum quoad finem latius quam par eſt, excluſis aliis regnis non inferioribus, fuiſſe expanſas atque extenſas. Quod ex locis S. Scripturæ jam memoratis probari non poteſt, contrarium autem ex reipſa ſatis jam ſuperque demonſtraſſe mihi videor.

Ad vos me converto, Illuſtres ac præpotentes, nec non Magn ac Nobiliſſ. Domini, vobis, nomine publico, gratias ago ingentes, quod tantam ſtudioſæ juventutis ac Reip. literariæ curam ſuſcipere volueritis, & hanc noſtram patriam etiam illo honore

nore dignari, quo in poſterum ornat et vicinarum urbium æmula, bonaru literarum, et artium altrix, et Muſ rum domicilium haberi ac celebra poſſit. Si quid autem eſt in me ingeni quod ſentio quam ſit exiguum, ſi qu exercitatio docendi, in qua me n(inficior majorem ætatis meę parte exegiſſe, ſi qua hujuſce rei ratio a qua, ab optimarum artium ſtudiis diſciplina profecta, Earum rerum mnium uſum atque fructum, Vobi huic comitatui et urbi, meo, et Re D. Colleg. nomine, addico, promi to; recipio, ſpondeo.

Vobis autem, ſtudioſi juvenes, q nos quotidie audietis, omnem n(ſtram operam, conſilium, fidem, d ligentiam, et nunc, et ſemper l. n q. offerimus. Franciſcum Philelphu accepimus, qui in ipſa barbarie, & i ipſis literarum ſordibus vixit illa a tate *Cum neque Muſarum quiſquam ſcopi los ſuperarat, Nec dictei ſtudioſus erat* eum ergo accepimus, cum ingenti a prope ineffabili Græcarum literaru

ſtudio flagraret, Athenas Atticas profectum eſſe, tantum ut maximorum ibi veſtigia hominum calcaret, ſi qua tangi atque afflari eorum contagione poſſet, neque prætermiſiſſe quicquam, quo vel umbram ſaltem, & q. quandam Græcę eruditionis ſibi imaginem compararet. Vobis Nobiliſſ. et ſummę ſpei adoleſcentes, nullum maris æquor arandum, nulli ſumtus faciendi ſunt. Patet vobis ecce hic locus. celebratisſimę fuerunt apud antiquos Muſarum ſedes, Helicon, Pindus, Parnaſſus, fontes Caſtalii & Hippocrenes: Et nunc multis in locis earum ſacra et ceremonię ſumma cum religione tractantur: Sed et hic nobis liceat dicere cum Heraclito Philoſopho, in caſa quadam furnaria ſedente: *Introïte, nam & hic Dii ſunt.* Deus O M. cultoribus ſuis nuſquam deeſt. Et Hic Deus eſt ſapientię largitor. et hic literę habitant et artes.

Hoc vero a vobis omnibus ex animo obnixe peto, ut noſtris infirmitatibus veniam detis, cogitantes nos homines

eſſe,

eſſe, nihil humani a nobis putare alienum. Liceat mihi, pace veſtra ad aliqua carmina Petri Lotichii Secundi, Germaniæ Poëtarum facile principis in fine orationis meæ ſic παρῳδεῖν,

Si mihi præteritæ ver illud amabile vitæ,
Ingeniique forent libera jura mei:
Invida nec tacito confectum cura dolore,
Cogeret ætatis tempora dura queri.
Forſitan argutas quæ poſſent ire per aures,
Concinerem doctis carmina grata modis.
Qualia ſub myrto quondam viridante canebam,
Hic, ubi in Iſalicas Berkela fertur aquas.
Florida cum teneris ſerviret amoribus ætas,
Eſſet & in precio noſtra juventa ſuo.
Tunc ego regnabam, gelidam nec ad uſque Pyrenen
Cultor Appollineæ notior artis erat.

Nunc

Nunc vigor omnis abeſt, curiſque exhauſtus amaris
Ingenii cecidit ſpiritus ille mei.

Ad Deum O. M. omnis ſcientiæ et ſapientiæ ſalutaris fontem nos ſupplicibus votis convertamus. Ego carmen præibo non longum: Vos, quæ veſtra eſt pietas, hoc agite.

„ Æterne Deus, clementisſime Pater,
„ qui præter immenſa tua, in nos in-
„ dignos ſervos tuos collata beneficia,
„ hoc omnium maximum ex infinita
„ gratia nobis concesſiſti, quod in dile-
„ cta tibi Eccleſia nati ac renati ſimus:
„ quoque ſingulari tua providentia Ec-
„ cleſias, & Scholas, in iiſque docen-
„ tes ac diſcentes, inter tot mundi &
„ regnorum ruinas, miris modis con-
„ ſerves. Rogamus, ut eandem grati-
„ am tuam, nobis miſeris ſervis tuis,
„ propter unigenitum filium tuum J.
„ Chriſtum, communicare, & conti-
„ nuare ne dedigneris. Expande ſuper
„ nos lucem faciei tuæ, ut in lumine
„ tuo videamus lucem. Indue docen-
„ tes robore ſpiritus ac fortitudinis

„ tuæ.

„ tuæ, ut Herculeos illos labores æ-
„ quo animo, firmiſque lateribus ferre
„ poſſint. Inſere timorem nominis tui
„ animis juventutis, ut non tantum in
„ literis et eruditione, ſed in moribus
„ maxime ac pietate proficiant quoti-
„ die. Conſerva Eccleſiam et Mini-
„ ſtros. Deſtrue opera diaboli omnem-
„ que potentiam ſe adverſus majeſta-
„ tem tuam efferentem. Irrita fac o-
„ mnia conſilia quæ contra verbum tu-
„ um capiuntur. Benedic Magiſtrati-
„ bus noſtris, Scholarumque Curato-
„ ribus. Benedic civitati et civibus.
„ Dirige nos omnes per viam pacis in
„ patriam æternæ claritatis.

A M E N.

Subjungendum videtur carmen quod in hujus Gymnaſii inaugurationem conſcripſit Joachimus Lanſinck. J. U. D. ὁ μακαρίτης.

IN

IN GYMNASIUM
Illuſtrium & PræPotentium
COMITATUS ZUTPHANIENSIS
Ordinum auſpiciis apertum & inauguratum
ZUTPHANIÆ
In urbe primariâ M.DC.LXXXVI. XI. Kal. Octobr.

IN caſſum tibi, quæ noſtro debentur Iſalæ,
O Vahalis, nitidæ præripiuntur aquæ:
Vaſta tua ingluvies atque irrita dira vorago;
Naïſin ah! quamvis jam notet ora rubor,
Nudatis per te niveas cum ventre papillas,
Et Satyri hæc meritò quæ meliora putant,
Vix, eheu! tectis; quàm veſtri, Nympha, pudoris
Subſeſſor nunquam non vigil ille chorus,

Fer-

Fervida quàm ripas perluſtrat & hirta juventus
Si quà ſeſe oculis obvia prȩda ferat!
O quam, Capripedem Nymphâ fugiente, latebra
Opportuna diu lympha profunda fuit,
Quæ nunc heu! fundum fulvasque oſtendit arenas
Antraque non homini conſpicienda prius.
At tibi, defraudas ipſum qui, ſæve, Parentem,
Non undis tumidus luxuriasque tuis,
Zutfania haud tantas haud invidet Iſala vires,
Vorticibus Rhenum perge vorare tuis,
Non humor tanti hic, alios namque ecce liquores
His aperit Phœbus Pieridesque Deæ;
Caſtalio nunc hæc diſpendia fonte rependunt.
O quàm plus aliis iſte petendus aquis!
Cantaure & Faune hæc, & tu quicunque negabis,

Sis procul, ad guſtum non facit ille tuum;
Hic illis tantum ſaliet, quos æquus amavit
Cynthius, hic illis nectaris inſtar erit:
Inprimis ô tu felix delecta juventus,
Cui grata hæc ſacri pocula fontis erunt:
Larga Sacerdotum, qui ſunt ab Apolline lecti,
Porriget illimes hos tibi dextra ſcyphos,
Ora modò his avidè tu proluе tota, ſalubris
Unda magis talis quàm tibi Bacchus erit:
Hi ſatis explicitas, uſus quarum indiget, artes
Nunc Pandionias Auſoniasque dabunt,
Ad graviora tibi nitenti fortia quæ mox
Fulcra, ſuperficies quanta ſtruetur, erunt.
At Vos, has aras Clario hæc qui templa ſacraſtis,

Ma-

Magnanimi Proceres, ſplendidiora Deo;
Gloria quanta manet, præſens juvenumque ſenumque
Quas grates, &, io, poſtera turba canet!
Mæoniam ſi non citharam mihi ſurda negaret
Calliope, & gravibus plectra movere modis,
Nominis æquantem Veſtri decora alta canendo
Nunc Iſala audiret Naiadesque Deæ;
Sed quod ceſſatur venæ torpore malignæ
Ingeniique ſitu, Muſa precatur inops,
Hoc ut reddat amor, ſitque his teſtata voluntas
Et fidei integritas intemerata ſuæ.
At tu, quæ Vahali decreſcit, Iſala, triumpha,
Accreſcit tibi quod nunc Heliconis aqua.

DISSERTATIO TERTIA.
DE HARPOCRATE.

Imaguncula apud D. Smetium, explicata ab Ampl. Cupero. juxta mythologiam ethicam demonſtrat virtutes & vitia linguæ, quia imago 1. *puerilis*, 2. *nuda*, 3. *pectore velato*, 4. *loto ornata*, 5. *alata*, 6. *pharetrata*, 7. *digito ori admoto*, 8. *ſitulam gerit.* 9. *adeſt ſerpens*, 10 *clava*, 11. *anſer*, 12. *ramus*, 13. *cuniculus*, 14. *accipiter, vel corvus.*





Vides,

Vides, Lector, imagunculam æri inciſam, quam ex argento affabre factam, in Muſeo ſuo inſtructiſſimo poſſidet admodum reverendus & Clar. vir *Johannes Smetius*, eccleſiæ Neomagenſis Paſtor meritiſſimus, omnis antiquitatis & elegantiæ ac humanitatis ſtudioſus ſtudioſiſſimus, amicus noſter plurimum honorandus, & hîc honoris cauſa nominandus. Eandem etiam antea viderat, & diligenter conſideraverat vir Ampliſſimus *Gisbertus Cuperus*, Profeſſor tunc temporis, & Conſul Daventrienſis, nunc in ſupremum fœderati Belgii ordinum conſeſſum, ſuo merito, delegatus. Is eam his verbis graphice deſcripſit:
„ Eſt imago puerilis, tota fere nuda,
„ niſi quod pectoris pars velatur veſte,
„ quæ in humero dextro ſubſtringitur.
„ Capiti imponitur flos loti, & aliud
„ ſolenne Ægyptiorum numinum in-
„ ſigne. A tergo habet alas & phare-
„ tram. Manus dextræ digitis primo-
„ ribus premit vocem, & ſilentia ſua-
„ det, brachio ſitula appendet. Circa

 „ ſini-

„ ſiniſtrum lacertum ſerpens volvitur.
„ manu tenet clavam Herculeam, cui
„ anſer appendet, quamque ramulus
„ ambit, a dextro pede ſedet cunicu-
„ lus ſive lepus, a ſiniſtra accipiter, vel
„ alia avis.

Hanc imagunculam doctiſſima explicatione illuſtravit Ampliſſimus Cuperus, docuitque ea Harpocratem, ſilentii Deum, nobis ob oculos poni; eumque ex veterum gentilium theologia nullum alium eſſe quam Solem, ad quem pleraque ſua numina abominandæ illius ſuperſtitionis ſectatores referre ſolebant: idque variis variorum ſcriptorum locis, notis hieroglyphicis, numiſmatis, aliiſque monumentis ex eruditionis ſuæ inexhauſtæ penu, demonſtrat, adeoque in enarranda gentilium Theologia, quæ circa res phyſicas verſatur, totus occupatus eſt.

Nos autem eandem imagunculam ad philoſophiam practicam, mythologiam ſcilicet ethicam, traducimus. cumque Harpocratem nobis deſignet, omnem etiam illum, quo hic ornatus

nobis

nobis proponitur, apparatum ad ejuſdem Dei officium nos manuducere judicamus: id eſt, Silentium. Non quodvis tamen ſed tempeſtivum & ſapiente dignum. Cumque lingua, judicante Pittaco, optimum ſimul & peſſimum hominis ſit membrum, de illius tum uſu, tum abuſu, hac myſtica & mythica imagine Ægyptiorum ſapientes monere voluiſſe videntur, quod nunc paulo latius demonſtrandum erit.

1. Imago puerilis eſt. Scilicet, ætas mollis & apta regi: Si ſapientem habeat rectorem. Sin autem minus apte regatur, pueriles imo aniles effutiet ineptias, & imprudenter aget. quo facit illud Jacobi Apoſtoli, cap, 3. v. 4. Ἰδοὺ, καὶ τὰ πλοῖα τηλικαῦτα ὄντα, καὶ ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων ἐλαυνόμενα, μετάγεται ὑπὸ ἐλαχίστου πηδαλίου, ὅπου ἂν ἡ ὁρμὴ τοῦ εὐθύνοντος βούληται. *Ecce, naves quoque quum tantæ ſint, & a ventis ſævis agitentur, circumaguntur a minimo gubernaculo, quocunque impulſus gubernatoris voluerit.* Hanc porro ſimilitudinem linguæ applicat.

v. 5. οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστὶ, καὶ μεγαλαυχεῖ. *Ita & lingua puſillum membrum eſt, & ſeſe effert magnifice.* quod ſane puerile eſt, præſertim ſi lingua mentem præcurrat, unde maximum ſæpe periculum. quare & Amor olim & nunc ut puer pingitur, quia ſine ſenſu amantes vivunt, & levibus curis magna bona perdunt.

2. Nuda: quia per linguam animus hominis nudatur, & interiora ejus cognoſcuntur, juxta illud Socratis: Loquere, ut te videam Sermo enim animi index eſt. Homines λογικοὶ dicti, non tantum propter λόγον ἐνδιάθετον, ſed etiam propter προφορικὸν, quo animi ſententiam aliis enuntiant. Hoc ſi inconſiderate fiat, in vitio merito ponitur, tales enim urbi mœnibus nudatæ aſſimulantur a Salomone. *Prov. cap.* 25. *v.* 28. Cereris myſteria nullo magis quam ſilentio ſolennia erant. τὰ γὰρ κρυφῆ γινόμενα ὑπ' αὐτῶν, αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν, ut ait Apoſtolus. *Epheſ. cap* 2. *v.* 12. quo nomine ebrietatem taxavit Poëta, quod eſt in corde ſobrii, hoc eſt in lingua ebrii,

Tunc

Tunc aperit mentes, ævo rariſſima noſtro,
Simplicitas, artes excutiente Deo.

Contra autem virtus cenſetur candor, cum quis non tegit ea, quę aliorum commodis ſervire poſſunt. hoc de ſe profitetur Paulus: Act. cap. 20. v. 27. οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην, τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ. Simile eſt illud Theognidis præceptum:

Χρὴ Μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον, εἴ τι περισσὸν
Εἰδείη Σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν.
Ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἄλλα δὲ ποιεῖν,
τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος,

Oportet Muſarum famulum & nuncium, ſi quid eximium noverit, non invidum eſſe. ſed alia quidem inquirere, alia vero oſtendere, alia vero facere. quorſum eis uteretur ſolus ſciens? Archytas ſane Tarentinus, ut Cicero in Lælio narrat, ſi in coelum adſcendiſſet, naturamque mundi, & pulchritudinem ſiderum perſpexiſſet, inſuavem ſibi admirationem illam judicavit, niſi ali-

quem, cui narraret, habuiſſet. Hoc profeſſus eſt Elihu Jobi amicus. Job. cap. 32. v. 18. 19. 20. *plenus ſum ſermonibus: coarctat me ſpiritus ventris mei. Ecce venter meus ut vinum, cui non aperitur, ſicut utres novi ſinderatur. Eloquar, ut reſpiratio ſiat mihi, aperiens labia mea reſpondebo.*

Præterea hęc nuditas Orationis ſummam virtutem, judice Fabio, lib 1. c. 6. perſpicuitatem indicat, quando clare & diſtincte res, ſermone explicanda, ob oculos ponitur. Prima eloquentię virtus perſpicuitas, ait idem, lib. 2. cap. 3. Euripides in Oreſte: σοφὸν τὸ σαφὲς, ἢ τὸ μὴ σαφές. quis voluptatem capiat ex Heraclito aliquo σκοτεινῷ, cum quid dicat neſcias? qui non vult intelligi nec legendus nec audiendus. Ineptus profecto præceptor ille, de quo Quintilianus, lib 8. cap. 2. qui diſcipulos obſcurare quę dicerent juberet, Græco verbo utens, σκότισον. Unde illa ſcilicet egregia laudatio, Tanto melior: ne ego quidem intellexi. Eandem orationis virtutem commen-

mandant Hebræorum ſapientes, in Pirke Aboth. cap 2 אל תאמר דבר שאי אפשר לשמוע שסופו להשמע *Ne dicas quippiam ut non poſſit intelligi, quod tamen intelligi poſſit.*

3. Pectoris pars veſte velatur. Sapientis eſt tegere conſilium, quod ſecum in pectore agitat, nec aliis prodendum eſſe judicat. Perſarum mos fuit arcana Regum mira celare fide. non metus, non ſpes vocem eliciebat, qua occulta proderentur: vetus diſciplina Regum ſilentium vitę periculo ſanxerat. Lingua gravius caſtigabatur quam ullum probrum: nec magnam rem ſuſtineri poſſe credebant ab eo, cui tacere grave eſſet, quod homini facillimum voluerit eſſe natura. *Curt. lib.* 4 *cap.* 19. Imo apud Perſas Silentii numen colebatur *Amm. Marcell. lib.* 21. Nec Romani prodebant quę in ſanctiore ſenatu de magnis rebus in medio ponebantur: ideoque Conſo, conſiliorum Deo, aram ſubterraneam conſecrarunt, teſte Dionyſio Halic. *lib.* 2. Pompejus id confirmat, qui ab

hoſte captus, & rogatus quid ſenatus decreviſſet, minimum digitum in præſentem focum injecit, ut doceret fruſtra a ſe arcana ſenatus exquiri, qui paratus eſſet totum etiam corpus flammus urere, quam conſilia efferre. Val. Max. lib. 3. cap. 3. Idem certe Valerius teſtatur tam ſancto Patrum conſcriptorum conſilia ſilentio fuiſſe cuſtodita, ut multis ſeculis nemo ſenator quicquam enunciarit. Peccatum ſemel a Q. Fabio Maximo, qui tertium bellum Punicum in ſenatu decretum P. Craſſo nondum ſenatori in itinere domum rure revertenti ſignificarat, eoque a Coſſ. vehementer objurgatus eſt. *lib.* 2. *cap.* 2. Fidum erat & altum Reip. pectus curia, ſilentiique ſalubritate munitum, & vallatum undique: cujus limen intrantes, abjecta privata charitate publicam induebant. Itaque non dicam unum, ſed neminem audiſſe crederes, quod tam multorum auribus fuerat commiſſum. Laudata fides & ſilentium Papyrii Prætextati matrem fallentis, ab A. Gellio rem

totam

totam eleganter deſcribente. *lib.1.cap.* 23. Laudata & Leæna Athenienſis. apud Carthaginenſes triginta ſenatus principes ſanctiſsime decreta ſenatus reticebant.

Sed et pectoris velamen ſæpe vitio vertitur, cum ſcilicet quis aliud in lingua promtum, aliud ſub pectore conditum gerit. Introrſus turpis, ſpecioſus pelle decora Aſtutam vapido ſervans ſub pectore vulpem. Hoc Achilles Ulyſſi exprobrat apud Homerum, Iliad. I. v. 312. 313.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς αἴδαο πύλῃσιν
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Odi etenim, ceu clauſtra Erebi, quicunque loquuntur
Ore aliud, tacitoque aliud ſub pectore condunt.

Cui ſimile illud Theognidis: diſtich. 48.

Τοιοῦτος τοι ἑταῖρος ἀνὴρ φίλος οὐ μάλ' ἐσθλὸς,
Ὅς κ' εἴπῃ γλώσσῃ λῷα, φρονεῖ δ' ἕτερα.

Nec tibi ſit talis ſocius, nec fidus amicus,

Qui

Qui lingua blandus dum mala mente agitat.

4. Flos *Loti* capiti impoſitus: quæ herba coloris & ſaporis ſuaviſſimi, lilio ſimilis, unde lilium Ægyptium dicta. legatur Ez. Spanhemius de numiſm. p. 257 — Metaphorice ſignat eruditi ſermonis venuſtatem. Himerius, μελ. ἐκλ. φιλόσοφος μὲν τὴν γνώμην, ὃς δὲ λόγους οὐ τούτους μόνον, ἀλλὰ καὶ πᾶν ὅ, τι βούλει τῶν ὅσα μουσῶν τε καὶ Ἀπόλλωνος λειμῶνες βρύουσιν, ἀφ' ὧν δρεψάμενος ἁπάσης παιδείας λωτὸν, οἷον τινα στέφανον ἠρινὸν, τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἀπείργασται. *Philoſophus quidem mente, at ſermones non hos tantum, verum etiam quicquid vult eorum quibus abundant prata Muſarum & Apollinis. A quibus decerpta omnis diſciplinæ loto, veluti verna aliqua corona, animum ſuum excoluit.* Sic apud Lucianum, Nigrino: τοσαύτην τινά μοι λόγων ἀμβροσίαν κατεσκέδασεν, ὥστε καὶ τὰς σειρῆνας ἐκείνας, εἴ τινες ἄρα ἐγένοντο, καὶ τὰς ἀηδόνας, καὶ τὴν Ὁμήρου λωτὸν ἀρχαῖον ἀποδεῖξαι. οὕτω θεσπέσια ἐφθέγξατο. *tantam verborum ambroſiam mihi affudit, ut mihi plane videretur Sirenas, ſi quæ unquam*

fuerunt,

fuerunt, luſcinias, & lotum illam Homeri antiquam referre: adeo divina quædam loquebatur.

Lingua autem ſuavitate ſua docet & nocet. Docet nempe & utilis eſt, ut lingua Neſtoris, ex qua μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. melle dulcior fluebat oratio, ut ex Homero narrat Tullius in Catone Majore. Etenim ſummus ille totius Græciç Dux nunquam optavit ut Ajacis, ſed ut Neſtoris ſimiles decem habeat: quod ſi accidiſſet, non dubitabat, quin brevi Troja eſſet peritura. De Platone, cum in cunis parvulo dormienti apes in labellis conſediſſent, reſponſum fuit; illum ſingulari ſuavitate orationis fore. At mihi qui-„dem, ait Val. Maximus, *lib.* 1. *cap.* „6. illæ apes non montem Hymetti, „thymi flore redolentem; ſed Muſa-„rum Heliconios colles, omni gene-„re doctrinæ virentes, dearum inſtin-„ctu depaſtç, maximo ingenio dul-„ciſſima alimenta ſummæ eloquentiæ „inſtillaſſe videntur. Tales apud Græcos plurimi. apud Romanos Cethego

Q. En-

Q. Ennius hoc encomium, quod Seneca riſiſſe dicitur apud A. Gellium, *lib.* 12. *cap.* 2. tribuit: —— *dictus ollis popularibus olim*

Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant
Flos delibatus populi, ſuadæque medulla.

Eſt & alius flos, loto non plane abſimilis, ſilentio dicatus; Roſa ſcilicet. de qua proverbium in Belgis tritum: *Sub Roſa*: eodem ſpectans quo illud Lacedæmoniorum ταύτῃ οὐκ ἐξέρχεται λόγος. *Plutarch. init. lib.* 7 *ſympoſ.* quis enim non oderit memorem compotorem? ratio hoc carmine expreſſa eſt.

Eſt roſa flos Veneris: cujus quo furta laterent,
Harpocrati matris dona dicavit Amor.
Inde roſam menſis hoſpes ſuſpendit amicis,
Convivæ ut ſub ea dicta tacenda ſciant.

Verum enimvero quam ſæpe illa linguæ ſuavitas exitialis eſt? quoties errorum

torum & peccatorum venena verborum melle circumlinuntur? Audi Salomonem. Prov. cap. 5. v. 3. 4. *Favum ſtillant labia extraneæ, & mollius oleo palatum ejus: Attamen poſterius ejus amarum eſt ut abſinthium, acutum ut gladius bipennis.* Sicut nulla aconita bibuntur Fictilibus, ſed auro: Sic non in ſimplicitate, ſed verborum lenocinio fraus latet. Curio, apud Paterculum, *lib.* 2. diſertus, ſed nequam: facundus, ſed malo publico. Fauſtus Manichæorum Epiſcopus, teſte Auguſtino, *confeſſ. lib. 5. cap.* 3. magnus diaboli laqueus, & multi implicabantur in eo per illecebram ſuaviloquentiæ. Epiphanius, *hæreſi* 69. Arium tam dulcis fuiſſe eloquii ait, ut brevi tempore multos ſacerdotes, antiſtites, & ſeptingentas moniales in ſuas partes traxerit. Tam noxia ſunt prava diſerta: quia hominibus minus eruditis, eo quod diſerta ſint, videntur & vera. Horum auditores recte Lotum, ut ad herbam noſtram redeamus, guſtaſſe dicuntur. Non ſecus ac Ulyſſis ſocii apud

pud Homerum, Odyſſ. I. v. 91. qui apud Lotophagos hac herba guſtata ad naves redire recuſabant. Ipſum Poëtam audiamus:

> Οὐδ' ἄρα λωτοφάγοι μήδονθ' ἑτάροισιν ὄλεθρον
> Ἡμετέροις, ἀλλά σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι.
> Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν
> Οὐκ ἔτ' ἐπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι·
> Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἄνδρασι λωτοφάγοισι
> Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι.

Neque vero Lotophagi meditabantur ſociis perniciem noſtris, ſed ipſis præbuerunt Lotum guſtare. Horum autem quicunque loti comediſſet æque ac mel ſuavem fructum, non amplius renunciare rurſum volebant, neque redire: ſed illic volebant cum viris Lotophagis Lotum edendo manere, reditusque obliviſci. Non ſine myſterio igitur Harpocrates loti florem capiti impoſitum gerit.

5. Alata eſt: quia lingua intimos animi noſtri ſenſus ad alios evolare facit. Homerus ἔπεα πτερόεντα facit. Mercurii eloquentiæ Dei ſimulachra pinnatis alis adornavit antiquitas. Menandri

dri ſane prudens eſt monitum:

ὥσπερ ἐκ χειρὸς μεθέντα καρτερὸν λίθον
Ῥᾶον κατασχεῖν, ὥσπερ ἀπὸ γλώσσης λόγον.

Retineri ut a te non poteſt jactus lapis:
Sic ore verba emiſſa quæ ſemel tuo.

Virgilius velox illud malum *Famam* facit pedibus celerem & pernicibus alis, corpore plumoſo nocte cœli medio volantem. Si inconſiderate ſemel emiſſum volet irrevocabile verbum videbis temerariæ linguæ ſtultitiam non minus his verbis deſignari, quam amoris inconſtantiam alis Cupidinis, canente Propertio, lib. 2. eleg. 12.

Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum;
Scilicet alterna quoniam jactamur in unda,
Noſtraque non ullis permanet aura locis.

De famæ, quaſi alatæ celeritate inſigne exemplum, apud Juſtinum. lib. 2. c. 14. devicto Mardonio: Tantam famæ velocitatem fuiſſe, ut, cum matutino tempore prælium in Bœotia

commiſſum ſit, meridianis horis in Aſiam, per tot maria, & tantum ſpacii, tam brevi horarum momento, de victoria nuntiatum ſit. quod vel per homines maxime vocales in montium cacuminibus, vel per nuncios equis in eam rem certis locis diſpoſitis maxima celeritate fieri potuiſſe hiſtorici tradunt. In hunc uſum tubulos æreos vallo Pictico olim inſertos ſcribit Cambdenus. Brit. *p.* 645. Magna & miraculo ſimilis, ideoque ad Deos relata, [c] illa famę celeritas de victoria L. Æmilii Pauli, reportata de Perſeo Macedoniæ Rege, quarto poſt die quam pugnatum eſt Romam delata. *Liv. lib.* 45. *cap.* 1. *Plutarch. in Æmylio.* Simile quid de Tornaco, A. C. 1581. capto ab Alexandro Parmenſi, narrat Stradà de bello Belgico, *dec.* 2. *lib.* 4. ſed in eo humanam operam ab aëriis curſoribus, angelis, præventam judicat.

6. Pharetrata et ſagittis armata: cui accini poſſet illud Propertii,

Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis,

Et

Et pharetra ex humero Gnoſia utro-
que ſonat.

quo etiam ſymbolo linguæ uſus et abuſus ὑπαινίττονται. Uſus quidem, quia verba ſapientum aculeis ſimilia, et clavis infixis, teſte Salomone, *Eccl. cap.* 12. *v.* 11. Urit enim increpatio prudentem, magis quam ſi percutias ſtolidum centies. *Prov. cap.* 17. *v.* 10. ideoque etiam Chriſtus noſter *Pſal.* 45. depingitur tanquam Heros, inequitans verbo æquitatis, proloquens juſtitiam, edens documenta ſui terribilibus dexteræ ſuæ: adeoque ut ſagittis ejus acutis populi imo et inimici ſub ipſo procidant. Sic Mesſiam loquentem introducit Jeſaias, cap. 49. v. 2. *Poſuit Deus os meum quaſi gladium acutum: in umbra manus ſuæ protexit me, et poſuit me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me.* q. d. armavit me verbo ſuo efficacisſimo, quod gladio et ſagittis propter vim penetrabilem, comparatur. de qua ſagitta et gladio merito, imo jure potiori dici poteſt, quod David

de ſagitta Jonathanis et gladio Saulis, 2. Sam. cap. 1. v. 22. *Sagitta et arcus Jonathanis, nunquam redyt retrorſum, et gladius Saulis non eſt reverſus inanis* Hæc eſt vera *ſagitta ſalutis Domini*. 2. Reg. cap. 13. v. 17. Hæc eſt divina vis prædicationis Euangelii, et Spiritus eam comitantis, quæ apparuit in auditoribus Petri, Act. cap 2. v. 37. qui κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ, quod verbum Græca ſcholia per ἐπλήγησαν interpretantur. Simplex νύσσειν letale vulnus indicat apud Homerum, Iliad γ. v. 397 ——

> Νύξε κατὰ κρόταφον κυνέης διὰ χαλκοπαρῄου,
>
> *pupugit in tempus per galeam æneas genas habentem.*

ut autem vis illius plagæ videatur, addit:

> Οὐδ' ἄρα χαλκείη κόρυς ἔσχεθεν, ἀλλὰ δι' αὐτῆς
>
> Αἰχμὴ ἱεμένη ῥῆξ' ὀστέον, ἐγκέφαλος δὲ
>
> ἔνδον ἅπας πεπάλακτο. δάμασσε δέ μιν μεμαῶτα,

Nec ſane ænea galea probibuit, ſed per ipſam cuſpis acta rupit os, cerebrumque intus omne fœdatum eſt. interfecit autem

temi ipſum ruentem. Chriſti in cruce pendentis latus militum unus λόγχῃ ἔνυξε, *Joh. cap.* 19. *v.* 34. quamvis enim Jeſus noſter jam expiraſſet, hoc tamen vulnus, etiam poſt mortem ipſi inflictum, cor penetravit aquam cum ſanguine eliciens. Simplicis ſignificationem compoſitum ſequitur, & ad animum tranſlatum, talem nobis ob oculos ponit, qui non minore animi dolore affectus eſt, quam ille qui corpore ſaucius nil niſi mortem ſperat. De pœnitentia Achabi, qui נכנע coram Domino, 1. *Reg.* 21. *v.* 29. ſeptuaginta ſcripſerunt κατενύγη. Sicut *Pſal.* 109. *v.* 16. dicitur miſer ſub perſecutione gemens: לבב נכאה למותת κατανενυγμένον τῇ καρδίᾳ τοῦ θανατῶσαι. Ex quibus colligere eſt quanta vis fuerit linguę Apoſtolicę, quę igne cœlitus delapſo accenſa, ipſum cor auditorum ferijt, ſicut & contigit Lydię, *Actor. cap.* 16. *v.* 14. Sed hæc ſpeciali, & efficaci Spiritus Sancti operatione facta eſſe vere Chriſtianus agnoſcit. Ineſt tamen et civili eloquentię ſua vis, qua et ipſi auditorum animi, affecti-

 bus

bus huc illuc tracti, et non ſecus ac ſagittis vulnerati aguntur, et juxta Poëtam, *actaque multo*

Perque uterum ſonitu, perque ilia venit arundo.

Ut corpori ferrum, ait Plinius, *lib.* 1. *epiſt.* 20. ſic oratio animo non ictu magis quam mora imprimitur: Exemplum ejus rei adducit Periclem, qui a comico Eupolide ſic laudatur;

Πρὸς δὲ γ' αὖ τούτῳ ταχ' ἡ
Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν
Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Verum, addit Plinius, huic ipſi Pericli, nec illa πειθὼ, nec illud ἐκήλει brevitate, velocitate, vel utraque, (differunt enim) ſine facultate ſumma contigiſſet. Nam delectare, perſuadere, copiam dicendi ſpatiumque deſiderant, relinquere vero aculeum in audientium animis is demum poteſt, qui non pungit, ſed infigit. Adde quę de eodem Pericle Comicus alter, ἤστραπτ', ἐβρόντα, ἐξεκύκα τὴν Ἑλλάδα. Non enim amputata oratio et abſciſſa, ſed lata magni-

gnifica et excelſa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat ac miſcet. Hæc Plinius. In certamine Ajacis et Ulyſsis, de armis Achillis, *lib.* 13. *metam.* tandem

Mota manus procerum eſt, & quid facundia poſſit
Tum patuit, fortiſque viri tulit arma diſertus.

Lucianus Gallorum Herculem Ogmium enarrans ſagittas de ejus eloquentia explicat: Καὶ τὰ γε βέλη αὐτοῦ οἱ λόγοι εἰσὶν, οἶμαι, ὀξεῖς καὶ εὔστοχοι, καὶ ταχεῖς, καὶ τὰς ψυχὰς τιτρώσκοντες. tela illius ſermones ſunt acuti, recta ad ſcopum tendentes, celeres, et animam ſauciantes. Octavia, cum Virgilii Æneidos recitationi intereſſet, ad illos de filio ſuo verſus. *Tu Marcellus eris*, defeciſſe fertur, et ægre refocillata.

Exemplo nobis ſint duo artis oratoriæ Principes. Prior Demoſthenes, cujus orationem pro Cteſiphonte cum apud Rhodios ſuaviſſima et maxima voce legiſſet Æſchines, omnibus in admirationem raptis, Quanto, in-

quit, magis admiraremini, ſi audiſſetis ipſum. Cic. lib. 3. de oratore. Alter Cicero, cujus in dicendo quæ eſſet ψυχαγωγία, cum in aliis orationibus manifeſtum fuit, tum imprimis in Ligariana. Cum enim, ut narrat Plutarchus, accuſaretur Ligarius, Cicero autem eum defenderet, Cæſar amicis dixiſſe perhibetur, ſibi conſtare Ligarium hominem improbum & ſuum hoſtem eſſe, ſed tamen nihil obſtare quin Ciceronem audiret dicentem. Poſtquam autem hic dicere orſus mirifice eum movit, variiſque affectibus, & mira gratia progreſſa eſt ejus oratio. facies Cæſaris colorem identidem variavit, perſpicuumque fuit omnibus eum animi motibus fuiſſe verſatum. Ubi autem pugnam pharſalicam orator attigit, & flexanima hæc magno cum „ affectu pronuntiavit. Certe contra „ ipſum Cæſarem eſt congreſſus arma„ tus. Quid enim, Tubero, tuus ille „ diſtrictus in acie Pharſalica gladius „ agebat? cujus latus ille mucro pete„ bat? quis ſenſus erat armorum tuo„ rum?

„ rum?

„ rum? quæ tua mens? oculi? ma-
„ nus? ardor animi? quid cupiebas?
„ quid optabas? Tum vero uſque adeo permotus fuit Cæſar, ut toto corpore tremuerit, ac libelli aliquot, quos manibus tenebat, illi exciderint. ſic expugnatus Ligarium crimine abſolvit. Nunquid ergo hæc non ſagittata ſatis viſa eſt oratio? qualis & illa Th. Bezæ in colloquio Poſſiaceno, cum Cardinalis Lotharingus cum gemitu diceret: *Vtinam aut ille mutus, aut nos ſurdi fuiſſemus!*

Abuſum porro linguæ videamus; & hic ſagittæ. *Eſt enim*, juxta Salomonem, Prov. cap. 12. v. 18. *qui pronuntiat ſimilia transfodienti gladio, cum lingua ſapientum medicina ſit.* tales qui ſarcaſmis, calumniis, convitiis alios vulnerant, de quibus conqueritur ſanctiſſimus Pſaltes, Pſal. 57. v. 5. *Ego inter immanes leones ſum, jaceo inter incendiarios, inter homines, quorum dentes haſtæ & ſagittæ ſunt, & quorum lingua eſt gladius acutus.* Item: Pſal. 64. v. 4. 5. *Exacuunt ſicut* gladium linguam

ſuam, intentant ut ſagittam verbum *amarulentum*, jaculis *petendo ex latebris integrum*, *repente* jaculis *petunt eum, neque timent.* Iterum. Pſal. 120. v. 2. 3. 4. *Jehova, eripe me a labio falſo, a lingua doloſa, quid datura eſt tibi, quidve adjectura tibi lingua doloſa? verba ſimilia robuſti* ſagittis acutis, *comparanda prunis juniperorum.* Scilicet exitium aliorum quærentes his ſicis & ſagittis utuntur in proximum, cujus lateri infixa hæret letalis arundo, non niſi morte fortaſſe excutienda. quod Bupalo & Anthermo contigiſſe creditur, quamvis negante *Plinio, lib.* 36. *cap.* 5. Hipponacti Poëtæ notabilis vultus fœditas erat, quamobrem illi hujus imaginem, laſcivia jocorum, ridentium circulis propoſuerant. quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum diſtrinxit, trimetrum Archilochium de induſtria in ſcazontem infringens, quo videlicet feriret fortius, adeo ut quoſdam ad laqueum compuliſſe credatur. De L. Philippo teſtatur Cicero in Bru-

to,

to, eum altercando cum aliquo aculeo & maledicto fuiſſe facetum. Sed de ſagittis ſatis.

7. Manus dextrę primores digitos ori admovet Harpocrates. Is adorationis ritus fuit, quod multis probare hic non eſt neceſſe, quia de tali oſculo religioſo in diſſertatione de oſculis latius paulo agendum erit. Adorationem autem primarium linguæ officium eſſe docet Jacobus, *cap.* 3. *v.* 9. ἐν αὐτῇ (γλώσσῃ) εὐλογοῦμεν τὸν Θεὸν καὶ πατέρα. Ideoque lingua hominis gloria dicitur: quod enim כבודי legitur. *Pſal.* 16. *v.* 9. illud Petrus, *Act. cap.* 2. *v.* 26. juxta 72. interpretatur ἡ γλῶσσά μου. Sic & aliis locis: *Gen. cap.* 49. *v.* 6. *Pſal.* 30. *v.* 13. & 57. *v.* 9. & 108. *v.* 2. & 149. *v.* 5. ratio eſt, quia ſermone, qui, à mentis agitatione, adeoque ipſa rationali hominis facultate procedens, lingua autem exprimitur, præcipua hominis gloria & dignitas conſtat, qua etiam cæteris animalibus ἀλόγοις & ἀλάλοις præſtat. Si autem hoc ſermonis inſtrumento ad gloriam Dei, ut par eſt, utatur,

utatur, hic ſummus humanæ gloriæ gradus eſt, & uſus ſanctiſſimus, quod manum ori admovendo ſignificare Harpocrates videtur. Nullo tamen modo negaverim tempeſtivum hoc geſtu commendari ſilentium, juxta illud: *Digito compeſce labellum*: ad cuſtodiendum ſcilicet illud quod Homerus appellat ἕρκος ὀδόντων, ne facile illa ἔπεα πτερόεντα evolare poſſint. Sigæum adeundum eſt, ut facete monebat Gnathæna, apud Athenæum, *lib.* 13. *cap.* 6. ſapientię ſepes ſilentium. quod annulum digitis ſuis detractum ori Hephæſtionis imprimendo docere voluit Alexander. In exceſſu peccavit Pattalorinthitarum ſuperſtitio, in tantum ſilentio ſtudentium, ut naribus & labiis ſuis digitum opponerent, ne vel ipſam taciturnitatem voce præriperent, quando tacendum ſibi eſſe arbitrarentur. *Auguſtinus de hæreſibus. cap.* 63. encomium ſilentii decantare hujus loci non eſt.

8. Brachio ſitula appendet: inſtrumentum quo aqua hauriri ſolet. Uſum

rurſus

rurſus linguæ, ejuſque vitia denotat. Vitium quidem in odioſa curioſorum percontatione, quam comitem habere garrulitatem pronunciavit Horatius. ut nempe ſitula majori facilitate effundit aquam, quam eam ante hauſerat. quale ſcrutinium in impiis deplorat Pſaltes, Pſal. 64. v. 7. *Perſcrutantur iniquitates, conficimur iis quæ callidiſſime ſunt perſcrutati: adeo intimum viri & cor profundum eſt.*

Uſum vero etiam hac metaphora indicare voluit ſapientiſſimus Salomo, *Prov. cap.* 20. *v.* 15. *Vt aquæ profundæ canſilium eſt in animo viri, attamen vir intelligens haurit illud.* ubi vox ידלנה nos manu quaſi ducit ad ſuum derivatum דלי quo ipſo hoc inſtrumentum de quo agimus, *ſitula* denotatur. Vir enim prudens varia ac tempeſtiva ſæpius reperit media, quibus ſecretiſſima aliorum animorum ſenſa feliciter elicit: modo rigide contra diſputando, modo facilem ſe præbens in concedendo, aliorum inſtituta approbando, improbando, modo partem veri aperiendo,

endo, circumlocutionibus a re alienoribus utendo, variis item interrogationibus, ſimulationibus & diſſimulationibus. Plurima etiam ex oculis, vultu, geſtibus, ſermonibus venari atque explorare poterit vir ſapiens. præſertim ſi tempeſtivum tempus obſervet, nec affectus ipſos, gaudium, iram, dolorem, metum negligat, quibus ut ebrietate animus hominis ſæpiſſime ſe prodit. Talis erat modus docendi & diſputandi Socraticus, exotericus magis quam acroamaticus, populari modo, per inductionem a ſingularibus ad univerſalia procedens, ita tamen adverſarium conſtringens, ut quaſi ex conceſſis convictus, manus veritati dare cogeretur. quod ſane nihil aliud eſt, quam ſapientiæ hac ſitula exhaurire intima humani cordis penetralia, quare & Salomo animam hominis Dei lucernam vocavit. *Prov.* c. 20. v. 27. Guilielmus Auriacus (quantæ prudentię Princeps?) ex Henrico II. Galliarum Rege callidiſſime expiſcatus eſt, & penetravit in illius Re-

gis

gis arcana, quibus ille et Dux Albanus in πανολεθρίαν confeſſorum purioris religionis conjuraverant. cum Rex putaret Principem ejus conſilii conſcium eſſe, quod ipſe Princeps in Apologia ſua contra Regem Hiſpaniæ enarrat. Non omittendum illud Salomonis, *Prov. cap.* 16. *v.* 10. קסם בשפתי־מלך *Divinatio eſt in labis regiis.* Non quaſi Deus Reges prophetas fecerit, et extra ordinem ipſis arcana manifeſtet; neque hic agitur de equuleo et tormentis, quibus veritas ſæpe vi extorquetur: neque de aſtrologia judiciaria, aliiſque divinationum prohibitarum ſpeciebus; Sed de divinatione politica ac naturali, qua, Deo eos dirigente, mira ſagacitate, tanquam ſitula, indagant et penetrant arcana penitiſſima. Salomonis Regis celebrata eſt ſubtilitas, qui ex naturali στοργῇ feliciter veram vivi infantis matrem deprehendit. 1. *Reg. cap.* 3. Quantulum hinc diſtat illud Claudii Imperatoris alias ſtolidiſſimi, apud Suetonium, *Claud. cap.* 15. Fœminam non agnoſcentem filium

um ſuum, dubia utrimque argumentorum fide, ad confesſionem compulit, indicto juvenis matrimonio. Simile quid de Galba, *cap.* 7. narrat idem Suetonius: cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrimque argumentis, & teſtibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari ſolebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus eſſet ad quem ſponte ſe a potu recepiſſet. Aliud de Rudolfo Auſtriaco habet Lipſius, in Monitis & exemplis Politicis, *cap.* 9. *mon.* 2. Auguſtus ex calloſis Judæi cujuſdam manibus facile conjecit eum non eſſe Regis Herodis filium, ut ſe venditabat. Ariopharnes Thracum Rex, verum & genuinum Regis Cimmeriorum filium pronunciavit eum, qui patris defuncti cadaver violare noluit. Sic Patrum noſtrorum memoria Jacobus I. Magnæ Britanniæ Rex, admiranda ingenii ſolertia, ex literis obſcure admodum ſcriptis, conjurationem illam pulverariam veriſſime depre-

prehendit & detexit. Judæi hanc ſapientiam de Meſſia ſuo credunt & prędicant, ex *Jeſ. cap.* 11. *v.* 3. Odoratum ejus futurum in timore Domini. ipſum divina ſua ſcientia, quaſi odoratu, & uno oculorum intuitu, dijudicaturum eſſe bonos ac malos. quo reſpexiſſe videtur Phariſæus ille Luc. 7. v. 39. *Hic*, inquit, *ſi eſſet Propheta, noſſet utique quæ & qualis ſit ea mulier quæ tangit ipſum, quod ſit peccatrix.*

9. Nunc porro ſerpentem, qui circa ſiniſtrum lacertum volvitur, intueamur. Prudentia ſerpentina commendatur nobis a Chriſto *Matt. cap.* 10 *v.* 16. quæ imprimis in linguæ regimine conſiſtit. qui in ſermone non impingit, his vir perfectus eſt, *Jacob. cap.* 3. *v.* 2. potens freno quaſi regere totum corpus. Solertia ſerpentis verſatur circa linguam tum alienam, tum propriam. Circa alienam quidem dum recipit profutura, averſatur nocitura. ideo aures obturare dicitur ne audiat carmen incantantis. *Pſal.* 58. *v.* 5. 6. quoniam.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Sic prudens, ne ab aliis ſermone aut minaci aut blando decipiatur ſedulo cavet, Ulyſſem imitantes qui Sirenum ſcopulos præter navigans

Illevit cera ſociorum callidus aures,
Atque ſuas vinclis præbuit ipſe manus.

Circa propriam vero linguam non minor cura eſt adhibenda. Serpentum celebratur ὀξυδερκία, quare aquilæ jungitur ab Horatio, lib. 1. ſat. 3.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?

Unde & Dracones ἀπὸ τοῦ δέρκειν dicti ſunt, Hoc imprimis circa linguam obſervandum, ne quis inconſiderate quid effutiat, ſed ante meditetur, ut docet Salomo *Eccleſ. cap. 5. v. 1.* Sed & iidem ſerpentes linguæ vitia depingunt. Audiamus Paulum, epiſtola ad Romanos, cap. 3. v. 13. 14. *Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis ſuis*

ad

uti dolum uſi ſunt, venenum aſpidum ſub labiis eorum, quorum os diris & amarulentia plenum eſt. Non ſepulchrum duntaxat ait, quod ex ſe impurum ſatis & abominandum, cadaveroſis oſſibus & pulvere plenum; ſed & patens, quo & alii foetore afficiantur. Venenum autem hoc nocentiſſimum eſt. Non libet jam deſcribere quę ad hanc ſimilitudinem explicandam faciunt. legantur ea quæ in hanc rem utiliſſima, elegantiſſimo, ut ſolet, ſtylo exaravit Eraſmus Roterodamus, libro de lingua a pagina editionis, qua ego utor. centeſima, uſque ad 108. & Drexelius Jeſuita in orbis Phaëtonte. cap. 17. §. 2. Hoc tantum addam ex Floro, qui, *lib.* 4. *cap.* 12. narrat crudelitatem Germanorum in clade Variana, & quomodo præcipue in cauſarum patronos ſævitum ſit, aliis oculi eruti, aliis manus amputatæ; unius os ſutum, reciſa prius lingua, quam in manu tenenes barbarus: *tandem*, inquit, *vipera, ſibilare deſiſte.* linguæ abuſum exprobrans.

10. Aggrediamur & clavam, quam ſiniſtra manu tenet Harpocrates, Herculeam, non ut illi eam extorqueamus, ſed, ut quid myſterii ea contineat eruamus. Hercules nodoſa clava inſtructus terribilia monſtra domuiſſe dicitur. quod non ad corporis robur, ſed ad linguæ atque eloquentiæ vim referendum eſſe ſacerdos Gallus Lucianum docuit in Hercule Gallico: τὸν λόγον ἡμεῖς οἱ κελτοὶ, οὐχ᾽ ὥσπερ ὑμεῖς οἱ ἕλληνες, ἑρμῆν οἰόμεθα εἶναι, ἀλλ᾽ ἡρακλεῖ αὐτὸν εἰκάζομεν, ὅτι παρὰ πολὺ τοῦ ἑρμοῦ, ἰσχυρότερος οὗτος. *Orationem nos Galli nequaquam arbitramur eſſe Mercurium, quemadmodum vos Græci: Verum Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio longe robuſtior extiterit.* Monſtra ſunt feri & agreſtes homines, qui vi linguæ ad humanitatem a viris ſapientibus adducti & formati ſunt. Horatius, de arte poët.

Sylveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum
Cædibus, & fœdo victu deterruit Orpheus:

Dictus

Dictus ob id lenire tigres, rapidoſque leones.
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet, fuit hæc ſapientia quondam
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Sane iidem olim erant virtutis &, bellicæ & togatæ magiſtri. quod in exemplis Chironis qui Achillem docuit, Epaminondæ, Philippi Macedonis, aliorumque videre eſt. Sic & Hercules ille, qui cognomento Ogmius, cujus imago apud Gallos erat inſtar ſenis cani, catenam habens linguæ affixam, ex qua fila tenuisſima deducta, auditorum auriculis inſerta. trahit eos pro lubitu, non invitos. ſed ſponte ſequentes, & antea disſipatos in unum cogit. Breviter & nervoſe hoc emble-

ma explicat Andræas Alciatus.

Arcum læva tenet, rigidam fert dextera clavam,
Contegit & Nemees corpora nuda Leo.
Herculis hæc igitur facies? non convenit illud
Quod vetus, & ſenio tempora cana gerit.
Quid quod lingua illi levibus trajecta catenis,
Queis fiſſa faciles allicit aure viros?
Anne quod Alciden lingua, non robore, Galli
Præſtantem populis jura dediſſe ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamvis duriſſima corda
Eloquio pollens ad ſua vota trahit.

Poëtarum recitationes populum magna ſæpe frequentia convocarunt:

Curritur ad vocem jucundam, & carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit cum Statius urbem,

Pro-

Promiſitque diem, tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur. Juven. ſat. 7.

Ad Titum Livium, ait Hieronymus epiſtola ad Paullinum, lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hiſpaniȩ Galliarumque finibus, quoſdam veniſſe nobiles legimus, & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſeculis celebrandumque miraculum; ut tantam urbem ingreſſi, aliud extra urbem quærerent. Ab hac incredibili eloquentiæ vi, qua auditores ſuos agebant ferebantque, Regum & Principum cognomen aliqui adepti ſunt. Eunapius de Juliano: εἰς τοὺς Αἰδεσίου χρόνους ἤκμαζε, καὶ ἐτυράννει γε τῶν Ἀθηνῶν. Idem ubi de ſtatua Proæreſio ſophiſtȩ erecta: ἡ βασιλεύουσα Ῥώμη τὸν βασιλεύοντα λόγων. Tyrannus ille, qui apud Epheſum ſcholam habuit, in qua & Paulus diſſeruit. *Actor. cap.* 19. *v.* 9. ab hac di-

cendi facultate quibuſdam dictus vide tur: qui & eandem vocem non nomen proprium, ſed appellativum eſſe judicant apud Suidam: Τύραννος, Σοφιστὴς περὶ στάσεων, καὶ διαιρέσεως λόγου, βιβλία δέκα. Sic apud Suetonium de Grammaticis, *cap.* 4 Sophiſta Princeps. quomodò & apud Phædrum, *fab.* 88. 4. Princeps tibicen notior paulo fuit. Sic olim Irnerius, Azo, aliique *Monarchæ Juris* appellati. Et Helius Eobanus Heſſus, avorum memoria *Poëtarum Germaniæ Rex* audivit, cujus prælectiones tanti habitę, ut auditores ejus aliquando mille & quingenti, Erfordiæ, in gymnaſii egreſſu, fuerint numerati. Graviſſimam illam eloquentię vim, cum rerum pondere conjunctam, qua & ſcriptis, & viva voce pollebat Martinus Lutherus, aptiſſime cum Herculea clava comparavit Theod. Beza:

I nunc, Alciden jactato Græcia mendax,
Lutheri ad calamum ferrea clava nihil.

annon

Annon clavæ ſimilis fuit lingua Abigaïlis fœminæ, & prudentiſſimę et eloquentisſimę, qua tum Davidem iratum et armatum non minori fortitudine proſtravit, quam ipſe funda ſua Goliathum, ſuaque ſuaviloquentia, a vi, quam familiæ Nabalis comminatus erat, retraxit: tum etiam Nabalem ita eadem lingua terruit, ut cor ejus, inſtar Niobes, quaſi in lapidem verteretur. 1. *Sam.* 25. Hoc linguę oratorię regnum eleganter pinxit Virgilius lib. 1. Æneid.

At veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat:
Tum pietate gravem, & meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent arrectiſque auribus adſtant.
Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.

Menenius Agrippa priſco illo & horrido

 do

do dicendi genere, comparando quam inteſtina corporis ſeditio ſimilis eſſet iræ plebis in patres, flexiſſe mentes hominum dicitur, et ex Aventino in urbem, imo in concordiam reduxiſſe. *Liv. lib.* 2. *cap.* 32. Nec minor dicendi vis in Cicerone apparuit, cum L. Roſcius Otho legem theatralem, ut equitibus Romanis XIV. ordines ſpectandi cauſa darentur, tuliſſet, plebs hanc legem ad ignominiam ſuam pertinere cenſuit: ideoque Roſcium in theatro ſibilis confectata eſt, cum equites contra illum plauſu exciperent. ſublato deinde majore hinc ſibilo inde plauſu, convicia, et tumultus tota cavea conſecutus eſt. quo audito, M. Tullius in theatrum venit, et populum in ædem Bellonæ evocatum reprehendendo et admonendo caſtigavit. ſic effectum ut Roſcio plebs non tantum ignoverit, ſed etiam ex æde Bellonæ in theatrum reverſa, Othoni non minus quam ordo equeſtris applauſerit. *Plin. lib.* 7. *cap.* 30. *Plut. in Cicerone.*

A clavæ ſimilitudine non abludunt voces

voces, quibus S. Scriptura utitur de flexanima verbi divini vi tum ad piorum conſolationem et confirmationem. שבט item משענת *Pſal.* 23. *v.* 4. virga et pedum: tum ad impiorum confuſionem שבט ברזל virga ferrea *Pſal.* 2. *v.* 9. פטיש יפוצץ סלע malleus qui conterit petram. *Jerem. cap.* 23. *v.* 29. Quanta cum efficiacia hac virga, hoc pedo et malleo uſus eſt Servator noſter? cum doceret non ut ſcribę, ſed ὡς ἐξουσίαν ἔχων, *Matth. cap.* 7. *v.* 29. cum faterentur miſſi ad eum capiendum: οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος. *Joh. cap.* 7. *v.* 46, præſertim in horto Gethſemane, cum diceret: ἐγώ εἰμι, retrorſum abierunt, et quaſi clava, imo fulmine icti, humi ceciderunt. *Joh. c.* 18. *v.* 6. Clavę hujus vis ſe exeruit in convertendo toto terrarum orbe ad Chriſtianiſmum, quando non tantum Judæi, ſed etiam remotiſſimæ gentes ſub Chriſto prociderunt. Nunc unum, ex Auguſtini libro 4. de doctr. Chriſt. cap. 24. exemplum attuliſſe ſufficiat.

„Cum apud Cæſaream Mauritaniæ,

„ in-

„ inquit S. Pater, populo diſſuaderem
„ pugnam civilem, vel potius plus
„ quam civilem, quam catervam vo-
„ cabant: neque enim cives tantum-
„ modo, verum etiampropinqui, fra-
„ tres, poſtremo parentes ac filii la-
„ pidibus inter ſe in duas partes divi-
„ ſi, per aliquot dies continuos, et
„ certo tempore anni ſolenniter dimi-
„ cabant, et quiſque ut quemque po-
„ terat occidebat: Egi quidem gran-
„ diter quantum valui, ut tam crude-
„ le, atque inveteratum malum de
„ cordibus & moribus eorum avelle-
„ rem, pelleremque dicendo: non ta-
„ men egiſſe aliquid me putavi, cum
„ eos audirem acclamantes, ſed cum
„ flentes viderem. Acclamationibus
„ quippe ſe doceri & delectari, flecti
„ autem ſe lacrymis indicabant, quas
„ ubi adſpexi immanem illam conſue-
„ tudinem a patribus & avis, longe-
„ que a majoribus traditam, quæ pe-
„ ctora eorum hoſtiliter obſidebat, vel
„ potius poſſidebat, victam antequam
„ reipſa id oſtenderent, credidi. Mox-
que

„que ſermone finito ad agendas
„Deo gratias corda atque ora con-
„verti. Et ecce jam ferme octo vel
„amplius anni ſunt, propitio Chri-
„ſto, ex quo illic nihil tale tenta-
„tum eſt.

Videamus porro quomodo hæc clava potentisſima etiam posſit eſſe pernicioſisſima, ſi quis ea in aliorum hominum perniciem abuti velit. Doëgus lingua ſua multos occidit Sacerdotes. 1. Sam. cap. 22. v. 9 —— Tale quid indicavit Salomo: Eccl. 7. v. 7. ubi vetus interpres, quem hac vice ſequemur, legit: *calumnia conturbat ſapientem, & perdit robur cordis eorum.* Hoc inimici minitabantur Jeremiæ: cap. 18. v. 18. *Venite, & percutiamus eum lingua*, quæ hic baculi vel inſtar clavæ his calumniatoribus erat. Hujus vulnus incurabile eſt. ſi quis enim, juxta illius aulici dictum audacter modo calumnietur, ſemper aliquid hærebit, & in accuratiſſima purgatione litura tamen extabit. quo facit elegantiſſima illa diatypoſis, qua hoc

vitium

vitium ab Apelle delineatum eſt olim; carmine autem elegantiſſimo ab Eobano Heſſo ſuperioris ſeculi Poëtarum facile principe; quod legere eſt tum in Hondorffii theatro hiſtorico, in exemplis octavi præcepti: tum in Manlii locorum communium collectaneis itidem ad octavum præceptum. pag. 396 —— 403. Atque hæc hactenus de clava Harpocratis Herculea.

11. Nunc porro ramum ſive hederæ, ſive vitis, qui eam ambit, contemplemur. Utraque arbor Baccho ſacra, qui in uſu linguæ, ejuſve abuſu non minimi ſane momenti Deus eſt. *Fœcundi calices, quem non fecere diſertum!* vehiculum Poëtarum eſſe dicitur. ſatur eſt cum dicit Horatius; o he!

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda. Boëthium certe carceri incluſum ac ſeminecem, guſtato vino Ticinenſi reſipuiſſe ajunt, & ſucclamaſſe: Ohe, felicia hujus regionis vina! quæ labantem mœrore animum, curiſque depreſſum modico

hauſtu

hauſtu erigunt, firmantque nutantem. Atque his dictis ad ſcribendum de conſolatione Philoſophica librum, viribus inſtauratis, converſus eſt.

Nimia autem cum hoc Deo familiaritas multis exitio fuit, cum enim animus, ebrietate devinctus, in ſua poteſtate non eſt, quę in corde ſecreta latent, linguę liberioris vitio produntur. unde Horatius, de art. Poët.

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant
An ſit amicitia dignus.

Mirabilis tamen conſuetudo Martini Schenckii, herois ob fortitudinem bellicam in Belgio noſtro notiſſimi, qui ubi expeditionem aliquam in hoſtem, aut inſidias moliretur, largisſime ſe invitare ſolebat, nunquam pertinacius conſilia ſua occultans, quam ubi vino ſe liberalius proluiſſet, narrat hoc Everhardus Reidanus, *hiſt. Belg. lib.* 8. & Strada, *dec.* 2. *lib.* 10.

12. Clavæ anſer appendet, avis ſtrepera eoque moleſta: ut ſolent homines

nes dicaces, quibus loquentię multum, ſapientiæ parum. qualem verſibus Ariſtophanis Poëtæ facetisſimi deſcripſit A. Gell. noct. attic. lib. 1. cap. 15.

Ἀνθρωπον ἀγριωπὸν, αὐθαδόστομον,
Ἔχοντα ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον,
Στόμα ἀπεριλάλητον, κομποφακελορήμονα.

Talis erat Therſites Homericus. Iliad. B. v. 212.

Θερσίτης δ' ἔτι μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα,
Ὅς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη
Μάψ, ἀτὰρ οὐ κατὰ κόσμον, ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν
Ἀλλ' ὅ, τι οἱ εἴσαιτο γελοίιον Ἀργείοισιν
Ἔμμεναι, αἴσχιστος δὲ ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε.

verſionem Eobani Heſſi ſubjungemus:

Solus compoſitam pacem turbabat inerti
Therſites lingua, qui turpibus invida dictis
Pectora plenus erat, qui frivola multa locutus
Cum ducibus populi contendere ſæpe ſolebat

Tur-

Turpiter, & nihil ad laudem referebat honeſtam;
Sed quod ridiculum pugnacibus eſſet Achivis.

cujus inanem loquacitatem deinde reprehendit Ulyſſes. v. 244.

Θερσίτ' ἀκριτόμυθε, λιγύς περ ἐὼν ἀγορητής.

Garrule Therſita, quamquam tibi multa loquendi
Copia ſuppeditet, nec ſis non voce ſuavi.

Inter tales Anſeres numeratus indoctus Poëta Anſer, qui Antonii Triumviri res geſtas decantaſſe ſcribitur, & hoc ſcommate traducitur, quod conetur

——*argutos inter ſtrepere Anſer olores.*

Eundem deſignat Propertius: lib. 2. eleg. 34.

Nec minor his animis, aut ſi minor ore canorus
Anſeris indocto carmine ceſſit olor.

Et Ovidius. 2. Triſt. --- *Cinnaque procacior Anſer.*

De hoc Cicero in Philippicis dixit: *Ex agro Falerno Anſeres depellantur.* ipſum enim agrum ei donarat Antoni-

us, vide Servium ad Virg. Eclog. 9.

Tempeſtivus tamen erat, imo ſaluberrimus populo Romano clangor ille anſerinus, apud Livium lib. 5. cap. 47. ut ſciamus Anſerem etiam tempeſtivi ſermonis hieroglyphicum eſſe. Cum Galli tanto ſilentio in Capitolium evaſiſſent, ut non tantum cuſtodes fefellerint, ſed ne canes quidem, ſollicitum animal ad nocturnos ſtrepitus, excitaverint. Anſeres non fefelleſe, quibus ſacris Junoni, in ſumma inopia cibi, tamen abſtinebatur. Namque clangore eorum, alarumque crepitu excitus M. Manlius, armis arreptis, ſimul ad arma cæteros ciens vadit, & dum cæteri trepidant, Gallum qui jam in ſummo conſtiterat, umbone ictum deturbat. Ideo deinceps Cenſores imprimis Anſerum cibaria locarunt. canibus autem ſtatum ſupplicium, quod, inter ædem Juventutis, & ſummani, vivi in furcas ſambucea arbore fixi pependerunt. *Plin. lib.* 10. *cap.* 22. *& lib.* 29. *cap.* 4. Imo, ut Plutarchus, oratione prima de fortitudine

ne Romanorum, ſcripſit, ſolenni in pompa geſtatus canis in crucem actus, Anſer autem ſplendide admodum in lectica & veſte precioſa ſedet.

Eadem hæc avis, quamvis vocalis, proprio tamen exemplo ſilentium docet. Teſtantur autores graviſſimi, Plutarch. de garrulitate., item de ſolertia animalium. Ammianus item Marcellinus, *lib.* 18. anſeres propter calorem linquentes Orientem, plagamque petentes occiduam, cum montem penetrare cœperint Taurum aquilis abundantem, timentes fortiſſimas volucres, roſtra lapillis occludere, ne eis eliciat vel extrema neceſſitas clangorem: iisque collibus agiliore volatu tranſcurſis, projicere calculos, atque ita ſecurius pergere. adde Ælian. hiſt. animal. *lib.* 5. *cap.* 29.

13. Ad pedes tandem Harpocratis noſtri devoluti ſumus. A dextro quidem pede *cuniculus* ſtat, vel *Lepus*. Animalia hæc adeo ſimilia, ut ejuſdem generis eſſe videantur, dicente Plinio, lib. 8. cap. 55. *Leporum generis*

ſunt & quos Hiſpania cuniculos appellat. Symbolice autem & hæc virtutes & vitia linguę exprimunt. Lepores patentibus dormiunt oculis, quod & de Leonibus ſcribitur. *Plin. lib.* 11. *cap.* 31. *Ælian. hiſt. animal. lib.* 13. *cap.* 13. Hoc curam indicat, & ſollicite omnia circumſpicientem prudentiam; quę, ſi uſquam, in loquendo certe pluſquam neceſſaria eſt. Scitum eſt illud: *λάλει ἃ δεῖ, καὶ ὅτε δεῖ, καὶ ὑπὲρ ὧν δεῖ, καὶ οὐκ ἀκούσεις ἃ μὴ δεῖ.* Quod Auguſtus Imp. docere voluit, dum vetuit loqui aut agere quicquam niſi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur. *Sueton. Aug. cap.* 64.

Interea & illi qui lingua ad garrulitatem abutuntur, & ipſi oculis ſunt vigilantibus, undique garriendi materiam oculis emisſitiis, & moleſtis percontationibus conquirentes; ideo Poëta famam deſcribens, Æneid. lib. 4. ait: — *quot ſunt corpore plumæ,*

Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu,
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.

Nocte

Nocte volat cæli medio, terræque, per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno,
Luce ſedet cuſtos, aut &c.

Timidum animal lepus, multoſque habens ſibi inſidiantes, unde Græci lepores πτῶκας dixerunt ἀπὸ τοῦ πτήσσειν. Ælian. de animal. *lib.* 7. *cap.* 19. oſtendit non tantum famam tam ficti pravique tenacem, quam veri nunciam, primo meticuloſam & parvam eſſe, antequam ſe in auras extollit

Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Sed & viros prudentisſimos non abſque hoc metus affectu ad dicendum ſurrexiſſe. Non tantum pallet *Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram*, ſed etiam qui liberi in libera Republica dixerunt. Audiamus Craſſum, quem Ci-
„ cero, lib. 1. de Oratore, ſic loquen-
„ tem facit: Enuntiabo apud omnes
„ homines familiarisſimos, quod ad-
„ huc ſemper tacui, & tacendum pu-
„ tavi. Mihi enim qui optime dicunt,

„ quique id facillime atque ornatiſſi-
„ me facere poſſunt, tamen niſi timi-
„ de ad dicendum accedunt, & in ex-
„ ordienda oratione perturbantur, pe-
„ ne impudentes videntur, tametſi id
„ accidere non poteſt. Ut enim quiſ-
„ que optime dicit, ita maxime dicendi
„ facultatem, varioſque eventus, ex-
„ pectationemque hominum pertime-
„ ſcit. qui vero nihil poteſt dignum
„ re, dignum nomine Oratoris, di-
„ gnum hominum auribus efficere, at-
„ que edere, is mihi, etiamſi com-
„ movetur in dicendo, tamen impu-
„ dens videtur: non enim pudendo,
„ ſed non faciendo id quod non decet,
„ impudentiæ nomen effugere debe-
„ mus. Quem vero non pudet (id quod
„ in pleriſque video) hunc ego non
„ reprehenſione non ſolum, ſed etiam
„ pœna dignum puto. Equidem & in
„ vobis animadvertere ſoleo, & in
„ meipſo ſæpe experior, ut exalbe-
„ ſcam in principiis dicendi, & tota
„ mente, atque omnibus artubus con-
„ tremiſcam. Adoleſcentulus vero ſic
initio

„ initio accuſationis exanimatus ſum,
„ ut hoc ſummum beneficium Q. Ma-
„ ximo debuerim, quod continuo con-
„ ſilium dimiſerit, ſimul ac me fra-
„ ctum ac debilitatum metu videret.
„ *Addit porro Cicero*: Hic omnes aſſen-
„ ſi, ſignificare inter ſe ac colloqui
„ cœperunt. fuit enim mirificus qui-
„ dam in Craſſo pudor, qui tamen non
„ modo non obeſſet ejus orationi, ſed
„ etiam probitatis commendatione
„ prodeſſet. Hactenus Cicero.

De Eccleſiaſticis inter Chriſtianos oratoribus hoc veriſſimum eſt: *Qui non aſcendit cum horrore, non deſcendit cum honore.* quid enim boni ſperandum eſt, cum impudentes prodeunt Oratores novi, ſtulti adoleſcentuli?

Nec minus linguæ vitia hoc animal nobis depingit. fœcundiſſimum animal quod ſemper gignit, & pariens uterum gerit. Plinius, lib. 8. cap. 55. *Lepus omnium prædæ naſcens, ſolus, præter daſypodem, ſuperfœtat, aliud educans, aliud in utero pilis veſtitum, aliud implume, aliud inchoatum gerens*

pariter. In Aſtypalæam duo aliquando lepores delati tantam ignorantibus & non curantibus inſulanis brevi fœturam ediderunt, ut cives in periculum patriæ deſerendæ venirent, & ab oraculo conſilium contra illud malum peterent, quibus a Pythia reſponſum ferunt:

Δίζῃ τετραπόδων ὅπως ἀπὸ λαγὸν ἀμύνῃς,
Ἀλλὰ σὺ τετράποδας, δίποδάς τ' ἀπεναντίον
ἄξεις.

Quadrupedum auxilium, quo pellas damna requiris,
At tu quadrupedes contra bipedeſque parata.

ſed hoc in Æſopi fabulis refertur. verum ad rem. quid lingua facunda fœcundius, ſupervacuus videtur labor rhetorum; de verborum copia præcipientium. cui lecta potenter erit res, hunc facundia non deſeret. ubi animus rerum copia repletus, quis orationis flumen inhibeat? Recte Horatius, de art. poët:

Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ;

Verbaque prævisam rem non invita ſequentur.

Modus hic adhibendus, ne in tinnulam & inanem deſinat loquacitatem, qua de re ſollicitum fuiſſe Periclem, Plutarchus in vita ejus memoriæ prodidit. cum enim ad concionem habendam accederet, Deos precari ſolitus eſt, ne ullum verbum, quod ad rem præſentem non faceret, invito ſibi excideret. Mendacii autem quanta ſit fœcunditas hoc diſtichon docebit:

Rumor rumores, errores parturit error,

Ut nivis exiguus creſcit eundo globus.

De leporum velocitate pluribus agit Ælianus, de animal. *lib.* 13. *cap.* 14. cujus incitamenta dicit eſſe aures, ut cauda eſt leonibus. Sic revera per linguam & aures famæ currit velocitas admiranda, ut de clade exercitus Mardonii Juſtinus teſtatur. *lib.* 2. *cap.* 14. ſed hac de re ſupra in alarum conſideratione diximus. Temerariam celeritatem in vitio ponendam eſſe docet Ja-

 cobus,

cobus, cap. 1. v. 19. Ἔστω πᾶς ἄνθρωπος ταχὺς εἰς τὸ ἀκοῦσαι, βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι. ſat cito, ſi ſat bene. ſapienter Nicoſtratus:

> Εἰ τὸ συνεχῶς, καὶ πολλὰ, καὶ ταχέως λαλεῖν
> Ἦν τοῦ φρονεῖν παράσημον, αἱ χελιδόνες
> Ἐλέγοντ' ἂν ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ.
> *Si funditare multa verba jugiter,*
> *Et celeriter, ſignum putas prudentiæ,*
> *Prudentiores homine ſunt hirundines.*

Ideo lepori de pedum pernicitate glorianti, in fabulis, vulpes ſe ingenio præſtare dicit, cujus multo & frequentior & præclarior uſus, quam pedum.

Quid autem potuerint cuniculi, docet Plinius, præſertim in Hiſpania, quæ ideo Catullo cuniculoſa dicitur, & inde forte nomen ſortita eſt a שפן judice Bocharto, *Geogr. ſacr. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 35. urbes, arbores, ſegetes everterunt, ut terrarum incolæ migrare coacti fuerint, & militare auxilium contra eos petierint: Eadem vero linguæ potentia eſt, quæ & magnas territat urbes, & multorum etiam priva-

torum

torum opes fortunaſque labefactavit penituſque evertit.

Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus; hoc illi garrula lingua dedit.

Supereſt avis ſiniſtro pedi aſſiſtens, corvus ſcilicet, & hic linguæ vitia ob oculos ponit. Cum enim pleræque aves Deum cantu ſuo celebrare, & hymnos euchariſticos in illius laudem canere videantur: corvus vocem clamoſam habet & obſtreperam, & tanquam importunus flagitator auribus moleſtiam creat. quin & ſibi ipſi ſæpe nocet, Horat. lib epiſt. 17.

Sed tacitus paſci ſi poſſet corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus inſidiæque.

Hic, ut vocalem ſe probaret, quod ſolum deeſſe tantæ ejus formæ vulpes ſimulaverat, crocitare adortus, prædæ quam ore geſtabat inductricem compotivit, ut hanc fabellam breviſſime narrat Apulejus, *florid.* 22. & apud Ovi-

Ovidium, 2. *metamorph.* mutati coloris cauſa garrulitas fingitur.

Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis
Ales, ut æquaret totas ſine labe columbas,
Nec ſervaturis vigili Capitolia voce
Cederet anſeribus, nec amanti flumina cygno.
Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci
Qui color albus erat, nunc eſt contrarius albo.

Idem linguæ vitium ſibi nocuiſſe ibidem narrat cornix, quam propterea Pallas, prudentiæ Dea, averſatur:

Acta, inquit, *Deæ refero, pro quo mihi gratia talis*
Redditur, ut dicar tutela pulſa Minervæ,
Et ponar poſt noctis avem. Mea pœna volucres
Admonuiſſe poteſt, ne voce pericula quærant.

Atque ita hujus imagunculæ Harpocratis hieroglyphicam interpretationem ad

ad mythologiam ethicam ſpectare, virtuteſque ac vitia linguæ ob oculos nobis ponere demonſtravimus.



DIS-

DISSERTATIO IV.

DE VARIANTIBUS LECTIONIBUS IN NOVO TESTAMENTO.

Diligentia Maſorethar um. Biblia Hebraica apud Fernandum Vegam Judæum. Diligentia Zwinglii in deſcribendis epiſtolis Paulinis Græcis. Beza plurimos pſalmos Hebraïcos, & Pauli epiſtolas Græce memoriæ mandavit. Phil. Melanchthon epiſtolam ad Romanos, Ioh. Regiomontanus, & Ioh. Rolandus totum Nov. Teſtamentum Gr. ſua manu deſcripſerunt. Variæ lectiones collectæ ab aliis & Stephano Curcellæo. Syllabus lectionum a Curcellæo omiſſarum.

INæſtimabilis eſt theſaurus ille, quem Deus O. M. ex infinita ſua gratia & φιλανθρωπίᾳ miſeris hominibus, inprimis

mis vero Eccleſiæ ſuæ, conceſſit ac credidit, ſcriptura ſcilicet θεόπνευστος, qua nobis ſanctiſſimam ſuam voluntatem, viamque ad æternam felicitatem tendentem aperuit, quo naturæ malignum lumen penetrare non poterat, admiranda eſt divini hujus inſtrumenti per tot ſecula contra quaſvis quorumvis hoſtium machinationes conſervatio, cum tot alii ſcriptores interierint. Omni itaque laude & prædicatione decoranda eſt eorum diligentia, qui indefeſſis ſuis laboribus hoc egerunt, ut ſuo labore, tanquam divinæ providentiæ ὀργάνῳ, ſacræ hæ tabulæ ad nos ſartæ tectæ, ſine ullo vel minimo detrimento tranſmitterentur. Stupenda eſt, inter Judæos, veterum Maſoretharum circa veteris inſtrumenti libros induſtria, qua illis ſepimentum quoddam circumdederunt, ut nulla aut veteratoris falſarii manus, aut ullus oſcitantioris librarii error, etiam in minimis, veneranda hæc monumenta corrumpere aut mutare valeant, quin e veſtigio per maſoram tanquam per

inda-

indaginem deprehendatur. Sæpe miratus fui Biblia illa Hebraïca, quæ anno octuageſimo ſupra milleſimum ſexcenteſimum vidi Amſtelodami, apud Gaſparem Fernandum Vegam, Judæum humaniſſimum. Erant elegantiſſimis characteribus in membranis deſcripta, addita ad marginem maſora, cujus verba minutiſſimis, nec minus concinnis literis, omne genus hominum, animalium, plantarum, arborum, &c. artificiociſſime referebant. Scripta autem erant in urbe Hiſpaniæ Servera a Samuele Bar-Abraham, ex pedis dolore decumbente, qui ſcriptionem hanc auſpicatus erat die quinto menſis Elul, qui ſeptembri noſtro fere reſpondet, anno mundi 5159. qui eſt annus Chriſti 1399. colophonem autem impoſuerat die ultimo menſis Iiar, qui nobis Majus eſt, anno mundi 5160. ſive anno Chriſti 1400. Pro hoc codice ter mille & ſexcentos florenos, Regis Hiſpaniarum nomine ſibi oblatos eſſe Vega narrabat: ipſe autem, longe pluris æſtimans, vendere

dere noluerat, Dei indignationem in ſeipſum, & in poſteros, ut ipſe quidem dicebat, veritus.

Summa quoque & celebranda maxime eſt multorum Chriſtianorum circa novi teſtamenti tabulas diligentia, dum eas, etiam poſt inventam artem typographicam, qua ſibi hujus laboris vacationem ſperare poterant, ſuis tamen manibus deſcripſerunt. Zwinglius epiſtolas Paulinas omnes Græce ſua manu exaravit, memoriæque mandavit, ut poſtea facilius Græce eas ſciret, quam latine. codex ipſe in bibliotheca Tigurina aſſervatur. Atque de eo ipſe in Exegeſi Euchariſtiæ ad Lutherum: *de meipſo coram Deo teſtor Euangelii vim atque ſummam, cum Johannis Auguſtinique tractatuum lectione didici, tum diligenti Græcanicarum Pauli epiſtolarum, quas, hiſce manibus, ante undecim annos exſcripſi, quam tu annos jam octo regnes.* Beza, ſi non ex ſcriptione, tamen ex juvenili ſtudio uſuque perpetuo, in ſenili ætate, obliterata fere omnium memoria hoc retinuit, ut to-

tos Pſalmos Hebraïce, & quodcunque caput ex epiſtolis Pauli recitare poſſet. Philippus Melanchthon epiſtolam ad Romanos Græce ſua manu bis deſcripſit. Hi circa partes occupati fuerunt: At Johannes Regiomontanus, Mathematicus, integrum Novum Teſtamentum Græce ſua manu elegantiſſime deſcripſit, quod in oratione de hoc Mathematico habita teſtatus eſt Eraſmus Reinholt mathematum in Academia Wittebergenſi Profeſſor. Joh. item Rolandus Eccleſiæ Amſtelodamenſis Paſtor, cum in tranſlatione Belgica novi teſtamenti verſaretur, totum illud majori & eleganti charactere Græce, elegantisſime deſcripſerat, adjecta ad latus per columnas nova ſua interpretatione Belgica: teſtis αὐτόπτης celeberrimus Theologus Gisb. Voëtius, *in Biblioth. ſtudioſi Theol. lib.* 1. *cap.* 3.

Singularis eſt & minime contemnendus eorum labor, qui, magno ſtudio & vigiliis, varias in novo teſtamento lectiones ex variis codicibus collegerunt. quæ ipſæ varietates mirandam

nobis

nobis Dei providentiam in conſervanda S. ſcriptura, ejusque integritatē commendant, dum nulla, qualicunque iſtarum lectionum varietate, ullum vel minimum orthodoxæ fidei pietative detrimentum allatum ſit. Nihil etiam ex illis, quoad ſubſtantiam foederis Dei, promi poteſt, quin contineatur in ſcripturis, quæ nulli dubitationi ſunt obnoxiæ. In iis vero, quæ certa & indubitata ſunt, continetur Canon ad id ex varietatibus illis eligendum quod optimum eſt & ſinceriſſimum. Adeo ut cum Deo expoſtulandum non ſit, quod non una opera omnes librarios & typographos, qui ab ipſis Prophetarum & Apoſtolorum temporibus, ad hunc usque diem libris ſacris vel deſcribendis vel excudendis vacarunt, inter deſcribendum & excudendum, ita direxerit, ut ne in minimo quidem apiculo a primo autographo diſceſſerint; cum ſemper remanſerint codices ex quorum collatione aliorum menda reparari potuerunt. De variis lectionibus in novo Teſt. lucu-

lenter egit Sal. Glasſius, Philol. ſacræ lib. 1. tractat. 2. Item Clar. Joh. Leusdenus Philol Gr. diſſert. 6.

Poſt alios in colligendis variis Novi Teſtamenti lectionibus diligentiam ſuam erudito orbi probavit Stephanus Curcellæus, edito novo teſtamento Amſtelodami, ex officina Elzeviriana, A C. 1658. adjectis variis lectionibus, imo & Henrici Stephani, aliorumque conjecturis, quod & iterata prodiit editione, A. C. 1685. ex officina Blaviana. Sunt tamen quædam, quæ diligentiſſimam ejus diligentiam effugerunt. itaque, hoc capite, poſt opulentiſſimam ejus meſſem, ſpicilegium inſtituemns, & quas; tum ex annotationibus Theodori Bezæ (quarum a Curcellæo non majorem rationem habitam eſſe, ſæpiuſcule miratus ſum) tum ex variis editionibus inter ſe collatis, commentariis item aliisque monumentis obſervavimus lectiones hic congeremus: teſtantes coram Deo nos hic bona fide agere, & ſolidis auctoritatibus niti, quas tamen, ne illis citandis

dis lectori tædium crearemus fere omitendas duximus. Inſpexi deinceps Novum teſtamentum cum variis lectionibus ab Anglis in Anglia editum, in quo cum viderem paucas admodum, a me hic notatas recenſeri lectiones, longe autem plures eſſe præteritas, operæ pretium eſſe non duxi, telam quam exorſus eram, propterea retexere. Necdum vidi quod in Anglia parturit Milleſius, de quo P. Rabus in Bibliotheca Europæa, ad menſes Julium & Auguſtum, 1693. cap. 22. §. 4. Quas autem Jacobus Lydius, ad hiſtoriam paſſionis ex quatuor Euangeliſtis, notavit, ante ejus Florum ſparſionem videri poſſunt. Nunc ergo σύλλαβον variantium harum lectionum oculis ſubjicimus.

In Matthæo:

capite x. verſu 14. in quibuſdam codd. deſunt hæc: μηδὲ ἀκούσῃ τοὺς λόγους ὑμῶν.

Ibid. v. 16. pro ἀκέραιοι Bezæ vetuſtiſſimus codex habet ἁπλούστατοι.

cap. XVII. v. 27. pro ἀναβάντα, alii legunt ἀναβαίνοντα.

cap. XVIII. v. 11. in quibuſdam codd. deeſt.

cap. XXIII. verſ. 24. pro articulo maſculino ὁ, eſt in quibuſdam codd. fœm. τὴν· τὴν δὲ κάμηλον.

cap. XXIV. v. 15. pro ἑςὼς, Eraſmus, & codex Rob. Stephani, Anno 1549, editus, legunt ἑςὸς.

cap. XXV. verſ. 29. vox παντὶ in multis codd. deeſt.

cap. XXVI. v. 39. pro προελθὼν, al. leg. προσελθὼν.

In Marco:

Cap. vii. v. 36. aliqui codd. ſic diſtinguunt: ὅσον δὲ αὐτὸς αὐτοῖς διεςέλλετο, μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον.

cap. viii. v. 15. pro Ἡρώδου, aliqui codd. habent Ἡρωδιανῶν.

cap. viii. verſ. 36. pro ἄνθρωπον, ad leg. ἄνθρωπος, al. vero ἀνθρώπῳ.

cap. ix. v. 23. Beza obſervat articulum τὸ in vetuſtiſſimo ſuo codice abeſſe, ſed in reliquis omnibus conſtanter haberi magno conſenſu, in uno autem inveniri junctum cum πιςεῦσαι, hoc modo: εἰ δύνῃ τὸ πιςεῦσαι.

ibid.

ibid. v. 28. pro ὅτι, in uno Bezæ cod. m. ſ. legebatur διότι. in alio τί ὅτι; quid eſt quod?

ibid. v. 37. Eraſmus teſtatur nonnullos ſcriptos codd. Græcos ſcriptum habuiſſe: οὐκ ἐμὲ δέχεται μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀποστείλαντά με.

ibid. v. 49. al. leg. πᾶς γὰρ ἄρτος πυρὶ &c.

cap. xi. v. 10. in quibuſdam codd. non leguntur hæc: ἐν ὀνόματι κυρίου.

ibid. v. 13. al. leg. οὐ γὰρ ἦν, καιρὸς σύκων.

cap. xv. v. 7. pro συστασιαστῶν, al. στασιαστῶν.

ibid. pro πεποιήκεισαν, al. ἐπεποιήκεισαν. al. πεποιήκασι.

In Luca:

Cap. vi. v. 26. Vox πάντες in quibuſdam deeſt: alii πάντα legunt.

cap vii. verſus 2. pro ἔντιμος, al. leg. τίμιος.

cap. ix. v. 16. pro εὐλόγησεν αὐτοὺς, vetuſtiſſimus Bezæ codex habet ἐπ' αὐτούς.

ibid. v. 54. hæc verba: ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε, in quodam cod. ut & in V. V. deſunt.

ibid. v. 55, 56. Hæc omnia in quibuſdam codd. deſunt: Καὶ εἶπεν· οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς. ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ

ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι.
Eraſmus notat. in quibuſdam codd. ἀνθρώπων non addi.

cap. xi. verſ. 3. pro καθ' ἡμέραν, al. leg. σήμερον.

ibid. v. 4. pro καὶ γὰρ αὐτοὶ, al. leg. ὡς καὶ ἡμεῖς.

ibid. verſus 35, & 36. in vetuſtiſſimo Bezæ cod. deſunt.

ibid. v. 53 pro ἀποστοματίζειν αὐτὸν, al. leg. συμβάλλειν αὐτῷ.

ibid. pro ἐνέχειν, al. leg. ἔχειν.

cap. xii v. 15. pro voce ultima αὐτοῦ, al. leg. αὐτῷ.

ibid. v. 21. pro ἑαυτῷ, al. leg. ἐν ἑαυτῷ.

cap. xiii v 11. pro πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας, in vetuſtiſſimo Bezæ cod. eſt: ἐν ἀσθενείᾳ ἦν πνεύματος.

ibid. v. 19. pro ὃ λαβὼν, al. leg. ὃν λαβών.

cad. xiv. v. 7. pro ἐπέχων, al. leg. ἐπάγων. vide Heinſ. ad hunc locum.

ibid. v. 15. pro ἄρτον, al. leg. ἄριστον.

cap. xv. v. 4. quidam codd. notam interrogationis rejiciunt in finem ſententiæ. Caſaub.

cap. xviii. v. 5. pro ὑπωπιάζῃ, alii leg.

ὑπωπιάζῃ: al. ὑποπιέζῃ. Suicer. theſ. Eccl.

cap. xix. totus verſus 25, deeſt in vetuſto cod. Bezæ.

ibid. v. 45, 46. in venerandæ vetuſtatis libro. in regia bibliotheca, teſte Salmaſio, ſic legitur, καὶ εἰσελθὼν εἰς ἱερὸν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας, λέγων αὐτοῖς, γέγραπται, καὶ ἔσται ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς, ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ποιήσατε σπήλαιον λῃστῶν.

cap. *xxi*. v. 11. Bezæ & Caſaubono ſic videtur diſtinguendum: τότε, ἔλεγεν αὐτοῖς, ἐγερθήσεται.

ibid. v. 32. voci πάντα, in vetuſto cod. Bezæ; additur ταῦτα.

cap. xxii. v. 19. hæc verba, ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, deſunt in vetuſto cod Bezæ.

ibid. v. 20. hæc verba, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, deſunt in m. s cod. Græco-Latino, reperto Lugduni in monaſterio Irenæi; codice adeo vetuſto, ut ipſius Irenæi videri poſſit. teſtis Hoſpinianus, hiſtor. ſacram. part. 1. lib. 5 cap 1.

ibid. v. 42. pro παρενεγκεῖν, al. leg. παρενέγκαι.

cap. xxiii. v. 42. voci σήμερον, Beza in quodam codice præpoſitum legit ὅτι. ut Syrus דיומנא ubi ד uſurpatur loco

pronominis relativi ש cujus prima eſt litera.

cap. xxiv. v. 1. in uno cod. deſunt hæc, καί τινες σὺν αὐταῖς, quæ & Vulg. non legit. ibid. v. 27. pro διηρμήνευεν, aliis leg. διηρμήνευσεν.

In Johanne,

Cap. iv. v. 42. pro λαλιὰν, vetus cod. Bezæ habet μαρτυρίαν.

cap. v. verſ. 16. in quibuſdam libris omiſſa eſſe hæc, καὶ ἐζήτουν ἀποκτεῖναι αὐτὸν, notavit Grotius.

cap. vi. v. 23. in vetuſt. cod. Bezæ, & aliis nonnullis deſunt, εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου.

ibid. v. 45. pro διδακτοὶ, al. leg. διδακτικοὶ. *Valla.*

ibid. ad finem verſus 53. in uno vetuſto cod. hæc addita invenit Beza: καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί. ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. quę nec temere expunxerit, nec facile admiſerit Beza.

cap. vii. v. 8. in uno cod. hæc deſunt: ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην.

ibid. v. 39. verbis πνεῦμα ἅγιον, quidam codd. addunt δεδομένον.
cap. viii. v. 9. pro καθεὶς, al. leg. καθ' εἷς
cap. x. v. 26. pro ὃ γάρ ἐστι, al. leg. ὅτι οὐκ ἐστὲ.
cap. xii. v. 4. pro Ἰσκαριώτης, Bezæ vetuſt. cod. ἀπὸ τοῦ καρυώτου, & ſic habet ubique apud Johannem, quinque nimirum locis. Beza in Matth. cap. x. v. 4.
cap. xiv. v. 2. verbo πορεύομαι quidam præponunt ὅτι. *Dieu*.
cap. xv. verſ. 6. pro αὐτὰ, al. leg. αὐτό. *Bez.*
ibid. v. 16. pro δῷ tertiæ perſonæ, al. leg. δῶ in 1. perſona.
cap. xvi. verſ. 4. ἔλθη ἡ ὥρα, alii addunt αὐτῶν. confer. Luc. *xxii*. v. 53.
ibid. v. 30. pro οὐ χρείαν ἔχεις, aliis leg. οὐ χρεία ἐστὶν.
ibid. v. 31, pro πιστεύετε; alii non habent notam interrogandi.
cap. xvii. v. 2. pro δώσῃ, cod. Bezæ, ἔχῃ.

In Actis Apoſtolorum,

Cap. iv. v. 12. voces ἀπὸ τ' οὐρανὸν, notante

tante Beza, deſunt in multis codd. ut & in ſcholiis Oecumenii. Nec Eraſmus legit in textu Græco, editionis Pariſienſis 1543. in 8o. ubi tamen in verſione latina eas habet: *ſub cœlo*. leguntur etiam in texru Græco & verſione latina, in operibus Eraſmi in folio editis. Lutherus in verſione Germanica omiſit. Oſiander eas redundare notat.

cap. *xii*. v. 5. pro ὑπὲρ αὐτοῦ, al. leg. περὶ αὐτοῦ.

ibid. v. 6. pro αὐτὸν περιάγειν, aliis leg. περιάγειν αὐτόν.

ibid. v. 23. in vetuſt. cod. Bezæ ſic leg. σκωληκόβρωτος ἔτι ζῶν, ἕως ἀνέψυξεν.

cap. *xiii*. v. 33. in vetuſtiſſimo uno Bezæ codice pro δευτέρῳ legitur πρώτῳ, quomodo & alios legiſſe vide ſis apud Polum, ad Pſal. ii. 1. ſive primi duo pſalmi olim fuerint juncti: ſive primus reliquis olim annumeratus non fuerit, quæ eſt ſententia Joh. Piſcatoris, ſchol. in Pſal. 1.

cap. *xv* pro πᾶν, al. leg. ἅπαν.

ibid. v, ultimo, in vet. cod. Bezæ addi-

ditur: παρὰ ἡδὺς τὰς ἐντολὰς τ͂ πρεσβυτέρων.

cap. *xxi*. v. 3. pro ἀναφανέντες ἢ τὴν κύπρον, al. leg. ἀναφάναντες ἢ τὴν κύπρον. alii autem; ἀναφανέντ@ ἢ τ͂ κύπρε. alii tandem: ἀναφήναντες ἢ τὴν κύπρον. adi Suicerum, theſaur. Eccleſ. in Ἀναφαίνω.

ibid. v. 29. pro τρόφιμον, Epiphanius legit τίμον. legendus hac de lectione Vedelius, de cathedra Petri, lib. 1. cap. 12.

cap. *xxvii*. v. 14. pro εὐροκλύδων, Vulg. Interp. legit εὐροακύλων. vid. Bochart. Geograph. ſacræ, part. 2. lib. 1. cap. 26.

In epiſtola ad Romanos,

Cap. 1. v. 32. Iſidorus Peluſiota, in antiquo exemplari, pro ἐ μόνον αὐτὰ ποιῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκῦσι, legit: ἐ μόνον οἱ ποιῦντες αὐτὰ, ἀλλὰ οἱ συνευδοκῦντες.

cap. vi. v. 10. ὃ γὰρ ἀπέθανε, ὃ ἢ ζῇ, pro articulo poſtpoſitivo neutro, alii codd. habent præpoſitivum maſculinum: ὁ γὰρ ἀπέθανε, ὁ ἢ ζῇ.

In priori ad Corinthios,

Cap vii. v. 6. pro συγγνώμην, al. leg. γνώμην.

ibid. v. 22. pro vulgata lectione; ὁ γὰρ ἐν κυ-

κυρίῳ κληθεὶς δοῦλος, ἀπελεύθερος κυρίου ἐστί· alii codd. habent: ὁ γὰρ ἐν κυρίῳ κληθεὶς, δοῦλος, ἀπελεύθερος, κυρίου ἐστι per ἀσύνδετον. vid. not. ad Lactant. de mort. perſecut. p. 247.

cap. *xi.* v. 16. pro αἱ ἐκκλησίαι, in mss. legitur in ſingulari, ἡ ἐκκλησία, quomodo & Syrus, & vulgatus Interpres, & Cyprianus legerunt.

cap. *xiii.* v. 3. pro ψωμίζω, aliis leg. ψωμίσω.

In poſteriori ad Corinthios,

Cap. vii. v. 11. pro ἀπολογίαν, al. leg. ἐξημολόγησιν. vid. Marloratum ad hunc locum.

In epiſtola ad Galatas,

cap. iii. v. 19. pro ᾧ ἐπήγγελται, al. leg. ὃ ἐπήγγελται.

In Epiſtola ad Coloſſenſes,

Cap. iv. v. 16. pro τὴν ἐκ λαοδικείας, alii leg. τὴν λαοδικείας.

In poſteriori ad Theſſalonicenſes,

Cap. iii. v. 17. pro οὕτω γράφω· ubi ſemicolon: Ar. Montanus & Complutenſes habent nudũ comma: οὕτω γράφων

In poſteriori ad Timotheum,

Cap.

Cap. iv. v. 10. pro εἰς Γαλατίαν, Epiphanius τῶν αἱρέσεων, legit ἐν Γαλλίᾳ. *Beza.*

In priore Petri,

Cap. iii. v. 21. pro ᾧ, al. leg. ὃ, alii ὦ. vid. Polum.

cap. iv. verſ. 1. Aliqui legunt, ὁ παθὼν σαρκὶ, omiſſa præpoſitione ἐν. *Pol.*

ibid. v. 3. Alii ἡμῖν, al. ὑμῖν legunt.

In poſteriore Petri,

Cap. 1. v. 9. pro μυωπάζων, Eraſmus legit μυωπιάζων. videndus Bochartus in Hierozoico, part. 1. lib. 1. cap. 4. ex eo Suicerus theſ. Eccl. in μυωπάζω.

In prima epiſtola Johannis,

cap. iii. verſ. 20. pro ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ Θεὸς Henr. Stephanus conjecit legendum: ἔτι μείζων. notavit hoc Beza ad hunc locum.

cap. iv. v. 2. Petrus Bombaſius in epiſtola ad Eraſmum, quæ inter hujus epiſtolas legitur, lib. 17. teſtatur ſe in bibliotheca Vaticana reperiſſe primam epiſtolam, vetuſtisſimis characteribus ſcriptam, in qua hoc verſu, pro ἐληλυθότα legitur ἐληλυθέναι. & porro.

ibid. v. 3. καὶ πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν

Ἰησοῦν, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου· ὃ ἀκηκόατε ὅτι ἔρχεται. &c. De eodem verſu tertio teſtatur Socrates, hiſtor. Eccl. lib. 7. cap. 32. in vetuſtis exemplaribus ſic ſcriptum fuiſſe: ὅτι πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν, ἀπὸ Θεοῦ οὐκ ἐστί.

In Apocalypſi,

Cap. vii. v. 6. Pro Δὰν tribu hic omiſsâ, Μανασσῆ (quaſi Μὰν contractum pro Δὰν legerit ſcriba) obrepſit. conjectura eſt Fr. Gomari, ad Matt. 27. v. 9, 10.
ibid. v. 9. ἑστῶτες ἐπὶ τοῦ θρόνου.
cap. x. v. 4. pro; ἢ μὴ ταῦτα γράφῃς, al. leg. καὶ μὴ ταῦτα γράφεις, aliis autem, καὶ μετὰ ταῦτα γράψον. vid. Paræum, ad hunc locum.
cap. xii. v. 8. poſt ἐσφαγμένου, comma.
ibid. v. 10. εἴ τις εἰς αἰχμαλωσίαν, εἰς αἰχμαλωσίαν ὑπάγει. In ms. Grot.

Hæc in gratiam Theologorum & Philologorum collecta, ſi aliquando typographi novi teſtamenti Curcellæani editionem molientes, reliquis variis lectionibus adjicere voluerint, operæ pretium eos facturos non dubito, mihi autem de hoc qualicunque labore gratulabor.

DIS-

DISSERTATIO V.

CONCILIATIO EVANGELISTARUM.

Marci cap. xv. v. 25.
Johan. cap. xix. v. 14.

Sententiæ Interpretum ad claſſes redactæ. Prima eſt deſperantium Caſauboni & Toleti. Secunda nodum ſecantium Hieronymi & Theophylacti: ubi quædam de notis & ſiglis, de fraudibus circa codd. vetuſtos. Tertia crucifixionem a clamore Judæorum inchoantium, quæ ſeutentia Auguſtini & aliorum. Quarta horas diverſimode apud Judæos & Romanos ſupputantium: oſtenditur eandem horarum rationem apud utroſque fuiſſe. de horis ſacris ſive tempore orationis apud Judæos. De die παρασκευῆς, *qua Servator noſter*

cruci affixus. Quinta & ultima ſtatuentium Marcum tempus crucifixionis reſpexiſſe, quæ ſententia pluribus confirmatur, & difficultates contrariæ diluuntur.

INſignis eſt ἐναντιοφάνεια inter duos Euangeliſtas Marcum & Johannem, dum enarrantes hiſtoriam crucifixionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, temporis momenta non uno modo notant. Scribit enim Marcus, cap. xv. v. 25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. deinceps autem, verſ. 33. cum Matthæo, cap. xxvii. v. 45 & Luca, cap. xxiii. v. 44. tenebras paſſionis comites ſextæ horæ aſſignat. Johannes vero cap xix. v. 14. hora ὡσεὶ ἕκτῃ Pilatum pro tribunali ſediſſe, Jeſum Judæis his verbis oſtendiſſe, Ἴδε, ὁ βασιλεὺς ὑμῶν, extemplo crucifigendum tradidiſſe affirmat. Sudarunt multi & magni nominis viri tum veteres tum recentiores, ut ſacros, qui diſſentire videntur, ſcriptores inter ſe conciliarent. Horum ſen-

ten-

tentias ad certas claſſes redigam, atque expendam; deinde, quomodo Marcus tum cum ſeipſo, tum cum Johanne, reliquiſque Euangeliſtis conciliandus mihi videatur, proponam.

Prima claſſis eorum eſt, qui hanc difficultatem inſuperabilem judicant, nodumque ἄλυτον. In hac locum aſſignamus Iſaaco Caſaubono, & Franciſco Toleto. Prior, circa Marcum, cap. *xv.* v. 33. & Lucam, cap *xxiii.* v. 4. ubi tenebrarum ſit mentio hora ſexta, juxta Marcum, exortarum: cum Lu-
,, cas dicat, ἦν ὡσεὶ ὥρα ἕκτη, ſic com-
,, mentatur: Volunt viri docti, ver-
,, ba Lucæ; quæ eadem ſunt cum ver-
,, bis Johannis, contrario modo eſſe
,, exponenda, ut intelligatur hora ſe-
,, xta paulo ante præterita; cum apud
,, Johannem ſit intelligenda hora pau-
,, lo poſt futura. Marcum igitur horam
,, ſextam eo loci appellaſſe, non præ-
,, ciſe tempus ipſum horæ ſextæ, ſed
,, latius tempus a ſexta, quod præteri-
,, erat, non magno diſtans intervallo:
,, Alii alia afferunt: *Sed omnium fortaſ-*

„ ſe optima ſolutio fuerit, exſpectandum „ eſſe Eliam, qui τὰ ἄπορα ſcripturarum „ ſolvat, atque interim verbi divini cer- „ titudinem, tam in iis quæ non capimus, „ quam in iis, quæ capere videmur, hu- „ militer eſſe adorandam. Toletus autem de Marci hora tertia, & Johannis ſexta ſic judicat: *Fateor in hac parte, niſi volumus admittere ſcriptorum vitium cum Hieronymo & Theophylacto, nihil eſſe quod ex integro ſatisfacit.*

Ad ſecundam claſſem refero eos, qui nodum hunc non ſolvunt ſed ſecant, & librarios oſcitantiæ accuſant, alii quidem in Marco, alii in Johanne deſcribendo. In Marco ſcribas erraſſe vult Hieronymus in Pſal. 77. *Scriptum eſt*, inquit, *in Matthæo & Johanne, quod Dominus noſter hora ſexta crucifixus ſit; rurſum ſcriptum eſt in Marco, quia hora tertia crucifixus ſit. hoc videtur diverſum eſſe, ſed non eſt diverſum: error ſcriptorum fuit, & in Marco hora ſexta fuit, ſed multi epiſemon Græcum putarunt eſſe* г. &c: Huic ſuffragatur verſionis Æthiopicæ auctor.

contra

contra in deſcribendo Johanne a ſcribis erratum judicat Theophylactus his verbis: λύουσιν οὖν τοῦτο τινὲς μὲν, ὅτι γραφικὸν τὸ σφάλμα· τὸ μὲν γάμμα τὴν τρίτην ὥραν σημαίνει, καὶ ἐστὶν ὁ χαρακτὴρ αὐτοῦ τοιοῦτος Γ. τὸ δὲ καλούμενον ἐπίσημον τὴν ἕκτην, καὶ ἔχει τὸν χαρακτῆρα τοιόνδε ς. εἰκὸς οὖν τὸ γάμμα στοιχεῖον, ἀπὸ τῆς ἀπροσεξίας τῶν μεταγραφόντων κυρτωθείσης τῆς ἀποτεταμένης εὐθείας εἰς τὸν τοῦ ἐπισήμου μεταχωρῆσαι χαρακτῆρα, καὶ οὕτω τὴν πλάνην ταύτην γενέσθαι. *Hoc igitur ſolvunt quidam, quod ſcripturæ error ſit; nam litera gamma tertiam horam ſignificat, & eſt character ejus talis* Γ. *litera autem quæ ſextam ſignificat, habet talem characterem*, ς. *veriſimile autem literam* Γ. *a ſcriptoribus non attentis tranſiiſſe ea parte, quæ in longitudinem rectam producebatur incurvata in characterem epiſemi, quo ſextus numerus ſignatur, & ſic hunc errorem ortum.*

Fateor creberrimum notarum uſum fuiſſe apud veteres; videri poteſt Lipſius, *cent.* I. *ad Belgas, epiſt.* 27. Periculoſum tamen hoc ſcribendi genus, in quo vel peritiſſimis librariis danda ſit venia, cum facile non ſit ex unica litera

totam dictionem conjectare, pluribus idem principium habentibus, ut vel unum exemplar præ oculis habentes plures, & literarum vim ſuo captu æſtimantes, ſint aliud atque aliud verbum repoſituri. quid ſi librarii ſint imperiti? Sed & puellarum olim id penſum fuit, ut eo labore nonnunquam ſibi dotem quærerent. Quot & quanta inde bonis auctoribus vulnera impreſſa ſunt? Nec fuit literarum aut notarum quibus quis uteretur certa ſignificatio, ut eſt apud omnes eadem numiſmatum æſtimatio: pro arbitrio & inſtituto ſcribentium ſingulæ ſignificabant. Audiamus Ciceronem, lib. 2. de Orat. *Movent etiam, quæ conjectura explanantur longe aliter atque ſunt, ſed acute, & concinne: ut cum Scaurus accuſaret Rutilium ambitus, cum ipſe conſul eſſet factus ille repulſam tuliſſet, & in ejus tabulis oſtenderet literas* A. F. P. R. *idque diceret eſſe.* Actum Fide Publii Rutilii *Rutilius autem,* Ante Factum Poſt Relatum. *Cajus Cannius Eques Romanus, cum Rufo adeſſet, exclamavit neutram*

tram his literis declarari. Quid ergo? inquit Scaurus Æmilius Fecit Plectitur Rutilius: quo ex loco videre eſt certam non fuiſſe per ſingularias literas artem ſcribendi, ſed tantum valuiſſe ſingulas, quantum aut ſcriptori collibuisſet, aut inter plures, qui per literas, quaſi per internuncium, contraherent, collibuiſſet. Ideoque hoc ſcribendi genus, tanquam juris civilis excidium vetuit Juſtinianus Imp. epiſtola ad Tribonianum: *Ne per ſcripturam aliqua fiat dubitatio, jubemus non per ſingularium captiones, & compendioſa ænigmata, quæ multas per ſe & per ſuum vitium antinomias induxerunt, cujuſdam codicis contextum conſcribi, etiamſi numerus librorum ſignificatur.* Et alio loco epiſtola ad Anteceſſores: *Nemo audeat eorum qui libros ſcribunt, ſigla in eis ponere, & per compendium ipſi legum interpretationi, vel compoſitioni diſcrimen adferre.*

Longe vero major reverentia debetur illis libris, qui non ab Imperatore mortali, ſed ab ipſo Deo dictati &

Eccleſiæ traditi ſunt, in quibus etiam ipſi numeri a divinis amanuenſibus non per compendia, ſed integris vocibus expreſſi ſunt, ut in textu ſacro veteris præſertim teſtamenti obſervatum eſt. In novo vero teſtamento, in ſola Apocalypſi cap. vii. v. 5, 6, 7, 8. & cap. xiii. v. 18. numeri per literas expreſſi ſunt.

Codex autem, in uſum forte privatum, ab aliquo per ſigla, in quibus lapſus admodum facilis, deſcriptus, aliis melioribus præjudicare non debet. Neque aut Hieronymus aut Theophylactus ſe vidiſſe aut habuiſſe dicunt; ut mera hæc eorum conjectura ſit.

Sed alia difficultas oritur ex Petro Alexandrino, qui in diſputatione de Paſchate, in ipſo S. Johannis autographo *tertiam* ſe legiſſe his verbis affirmat; ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ τρί-τη. καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ εὐαγγελιστοῦ, ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ, ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιω-τάτῃ ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυ-

[illegible]. *Erat paraſceue paſchatis, hora quaſi tertia; ſicut habent libri accurate deſcripti, atque adeo ipſum autographum manu propria Euangeliſtæ ſcriptum, quod gratia Dei ad hunc diem ſervatum, extat in ſanctiſſima Epheſiorum eccleſia; & a fidelibus, magna cum reverentia viſitur.*

Verum enimvero quam facile creduli & ſuperſtitioſi homines in ſanctorum virorum monumentis decipiantur in propatulo eſt. quanta eſt inter imperitos in Eccleſia Romano-catholica λειψανο-λατρεία? quæ religio, non niſi miſeris & anilibus narratiunculis ſubnixa, popello obtruditur? has fallacias etiam in libris obtinuiſſe, ex ſuperiorum ſeculorum hiſtoria manifeſtum eſt. Exempla duo narrat Vives, *lib. 1. de cauſis corrupt. art.* Scilicet quidam in veteri bibliotheca reperit verſiculos, pulvere & pedore obſitos, ille, tanquam Virgilianos, veneratus eſt, cum tamen eſſent hominis tum viventis. Et alius Ciceronis epiſtolam, cui conſulto erat nomen Gallicum præpoſitum, magno faſtidio aſpernatus eſt addito

etiam convitio barbariæ tranſalpinæ. Simile his narrat Laurentius Valla, *declamat. de donat. Conſtantini*: Romæ, ait, oſtendi ex autoritate Papæ, bibliorum codicem, tanquam ſanctorum reliquias, luminaribus ſemper accenſis. Hieronymi chirographo ſcriptum dicunt. Quæres argumentum? quia multum, ut inquit Virgilius, eſt pictaï veſtis & auri, reſque magis indicat Hieronymi manu ſcriptum non eſſe. Ipſe Valla, diligentius inſpectum comperit ſcriptum eſſe juſſu Regis Roberti, chirographo hominis imperiti.

Eadem dementia & Epheſios, & Petrum Alexandrinum cepit. Unde illis infallibilis, de hoc codice manu Johannis deſcripto, certitudo? & cui bono? Non ſine ratione profecto per divinam providentiam factum eſt, quod ipſa αὐτόγραφα Moſis, Prophetarum, Apoſtolorum, adeoque ipſius Johannis Evangeliſtæ in hominum manibus non amplius verſentur, ſed perierint, Ne ſcilicet putemus ea nobis eſſe neceſſaria, atque ita in idola

ver-

vertantur, quod in Moſis etiam corpore tentaſſe creditur diabolus. Præterea quam facile hominibus adulterinum aliquod pro genuino ἀυτογράφῳ obtrudi poſſet, ut hoc pacto vileſceret aliorum, quæ in omnium manibus ſunt, autoritas, atque adeo repudiarentur. Sufficit hic nobis pactum Dei, quo ecclesiæ ſuæ commiſit eloquia ſua, *Rom. cap. iii. v. 2.* ut Apoſtolorum doctrina maneret usque ad conſummationem ſeculi. *Matth. xxviii.* Judæi habebant Moſem & Prophetas, quamvis ipſa ἀυτόγραφα non haberent. *vide Hotting. theſaur. Philob. lib.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 3.

Sed, inquies, & Nonnus huic ſententiæ ſubſcribit: is enim ſua in Euangelium Johannis paraphraſi, pro hora ſexta, quam habent noſtri codices, tertiam poſuit, Veruntamen certum non eſt tertiam in illius codice eſſe lectam, hanc enim ex Marco deſumſiſſe videtur, eamque cum Johanne compoſuiſſe: & cum alia ratione ſe expedire non poſſet, utramque lectionem retinuiſſe: ſic tamen, ut ſextum nu-

me-

merum ad heldomadæ diem, tertiam vero ad horam retulerit. Sic enim canit:

Ἕκτη δ', ἣν ἐνέπουσι προσάββατον, ἔπλετο ἠώς,
Ἦν δὲ ἐκτεινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη.

Sexta vero, quam dicunt proſabbathum, tunc erat aurora, eratque protenſa tertia mortifera hora.

Tandem opponi poſſent præter vetuſtum Bezæ ac Camerarii, duo aut tres alii, quorum meminerunt Petavius, *de doctrina temp. lib.* 12. *cap.* 19. & Uſſerius, *Chron. Alex.* in quibus in Johanne τρίτη lectum. Quis vero unius atque alterius codicis diverſitatem, ab oſcitante aliquo ſcriptore ortam, præferendam judicet conſentientibus innumeris aliis codicibus mss. & editis: verſionibus item antiquiſſimis, maximæque in eccleſia auctoritatis, Syriacæ, Arabicæ, Perſicæ, Latinæ, omnibuſque vernaculis?

Quin etiam hæc lectio propterea improbanda eſt, quia dum Johannem cum Marco conciliare tentat, utrumque cum cæteris Euangeliſtis committit. Hoc quoque obſervandum: Hierony-

ronymum, qui in Marco, & Theophylactum, qui in Johanne a librariis errorem eſſe commiſſum volunt, ſibi invicem ita contradicere, ut nihil magis ad mutuam harum ſententiarum deſtructionem valeat. Cum enim æque probabili oppoſitorum errorum ὑποθέσει innitantur, ſua invicem fundamenta ſubruunt, ſimulque corruunt. Cum ergo neutra ſine ſacri textus violatione conſiſtere poſſit, neutra admittenda eſt. Integritas quidem S. Scripturæ a ſingulis apicibus non pendet: ſunt tamen apices ex quibus magni montes dependent, quos inter & numeri numerandi ſunt, ſi ad fidei myſteria pertineant. Horum autem mutatio ſine ſacrilegii ſpecie, & divinæ auctoritatis inſigni diminutione fieri nequit.

Sequitur tertia Claſſis eorum qui crucifixionem inchoant a clamore Judæorum coram Pilato, uſque ad ejus executionem in Golgotha. Statuunt crucifixionis actum longiorem habuiſſe extenſionem quam vulgo putatur,

atque

atque inchoatum tunc cum Judæi clamarunt, *crucifige, crucifige*; & Pilatus Chriſtum virgis cæcidit, quod præparationis locum ad crucifixionem obtinuit. Præparatus ergo & damnatus Chriſtus ad crucem prolixiore molimine, ipſa autem crucis pœna affectus fuit hora Romanorum duodecima. Marcus ergo accipiendus de actus crucifixionis initio; Johannes vero de ipſa patratione, & in crucem actione. Illud enim hora tertia Judæorum, hoc eſt, nona Romanorum contigerit: ſic hanc ſententiam proponit Jacobus Lydius, *Florum ſparſ. ad paſſion. pag.* 194. quæ hic de horis Judæorum, & Romanorum inſeruntur in claſſe quarta examinabimus. Eodem fere modo hæc conciliat Clar. Morinus, de horis ſalvificæ paſſionis; *pag.* 77. 78. Ab hac ſententia non alienus olim fuit Auguſtinus, verba ejus ex *libro* 3. de conſenſu Euangeliſtarum, *cap.* 13 hæc: „Intelligitur ergo fuiſſe hora tertia, „cum clamaverunt Judæi ut Dominus „crucifigeretur, & veraciſſime demon-

„ſtra-

„ ſtratur tunc eos crucifixiſſe quando
„ clamaverunt, maxime quia nole-
„ bant videri ſe hoc feciſſe, & pro-
„ pterea Pilato eum tradiderant; quod
„ eorum verba ſatis indicant, ſecun-
„ dum Iohannem: Cum enim dixiſſet
„ eis Pilatus, quam accuſationem af-
„ fertis adverſus hominem hunc? reſpon-
„ derunt & dixerunt ei, ſi non eſſet
„ hic malefactor, non tibi tradidiſſe-
„ mus eum. Dicit ergo eis Pilatus,
„ Accipite eum vos, & ſecundum le-
„ gem veſtram judicate eum. Dixerunt
„ ergo ei Iudæi, Nobis non licet
„ interficere quenquam. Quod ergo
„ maxime feciſſe videri nolebant, hoc
„ eos hora feciſſe tertia Marcus oſten-
„ dit, veriſſime indicans magis fuiſſe
„ Domini necatricem linguam Iudæo-
„ rum quam militum manus. quiſquis
„ autem dixerit non fuiſſe horam ter-
„ tiam, cum hoc Iudæi primitus cla-
„ maverunt, inſaniſſime ſe oſtendit
„ inimicum Euangelii, niſi forte ali-
„ ter potuerit eandem diſſolvere quæ-
„ ſtionem. Non enim habet unde con-

„ vi-

„ vicant non fuiſſe tunc horam tertiam.
„ *Et poſtea*: Matthæus ait: Dicit illic
„ Pilatus, quid igitur faciam de Jeſu, qui
„ dicitur Chriſtus? dicunt omnes, cruci-
„ figatur, tunc fuiſſe dicimus horam ter-
„ tiam. quod autem Matthæus ſequitur
„ & narrat, Videns autem Pilatus quia
„ nihil proficeret, ſed magis tumultus
„ fieret, & in conatibus Pilati ad eri-
„ piendum Dominum Jeſum, & in tu-
„ multu Judæorum contranitentium
„ conſumtum tempus duarum horarum
„ intelligimus, & cœptam fuiſſe ſex-
„ tam, qua nondum terminata; geſta
„ ſunt, quæ ab eo tempore, quo Pi-
„ latus Dominum tradidit usque ad te-
„ nebras factas narrantur. x.x.x. Ite-
„ rum autem Pilatus, ſecundum Lu-
„ cam locutus eſt ad illos, volens di-
„ mittere Jeſum, at illi ſucclamabant
„ dicentes, cruicifige illum. tunc intel-
„ ligitur x.x x. fuiſſa hora tertia, x.x.x.
„ Cum ergo vidiſſent eum pontifices
„ & miniſtri clamabant dicentes: cru-
„ cifige, cruicifige, eum tunc horam
„ tertiam fuiſſe dicimus. *Repetit.* Ab
„ il-

„ illa ergo voce Judæorum, qua pri-
„ mum dixerunt. crucifige, cum eſſet
„ hora tertia diei, usque ad hoc quod
„ ſedit pro tribunali, per medias mo-
„ ras contationis Pilati & tumultuanti-
„ um Judæorum, duæ horæ præterie-
„ rant, & peracta quinta jam de ſexta
„ aliquid cœperat. Dicit ergo Judæis,
„ Ecce Rex veſter. *Concludit:* Jam ita-
„ que corruat impia pertinacia, & cre-
„ dat Dominum Ieſum Chriſtum, &
„ tertia hora crucifixum lingua Iu-
„ dæorum, & ſexta manibus militum,
„ quia in tumultu Judæorum, & Pila-
„ ti æſtibus, duæ atque amplius horæ
„ præterierunt, a voce qua dixerunt,
„ crucifige. *Rationem autem, ab adver-*
„ *ſario inferendam ſic ſolvit*: quiſquis
„ autem dixerit, potuiſſe Marcum,
„ ſi ita eſſet, eo tempore dicere, fuiſſe
„ horam tertiam, quo fuit hora tertia,
„ cum vox Judæorum de crucifigendo
„ domino ſonuiſſet dicere etiam quod
„ eum tunc ipſi crucifixerint, nimis ſu-
„ perbe leges narratoribus veritatis
„ imponit. Sic enim poteſt dicere: ſi

„ hæc ipſe narraret, eo modo, eo-
„ demque ordine ab omnibus debuiſſe
„ narrari, quo ipſe narravit. Dignetur
„ ergo conſilio Marci Euangeliſtæ ſu-
„ perari conſilium ſuum, qui eo loco
„ id ponendum judicavit, quo loco
„ divina inſpiratione ſuggeſtum eſt.
„ &c. Sic idem Pater, *tractatu* 117.
„ in Johannem, cujus verba porro de-
„ ſcribere non eſt neceſſe. Eodem ten-
„ dunt quæ leguntur *tract.* 118. in Jo-
„ hannem: Factum eſt quod volue-
„ runt Judæi, non ipſi, ſed milites
„ qui parebant Pilato, judicante ipſo,
„ crucifixerunt Jeſum: & tamen ſi vo-
„ luntates, ſi inſidias, ſi operam, ſi
„ traditionem, poſtremo ſi extorquen-
„ tes clamores eorum cogitemus, ma-
„ gis utique Judæi crucifixerunt Je-
„ ſum.

Si hæc Patris hujus verba attentius conſideremus, videri poſſet [illegible] innuere quid, cum dicit Jeſum linguis Judæorum eſſe crucifixum, cum linguæ blaſphemantes, etiam gladiorum inſtar, pungant, ut eſt Pſal. LXIV. v. 4. 5.

4. 5. ſed hac ratione Jeſus etiam linguis Judæorum crucifixus eſt, cum lapides intentantes dixerunt, eum Samaritanum eſſe, & diabolum habere, ejicere dæmonia per beelzebulem. In ipſa autem actione propriè conſiderata, coram Pilato Judæi ſua voluntate, inſidiis, clamoribus hoc egerunt ut crucifigeretur Jeſus: Sed ſi Pilatus voluntati eorum obſecutus non eſſet, ſi vi armata eos à tribunali abegiſſet, ſi eorum ſanguinem, & ſacrificiis, ut *Luc. xiii. v.* 1, 2. & agno paſchali, nunc mactato an mactando, miſcuiſſet, irritus ſane fuiſſet omnis eorum conatus. qua hora importunus ille Iudæorum clamor exortus ſit, incertum: Euangeliſtæ non notarunt: Auguſtinus hora tertia hoc factum eſſe intelligendum dictat, non probat. Epheſii cum primo, à Demetrio incitati, ira pleni clamaſſent μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων, deinceps Alexandrum dicturum intuentes per duas horas eundem tumultuoſum clamorem continuarunt. quid ſi idem fecerint Iudæi, an illo

temporis ſpatio vel tantillum reliquum eſſet factum, quo dici & fieri poſſent quæ ab Euangeliſtis dicta & facta narrantur?

Non fingenda eſt crucifixionis tanta longitudo aut latitudo, quæ ultra ipſius crucifixionis terminos extendatur. Hæc enim tanquam ultima hujus dramatis καταστροφὴ, a reliquis antecedentibus actionibus forenſibus, accuſatione, defenſione, ipſa denique lata ſententia diſtinguenda eſt, unumquodque ſuo tempore peractum eſt, præceſſerunt, quæ præcedere neceſſe erat, ſecutus tandem ultimus actus crucifixio. Omnia ordine ac diſtincte ab Euangeliſtis clare notata ſunt, nec periculum eſt ne ipſis ſuperbe leges imponamus, quod metuebat Auguſtinus. Summo mane, habito concilio, Sacerdotes Ieſum apud ſe damnatum ad Pilatum duxerunt, actio ſatis tumultuaria inſtituta, examen habitum a Pilato, ſequuntur Judæorum clamores. Pilatus tandem hora quaſi ſexta pro tribunali conſedit, Ieſum publice oſten-

ta-

tavit, crucifigendum tradidit. Sequuntur e veſtigio crucifixio, veſtium diviſio, tenebræ a ſexta uſque ad nonam. Nulla hic confuſio, nulla περίληψις, ad quam confugere ſit neceſſe. Interim Marcus notat horam tertiam. Hæc ergo difficultas, in tam perſpicua narratione, illa per linguas Iudæorum crucifixione dilui non poteſt.

Ad quartam ergo claſſem pergimus, quæ, temporis accuratiori diſtinctione, ejuſque diverſa ſupputandi ratione, elabendi rimam quærit. Hic alii diverſam horarum diſtinctionem apud Iudæos & Romanos conſiderant: alii in ipſa Iudæa hærent. Priores dictant Marcum ſecutum eſſe morem Iudæorum, qui a mane horas cœperint numerare, ita ut una quæque dies horas duodecim habuerit: juxta illud *Joh. cap. xi. v. 9.* οὐχὶ δώδεκά εἰσιν ὧραι τῆς ἡμέρας; adeoque hora tertia Marci conveniet, cum nona noſtra matutina: Iohannem autem, qui Hieroſolymis jam everſis, & Iudæa devaſtata, Euangelium ſuum ſcripſit, ſecutum eſſe morem Ro-

manorum, qui media nocte diem ſuum inchoarint, adeoque ſexta Iohannis in noſtram ſextam matutinam incideret. cui ſententiæ ne ſubſcribamus multa ſane nos movent.

Itane ergo tanta negotiorum moles in examine Pilati, flagellatione, ſpinea coronatione, omnibusque illis actionibus tam in prætorio, quam extra prætorium ante ſextam noſtram matutinam fuisſet peracta? ut hora nona, ex noſtro numerandi modo, Ieſus Chriſtus in crucem jam ſubſilierit. Quid ergo dicemus de Luca? Hic enim crucifixionem hora demum ſexta factam eſſe dicit, cap. XXIII, v. 44. Si hic ſecutus eſt morem Romanorum contradicit Marco: ſin vero ſecutus eſt morem Iudæorum contrarius erit Iohanni: ſexta enim Iudæorum, erit, juxta vulgarem opinionem duodecima Romanorum, cum tamen Iohannes dicat eſſe ſextam. Nodus ergo nondum ſolutus.

Accedit falſam eſſe hypotheſin, quæ pleriſque gratis hic ſumitur. Falſum eſt,

inquam, Iudæos aliter ac Romanos horas ſuas numeraſſe. De Iudæis hoc ἐξαγώνιον eſt: Hi ſicut noctem in vigilias quaternas, juxta morem Romanorum, vel, ternas, ut quidam ex Kimchio docent, diviſerunt: Sic diem in horas duodecim, quæ pro ratione temporis, æſtatis ſcilicet aut hyemis, longiores aut breviores erant. Verum ante captivitatem Babylonicam Iudæi horas & horarum nomen neſciebant. Nec Achazi ſolarium horologium fuit, nec vox שעה qua Daniel utitur inter Chaldæos proprie horam, hoc eſt, duodecimam diei partem, ſed potius momentum & breviſſimam temporis particulam denotat. vide ſis notas Philologicas a B. Walæo collectas ad Ioh. cap. xi. v. 9. Romanis eadem conſuetudo, Noctem in quatuor vigilias buccina diſtinguebant, canente Propertio. lib. 4. eleg. 4.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem,

Ipſaque in Oceanum ſidera lapſa cadunt.

Diem civilem media nocte inchoabant: noctis vero tempore qui quæſo horas numerarent? cum enim horologiis ſonantibus, imo & olim clepſydris carerent; ſolariis autem uterentur, nocturno tempore horas diſtinguere nullo modo poterant. Ad Sacerdotes dierum cura pertinuit. Plin. lib. 2. cap. 77. *Sacerdotes Romani, & qui diem diffiniere civilem, item Ægyptii & Hipparchus a media nocte in mediam.* Penes Sacerdotes erat judicium de natalibus, auſpiciis, matrimoniis aliisque ritibus, in his illi obſervabant ac pronunciabant, quid ad hunc vel illum diem esſet referendum, etiam quod noctu factum esſet, ut videre eſt apud A. Gellium, *lib.* 1, *c*, 3. Sic in dierum diſcrimine res ſe habet.

At horarum longe alia ratio eſt. Romani diem naturalem, ob ortu ſcilicet ſolis ad occaſum, in duodecim horas temporarias partiebantur, unde ſolſtitiales horas dixit Vitruvius, ut æſtivas Martialis, pro maximis & longisſimis, quo reſpicit forte Augusti il-

le

le in Vatinium jocus apud Macrobium, *ſaturn. lib.* 2. cap. 4. qui podagræ vitium diſcuſiſſe videri volens, mille paſſus ſe ambulare gloriabatur, *Non miror*, inquit Cæſar, *dies aliquanto ſunt longiores.* Brumales idem Vitruvius horas pro minimis & breviſſimis, quas Plautus hybernas dixit, Verum enim vero incerta & indiſcreta horarum intervalla habuerunt Romani ad Scipionis uſque Naſicæ tempora, qui, clepſydris inſtitutis, ſpatia horarum primus eſt partitus: nam horologia non niſi ſerenis diebus, gnomonis indicio, horas diſcriminabant, unde & Solaria latinis dicta, ut ab umbræ ejaculatione σκιοθηρικά. quorum inventionis laus Anaximeni Mileſio, Lacedæmone ea dedicanti, tribuitur a Plinio, *lib.* 2. *c.* 76. Græcos vero ad umbræ dimenſionem ad cœnam coïre ſolitos obſervatum eſt. Unde illud Luciani in Gallo: συνεχὲς ἐπισκοπῶν ὁποσάπουν τὸ στοιχεῖον εἴη, id eſt, *aſſidue inſpectans quot pedum foret linea.* & in Saturnalibus inter leges conviviales extat: λούεσθαι μὲν ὁπόταν τὸ στοι-

χεῖον ἑξάπουν ᾖ. *balneum ingredi cum jam in ſex pedum menſuram protenditur linea.* *Apud* Ariſtophanem in ἐκκλησιαζούσαις. σοὶ δὲ μελήσει, ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον, λιπαρῶς χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον. *Curæ tibi erit, decempede jam protento gnomone unctum, proficiſci ad cœnam.* Huc pertinet illud Perſii, ſat. 3.

Stertimus indomitum quod deſpumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.

Obſervandum eſt illud quoque Romanos dividere conſueviſſe ſuas operas in varias horas. Nam primam atque ſecundam ſalutationibus potentiorum, tertiam cauſis in foro agendis, judiciisque impendebant; in quod tempus & Pilati de Chriſto cognitionem incidiſſe Grotius notavit; quartam quintamque familiaribus negotiis, & domeſticis curis dabant: octava lavabant, & in palæſtris verſabantur: nona cœnam ſumebant, unde factum puto, ut legitimum prandendi tempus noſtrates Germani inferiores vulgo noene appellent.

pellent, quo tamen nomine καταχρηστι-κῶς meridiem intelligunt. Luculenter hæc expreſſit Martialis lib. 4. epigr 8.

Prima ſalutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua paleſtris,
Imperat extructos frangere nona thoros.

Nempe, meridie quidem cibo, deinde vero animi relaxationibus ſeſe dabant. Plut. in quæſt. Rom. ἡ μεσημβρία πέρας ἐστὶ τοῖς πολλοῖς τοῦ τὰ δημόσια καὶ σπουδαῖα πράττειν. *Meridies multis finem facit publica & ſeria tractandi.* Lepidum eſt nec minus tritum epigramma, antholog. lib. 1.

Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.
Sex ſatis horarum eſt ad ſeria: quæque ſequuntur

Ipſis

Ipſis litterulis VIVE tibi ingeminant.

acumen eſt in Græco verbo ζῆθι, cujus prima litera ſeptem, ſequens octo, tertia novem, & quarta decem in numeris notant. Iis horæ ſolent ſignari in ſolariis. hoc igitur dicit: labora ante meridiem, ſequentibus horis fac quod junctæ dicunt, ζῆθι, id eſt, vive. Hoc modo die tranſacto, ex lege XII. tabularum, Sol occaſus ſuprema tempeſtas erat, Cum ergo eadem horarum ratio fuerit apud Judæos & Romanos, neque hinc ſane Euangeliſtarum conciliatio peti poteſt. Nec eſt quod quis objiciat Johannem, cap. *xx*. v. 19. imaginariam hanc Romanorum conſuetudinem ſecutum eſſe, dum narrat Jeſum diſcipulis apparuiſſe, οὔσης ὀψίας, τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, partem enim diei naturalis indicat, ejusque ſupremam tempeſtatem, ſine reſpectu diei civilis, quem Judæi a veſpera ad veſperam, Romani a media nocte ad mediam noctem numerabant.

Accedimus ad eos qui horas in ſola

Judæa conſiderant, eaſque ad ſacra pertinentes, tum quorumvis dierum, tum imprimis hujus diei, ſcilic: paraſceues, qua Jeſus noſter paſſus & crucifixus eſt.

Singulis diebus horæ quædam erant ſacræ, quibus Judæi religioſe precibus vacabant. Diem lucentem in quatuor quadrantes dividebant, quorum ſinguli tres horas complectebantur. Primus a diluculo uſque ad horam tertiam ſe extendebat. ſecundus a tertia ad ſextam: tertius a ſexta ad nonam: quartus a nona ad Solis occaſum. Hinc Petrus horæ tertiæ mentionem facit, Actor. cap. II. v. 15. qua turpe ſcilicet eſſet tam mane, illa hora precationis, jam vino graves incedere. & eodem lib. cap. x. v. 3. & 9. Cornelius centurio horam nonam, Petrus ſextam precationibus tribuerunt, quo & aliqui referunt horam tum matutinam, tum tertiam, ſextam & nonam, buibus paterfamilias mercenarios in vineam miſit, Matth. cap. xx. David quidem religionis cauſa dietim tria tempora obſervavit, Pſal. LV. v. 18.

18. *Veſpere, mane, & meridie meditabor*, quæ etiam non ſine capitis periculo, abſque ſolitis precibus Daniel tranſire noluit. *cap.* VI. *v.* 10. In exilio nempe Babylonico, vaſtato templo, cum juge ſacrificium ex lege offerri non poſſet, ſpirituali cultui hoc modo vacavit. Deinceps, non illaudabili inſtituto, illa in quadrantes diviſio obſervata, de qua legi poſſunt, quæ ex Petito & Capello excerpſit Bald. Walæus, in notis ad Actor. cap. 2. v. 15. & cap. 3. v. 1.

Verum hic occurrunt ſententiarum divortia. Sunt enim qui hæc trihoria a principio, ſunt qui a fine denominari volunt. Adſcribam verba Baronii, ad
„A. C. 34. §. 157. Sicut, *inquit*, apud
„Judæos nox in quatuor Vigilias, ita
„dies in quatuor horas ſeu ſtationes
„dividebatur. ſed diverſimode quo-
„que id effici quidam volunt, dividen-
„tes in hunc modum, dicenteſque a
„diluculo usque ad horam diei terti-
„am, excluſive, ut ajunt, horam eſ-
„ſe primam; ſecunda a tertia usque
„ad

„ ad horam diei ſextam, dicebatur ab
„ iis hora tertia, eo quod à tertia ini-
„ tium ſumſiſſet; tertiam vero eam,
„ quæ ab hora ſexta ad nonam progre-
„ deretur, ſextam nuncupabant, quod
„ ſimiliter ab hora ſexta inchoaretur;
„ quartam denique incipientem à no-
„ na, & inde usque ad occaſum ſolis,
„ nonam itidem ſeu veſperam dixere.
„ Alii vero & melius, ut nobis videtur,
„ hanc inierunt rationem numerandi
„ quatuor illas diei partes, quas vo-
„ lunt eſſe æquales, ut ſingulæ trium
„ horarum ſpatio conſtituantur. eæ-
„ demque non a principio, ſed a fine
„ nomen accipiant; ſicque prima pars
„ diei, illa a mane, usque ad tertiam
„ horam producta tertia diceretur; ſe-
„ cunda quæ ad ſextam horam diei
„ perveniens, ſexta nominaretur; ter-
„ tia vero pars diei, usque ad horam
„ nonam deducta nona appellaretur;
„ quarta quæ usque ad noctem durans
„ veſpera nuncuparetur. Hanc ſuam
ſententiam Cardinalis confirmare niti-
tur auctoritate S. Petri, probans fi-
deles

deles die pentecoſtes Spiritu ſancto afflatos non fuiſſe ebrios, quod tertia horâ diei eſſet, qua noſtra nona eſt intelligenda; non vero quæ ad meridiem extenderetur, qua mirum non foret quosdam vino madidos reperiri. unde concludit: „Quod igitur Johannes ait, „fuiſſe horam quaſi ſextam, cum Pila„tus ſententiam in Chriſtum jam pro„xime dicturus eſſet, ſic accipiendum „eſt: ut ultima hora primæ diei partis „quæ tertia dicta eſt, jam cœpta eſſet, „& proxime jam inchoanda foret ſe„cunda pars diei, quæ ſexta nomina„ta; ſicque merito ab Euangeliſta di„ctum fuiſſe tum horam quaſi ſextam, „nondum videlicet tertia abſoluta. „Ac ita eandem noviſſimam horam pri„mæ partis diei fuiſſe terminum ejus „jam deſinentis; & ſecundæ partis, „quę ſexta eſt, jam proxime incipien„tis qua ipſa hora Dominus noſter a „Pilato ſententiam mortis accepit, ac „paulo poſt cruci affixus eſt. &c. Eidem ſententiæ ſubſcribunt Maldonatus & Grotius, putantque probe factum,

ctum, ut tertia aut ſexta hora dicatur contigiſſe quicquid inter ſtata illa tempora evenerat, ut ſolent, quæ in medio poſita ſunt, nunc ad hunc nunc ad illum terminum referri. Perinde enim hoc eſt, ac ſi diceretur factum aliquid ἐν τῇ δεύτερῳ τεταρτῳ, ut genethliaci loquuntur. &c. Calvinus ab utraque ſententia non fuit alienus. Nam in harmonia euangelica ad Marc. cap. xv. v. 25. ſic commentatur: *Hoc cum Johannis teſtimonio minime videtur eſſe conſentaneum, narrat enim circa horam ſextam Chriſtum fuiſſe damnatum. Verum ſi reputemus quod ex aliis locis conſtat, diem fuiſſe in quatuor partes diſtributum, & ſingulas partes a prima exordii ſui hora nomen ſumſiſſe, non difficilis erit ſolutio. Totum medium tempus ab exortu ſolis, uſque ad ſecundam partem vocabant horam primam. Secunda pars uſque ad meridiem illis erat hora tertia. Sexta hora a meridie incipiens uſque ad tertiam vel quartam pomeridianam durabat. quum ergo tempus a Pilato extrahi viderent Judæi, & jam meridiem inſtare, dicit Johannes vehementius clamaſſe, ne totus dies efflueret. Verum illud non obſtat, quo minus circiter finem horæ tertiæ crucifixus fuerit Dominus. Nam ſatis liquet, ex quo tumultuarie damnatus eſt, ſubito fuiſſe arreptum; tanto ejus extingu-*

 endi

endi ſtudio Judæi ardebant. Ergo Marcus non initium horæ tertiæ, ſed finem deſignat. In locum autem Johannis cap. xix. v. 14. ſic idem ſcribit: *Videntur Euangeliſtæ in tempore notando varii eſſe, & parum inter ſe conſentientes. Dicunt tres alii tenebras ab hora ſexta factas eſſe, quum jam in cruce penderet Chriſtus. Marcus etiam diſerte exprimit horam fuiſſe tertiam, quum de eo lata fuit ſententia. Solutio tamen non eſt difficilis. Satis patet ex aliis locis diem tunc in quatuor partes fuiſſe diviſum: ſicuti nox viciſſim quatuor habebat vigilias. Hinc factum eſt, ut ſingulis diebus quaternas tantum horas interdum aſſignent Euangeliſtæ, & ſingulas horas in tres extendant. interea ſpatium unius horæ quod ad finem inclinat, ſequenti annumerant. Secundum hanc ſupputationem Johannes hora ſexta damnatum fuiſſe Chriſtum narrat. quia tempus diei ad horam ſextam, vel ad ſecundam partem diei vergebat. Hinc colligimus hora ſexta vel circiter Chriſtum fuiſſe crucifixum. &c.* Theodorus Beza priorem ſententiam amplexus, ſcilicet totum diei quadrantem a prima hora denominari credit. Hæc ſunt verba ejus in Marcum, cap. xv. v. 25. *Ex conſueto loquendi modo hora tertia eſſe dicitur. cum tertium ſignum datum eſt: Et tertiam horam vocamus illud potius ſpatium quod inter*

tertia

tertiam & quartam intercedit, quam quod inter ſecundam & tertiam; quum tamen hæc vere pro tertia ſit habenda. Deinde & hoc notandum eſt; veteres, quamvis in duodecim uncias ſingulos dies dividerent, id eſt, totum illud ſpatium quod inter ortum ſolis & occaſum intercipitur: tamen interdum has uncias in quatuor quadrantes ſolitos dividere, ſicut & noctem pariter ſecabant. ſed noctis quadrantes vocabant φυλακὰς, id eſt, cuſtodias: quod nulla probatione indiget: diei verò quadrantes ſumebant ejus horæ nomen, a qua exordiebantur. hac ergo ratione primus quadrans primæ horæ nomine interdum intelligebatur, ſecundus tertia, tertius ſexta, quartus nona: ut minime pugnet quod dicit Marcus horam fuiſſe tertiam cum crucifigeretur Chriſtus, cum eo quod ſcribit Johannes damnatum fuiſſe circiter horam ſextam. Imo vero ita explicat Johannes quod obſcurius dixerat Marcus, quum hora tertia complectatur horas quartam, quintam, ſextam, vel potius (ut vulgum loqui diximus) tertiam, quartam, quintam, quam conſequitur ſexta, quæ proprie ſeptima eſt. Ita vero ſolitos fuiſſe veteres diem diſtinguere apparet ex parabola quæ ſcribitur Matth. 20. v. 1. ubi dies in iſtos quadrantes ſecatur, ex recepta nimirum conſuetudine.

De his ſententiis doctorum, & hæc Euangeliſtas conciliandi ratione *dirimam* noſtram verbis Iſaaci Caſauboni

adſcribant, exercit. 16 in Baronium, num. 110: *Eſt profecto iſta ratio admodum expedita; eſſet modo certa.* quamvis enim illa horarum diei in quatuor ternarum horarum quadrantes diſtributio concedatur: quis auctoritate aliqua probabit vel a prima vel ab ultima parte ac hora illos quadrantes eſſe denominatos?

Alii ergo preſſius hunc diem, quo Jeſus noſter paſſus eſt, ut παρασκευὴν conſiderarunt tum literaliter, tum myſtice.

Literaliter quidem attendentes officium Sacerdotum illo die ſolenniter peragendum, de quo ſic ſcribit Lightfootus, hor. hebraic. in Marc. cap. xv.
„ v. 25. Erat iſte dies παρασκευὴ τοῦ πάσχα,
„ ſummæ ſolennitatis; & cum oportuiſſet Sacerdotes & reliquos Patres
„ ſynedrii ad horam tertiam in templo
„ affuiſſe, & chagigas ſuas obtuliſſe
„ præparatorias ad totam feſtivitatem
„ ſeptiduanam: at illi aliud hoc agunt.
„ Obſervare licet, quod non dicat:
„ ὥρα ἦν τρίτη ὅτε, ſed καὶ ἐσταύρωσαν. Non,
hora

„ hora erat tertia cum crucifigerent e-
„ um: Sed, hora erat tertia & cruci-
„ fixerunt eum. Id eſt, cum jam foret,
„ præteriratque hora tertia, tamen non
„ omiſerunt crucifixionem ejus proſe-
„ qui, cum quidem alias ex more feſti
„ & religionis obligatione occupatos
„ eſſe oportuit.

Verum quis non videat in omnibus illis, quæ adjecta temporis mentione Marcus notavit, nullas Sacerdotum partes fuiſſe? inde enim a verſu 16. capitis 15. deſcribit, quomodo Jeſus noſter ut Rex ridiculus purpura ornatus, ut Rex Judæorum ſalutatus ſit, inde ex Hieroſolyma in Golgotha ductus, ibidem cruci affixus; ſequitur veſtium diviſio. hæc omnia non a Sacerdotibus, ſed a militibus facta eſſe teſtantur tum Marcus, cap. xv. v. 16. tum Johannes, cap xix. v. 24. Ideoque quid ſacerdotes eo tempote facere oportuerit, aut quid fecerint, omnino ad hanc difficultatem tollendam ne hilum quidem facit. Ut nec illud quod idem Lightfootus, loco jam laudato, addit

 de

de more apud ſynedrium uſitato, quod non ſolitum fuerit judicium ſuſpendendi finire, uſque dum parati jam eſſent e concilio & conſeſſu exurgere & diſcedere poſt mincham, inclinante jam die ad occaſum: At vero hos Senatores judicium finiviſſe, ad crucem acceleraſſe, cum primum in conſeſſum conveniſſent, ad horam tertiam, ad tempus ſacrificii jugis, quod maxime inſolitum ac a more alienum. Nam relictis ſuo loco illis incertis admodum verpulorum traditionibus, quæ ſolo fere recutitorum teſtimonio nituntur - illud repeto hic nullas ſynèdrii actiones, aut proceſſus ab Euangeliſta notari, ſed ea quæ a militibus in monte Golgotha geſta ſunt, tempore connotato enarrari, ideoque nec ipſum ſynedrium hunc nodum ſolvit.

Myſticam vero ἐπίλυσιν hic meditatus eſt Auguſtinus in Johannem, tract. 117. *Eſt & alia*, inquit, *hujus ſolutio quæſtionis, ut non hic accipiatur hora ſexta diei, quia nec Johannes ait, Erat autem hora diei quaſi ſexta, ſed ait, erat autem paraſceue paſcha*

paſchæ hora quaſi ſexta. Paraſceue autem latine præparatio eſt: ſed iſto verbo Græco libentius utuntur Judæi in hujuſmodi obſervationibus, etiam qui magis latine quam Græce loquuntur. Erat autem præparatio paſchæ. Paſcha vero noſtrum, ſicut dicit Apoſtolus, immolatus eſt Chriſtus. Cujus Paſchæ præparationem ſi ab hora noctis nona computemus, tunc enim videntur principes Sacerdotum pronunciaſſe immolationem domini, dicentes, Reus eſt mortis, cum adhuc in domo pontificis audiretur, unde congruenter accipitur inde cœpiſſe præparationem veri paſchæ, cujus umbra erat paſcha Judæorum, id eſt, immolationis Chriſti, ex quo a ſacerdotibus pronunciatus eſt immolandus, profecto ab ea noctis hora, quæ tunc nona fuiſſe conjicitur, uſque ad horam diei tertiam, qua crucifixum eſſe Chriſtum Marcus Euangeliſta teſtatur, ſex horæ ſunt, tres nocturnæ, & tres diurnæ. Unde in hac paraſceue paſchæ, id eſt, præparatione immolationis Chriſti, quæ ab hora noctis nona cœperat, quaſi ſexta agebatur hora, id eſt, peracta quinta jam ſexta currere cœperat, quando Pilatus tribunal aſcendit: adhuc enim erat ipſa præparatio quæ ab hora noctis nona cœperat, donec fieret quæ præparabatur Chriſti immolatio, quæ facta eſt hora tertia ſecundum Marcum, non præparationis, ſed diei, eademque ſexta non diei, ſed præparationis, ſex utique horis a noctis nona ad diei ter-

tiam computatis. Quam ſententiam idem Pater larius exequitur, *in libro 3. de conſenſu Euangeliſtarum, cap.* 13. verba hic deſcribere quid opus eſt, cum eadem dicant?

Sed hujus expoſitionis infirmitatem ipſe Auguſtinis vidit, & quadantenus agnovit, his verbis de conſ. Euang. lib. 3. c. 13. *Quis fidelis non huic faveat ſolutioni quæſtionis? ſi modo poſſit aliquis articulus conjici ab hora nona noctis, unde cæpiſſe paraſcenen paſchæ noſtri; id eſt, præparationem mortis Chriſti. congruenter intelligamus*: hic enim terminus a quo, ut loquuntur, illa nempe hora noctis nona nullo modo certo aſſignari poteſt. præterea, initium paſſionis Chriſti, ſive in horto, ſive in atrio ſummi ſacerdotis paraſceuen vocare mere allegoricum eſt, ideoque ad eruendum ſenſum grammaticum non adjumentum, ſed impedimentum, juxta illud ſcholaſticorum: *Theologia ſymbolica non eſt argumentativa.*

Hactenus ergo varios variorum interpretum, Euangeliſtas inter ſe conciliare

ciliare conantium, conatus ac ſenten-tias expendimus, neque aliquam in iis ſatis ſolidam, in qua animus veritatis amans plene ac plane acquieſcere poſ-ſit, invenimus: Supereſt una adhuc explicatio, quæ nobis, utpote longe facilior, & ſolidior magis arridet, quam nunc porro his adjiciemus.

Daniel Heinſius in Ariſtarcho ſacro, ſuper Nonni in Johannem metaphra-ſin, Marcum & Johannem per illos diei quadrantes, de quibus ſupra di-ximus, componere tentat: Verum in exercitationibus ſacris ſuper euange-lium Marci, ad hunc locum, cap. XV. v. 25. rejectis aliorum ſententiis, ſani-orem, quam & nos amplectimur, pro-ponit. Scilicet, Marcus narrat, quæ poſt affixum cruci Dominum contige-runt, ubi imprimis obſervanda veſtium diviſio, quam & alii Euangeliſtæ, poſt crucifixionem, a militibus factam eſſe docent. hæc per trihorium evenerunt: ideoque Marci verba: ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν, ſic vertenda: *Erat autem hora tertia poſtquam crucifixerunt*

 eum.

eum. Sed quid vetat ipſum Heinſium
„ audire diſſerentem? ejus hæc ſunt
„ verba: Quæ in Marco locum hunc
„ præcedunt, poſt affixum cruci eve-
„ niſſe Dominum etiam cæteri tradunt,
„ neque tempus addunt, diviſionis ve-
„ ſtium imprimis. Matthæus, σταυρώσαν-
„ τες αὐτὸν διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Johan-
„ nes, οἱ οὖν στρατιῶται, ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν,
„ ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. &c. Marcus, καὶ
„ σταυρώσαντες αὐτὸν διεμέριζον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ.
„ &c. addit, ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν
„ αὐτόν. *quod evenit*, inquit, *hora ter-*
„ *tia, & jam cruci affixerant eum.* He-
„ braiſmus planus, in quo copula non
„ dividit, ſed jungit. Ut in illo: *Di-*
„ *mitte filium meum & ſerviet mihi*, quod
„ ἵνα μοι λατρεύσῃ Helleniſtæ. Exod. 4.
„ 23. hic vero ordinem eorum quæ nar-
„ rantur notat. Cujus illuſtre exem-
„ plum habemus Joſuæ cap. 7. ubi pro-
„ nunciat Deus, v. 15. *qui deprehenſus*
„ *fuerit in anathemate, comburetur igni,*
„ *ipſe, & omnia quæ ejus ſunt.* poſtea
„ de Achanis jam convicti ſupplicio v.
„ 25. ſequitur, *Et obruerunt eum uni-*

„ *ver-*

„ *verſus Iſraël lapidibus, combuſſerunt-*
„ *que igni, ac lapidaverunt lapidibus.*
„ Καὶ ἐλιθοβόλησαν αὐτὸν πᾶς Ἰσραὴλ λίθοις, καὶ
„ κατέκαυσαν αὐτὰ ἐν πυρὶ, καὶ ἐλιθοβόλησαν αὐ-
„ τοὺς ἐν λίθοις. qui Hebraiſmus mirifice
„ torſit Auguſtinum. *xxxxx.* Simplici-
„ ter ſignificatur, combuſtum quidem
„ ex præſcripto Dei, prius vero a fre-
„ quenti turba lapidibus petitum. He-
„ bræi ὕστερον καὶ ἐλιθοβόλησαν, pro אחרי אשר,
„ ὕστερον id eſt, *poſtquam lapidaverant* po-
„ ni annotarunt. Thargum: בתר דרגמו
„ יתהון באבניא *poſtquam lapidaverunt eos*
„ *ſaxis.* ita hic καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν, idem
„ quod ἐξ οὗ ἐσταύρωσαν, *ex quo, ſive poſt-*
„ *quam crucifixiſſent eum*: hoc eſt, καὶ ἦν
„ ὥρα τρίτη τῆς σταυρώσεως αὐτοῦ. *Et erat hora*
„ *tertia ex quo crucifigi cœpit.* ſive, *Et*
„ *tertia jam agebatur hora, ex quo actus*
„ *fuerat in crucem.* ut illud Jobi, ἀνὴρ
„ ᾤχετο καὶ ἠθένησε. Helleniſtæ, τελευτήσας
„ ᾤχετο. mens eſt, ἀσθενήσας, ſive μετὰ τὸ
„ ἀσθενῆσαι αὐτὸν, *poſtquam infirmus fuit.*
„ Itaque cum dixit, ἦν δὲ ὥρα τρίτη καὶ ἐσταύ-
„ ρωσαν αὐτὸν, tertiam ex quo affixus cru-
„ ci fuit, hoc eſt, tertiam τοῦ σωτηρίου πά-

θους

„ θεὶς notat horam. Ut ſi dicas, τρίτη δὲ „ μετὰ τὸ σταυρωθῆναι αὐτόν. ſive τρίτη τοῦ σταυρώσεως αὐτὸν ὥρα ἦν. tertio poſt crucifixionem „ ejus hora erat. xxxx Neque pugnant „ quæ ſequuntur, cum præſertim quæ „ de inſcriptione, de latronibus, eti„ am de veſtium diviſione, aliiſque „ quæ paſſionis tempore evenerunt, ab „ autore adduntur, non ad certum ad„ ſtringantur tempus, nec ubique ordo „ idem in narrandis ſingulis ſervetur „ Interpres vetus: *Erat autem hora ter-„ tia, & crucifixerunt eum*. Sicut ἐλιθοβόλησαν ἐν πυρί, Joſ. 7. eſt, *poſtquam la-„ pidarunt*, ita καὶ ἐσταύρωσαν, *poſtquam „ cruci affixerunt*, non autem, *quando „ crucifixerunt*. Neque enim ἐσταύρωσαν „ de conſummatione pœnæ, ſed de i-„ pſa, aut initio ejus uſurpant Euan-„ geliſtæ, ut ex verbis eorum ſupra „ adductis patet. Et Matthæus, poſt-„ quam dixit σταυρώσαντες δὲ αὐτὸν, toto fe-„ re eo capite perſequitur, quæ in paſ-„ ſione ejus evenerunt.

Heinſianis his aliquid addere ſuper-vacaneum videri poſſet, cum ex ipſa

hiſto-

hiſtoriæ ſerie, & phraſi ſacris ſcriptoribus uſitata omnia liquido appareant. Amplioris tamen atque uberioris explicationis & confirmationis gratia paucula addemus. Marcus aoriſto (ἐσταύρωσαν) uſus fuit, quis autem ἀόριστον ad ſolum tempus preteritum determinet? quaſi & in plusquam perfectum nihil juris habeat. docent hoc exempla notata tum a Georgio Paſore, Grammat. Novi Teſtam. p. 235. tum a Sal Glaſſio, Philol. ſacr. lib. 3. tract. 3. can, 46. quibus unicum hoc addo: Heb. 1. 3: καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ἐκάθισεν, &c. *poſtquam feciſſet purgationem peccatorum noſtrorum, conſedit. &c.* Sed cur a Marco imo ab hac hiſtoria, & hoc capite abimus? v. 34. eſt: καὶ σταυρώσαντες αὐτὸν διεμέριζον. *qui crucifixerant eum*, vel: *poſtquam crucifixiſſent eum, diviſerunt, &c.* Nam copulativum καὶ, ad exprimendum pluſquam perfectum addi & adhiberi ſolet. ſic apud 72. Interpretes: Judic. cap. IV. v. 1, 2. Καὶ Ἀὼδ ἀπέθανε, καὶ ἀπέδοτο αὐτοὺς κύριος. *Poſtquam mortuus erat Aod,*

Aod, & tradiderat eos Dominus. Sic, 1. Sam. *xxviii.* v. 3. ubi ter ſimile occurrit: Καὶ Σαμουὴλ ἀπέθανε, καὶ ἐκόψαντο αὐτὸν πᾶς Ἰσραὴλ, καὶ θάπτουσιν αὐτὸν ἐν Ἀρμαθαὶμ ἐν πόλει αὐτοῦ, καὶ Σαοὺλ περιεῖλε τοὺς ἐγγαστριμύθους, καὶ τοὺς γνώστας ἀπὸ τῆς γῆς. *Samuel* mortuus erat, & planxerant *eum omnes Iſraëlitæ, cum ſepeliviſſent eum Ramæ, nempe in civitate ſua, & Saul* amoverat *omnes pythones & ariolos e terra.* Sententiam hanc non parum juvat, quod in codice Cantabrigienſi, quem iſti Academiæ ac bibliothecæ donavit Theod. Beza, pro ἐσταύρωσαν, legitur ἐφύλασσον: q. d. milites qui Jeſum cruci affixerant, veſteſque jam diviſerant, jam tertiam horam cruces aſſervare, ne quis ad ſepulturam cruciarios detraheret. Maximus etiam Kalliopolites, in ſua metaphraſi, pro Καὶ habet ὅταν. Καὶ ἦτον ὥρα τρίτη ὅταν τὸν ἐσταύρωσαν. hæc autem particula per *poſtquam* verti ſolet. Joh. XVI. v. 21. ὅταν δὲ γεννήσῃ τὸ παιδίον, *poſtquam natus eſt infans.* Notatu digna ſunt verba Ludovici de Dieu in hunc Marci locum, hic enim, quamvis in hanc

Hein-

Heinſii ſententiam non diſcedat, ſed potius ad deſcrimen horarum Judaïcarum & Romanarum, quod nullum eſſe ſupra demonſtravimus, confugiat: hanc tamen laudat, nullumque quod eam deterat, argumentum producit. Sic ſcribit: Non poſ-
„ ſum non addere interpretationem A-
„ rabis in difficillimum hunc locum.
„ ſic habet. *Et illud in tertia hora cum*
„ *crucifixus eſſet.* Conjungit cum verſu
„ præcedenti, ubi de diviſione veſti-
„ um Chriſti actum. Id factum, inquit,
„ tertia hora a crucifixione. Non intel-
„ ligit ergo tertiam fuiſſe horam cum
„ Chriſtus crucifigeretur. Sed quum
„ milites partirentur ipſius veſtes, tum
„ tertiam fuiſſe horam quod crucifixus
„ eſſet. Ad eum ſenſum ἐσταύρωσαν per
„ plusquam perfectum vertendum eſ-
„ ſet, hoc modo: *erat autem hora ter-*
„ *tia cum crufixerant eum.* quod lingua
„ Græca facile admittit. Nec repu-
„ gnat Syriaca ut vertamus, *quum cru-*
cifixiſſent eum. Melius ſane quam ut
„ Tremellius hic vertit, *quum crucifi-*
gerent

„*gerent eum.* Hactenus de Dieu. Sic ergo tum rationibus ſolidis, tum auctoritatibus haud ſane ſpernendis munitam, judico hanc, quam amplector, ſententiam. Reſtat ut paucis removeatur difficultas, quæ ex ſequenti narratione Marci, cap. eod. v. 33. 34. oboriri poſſet. Cum enim (ut & Matthæus & Lucas) deinceps tenebras ſecutas deſcribit, horæ ſextæ, nonæque meminit, quæ hanc tertiam ſuo ordine ſequi videntur, eodem numerandi modo. Cum nulla ratio ſubeſſe videatur, quare ſtylum mutaverit Euangeliſta: imo potius a mane ſimpliciter progrediendo ad horam tertiam, inde ad ſextam, porro ad nonam narrationis filum produxiſſe credendus eſt.

Verum hoc ſi ſtatuas jam tibi apparebunt iidem ſcopuli, quorum vitandorum cauſa, aliorum ſententiis calculum apponere noluiſti, quia Johannes horam ſextam diſertim ponit, juxta tum Judæorum, tum Romanorum morem, ut ante demonſtratum.

Circa

Circa hanc horam ſententia a Pilato pronunciata eſt. An ergo & quomodo ea, hora tertia ante pronunciationem executioni mandari potuit? Non ergo Marcus horam diei tertiam deſignat, ſed eam quæ a crucifixione tertia fuit. quo temporis ſpatio contigerunt veſtium diviſio, & ſuper his ſortitio, & prætereuntium blaſphemiæ, tum tenebræ uſque ad nonam quæ poſt fixionem tertia erat. Nam juxta Johannem erat ὥρα ὡσεὶ ἕκτη, initabat meridies, hora ſexta, quies laſſis, ut ait Martialis, qua rebus agendis finem imponere voluit Pilatus: itaque pronunciavit ita volentibus & urgentibus Judæis, ſententiam. Neque hi diu morati; inſcii impleverunt Vaticinium Jeſaiæ, cap. LIII. v. 3. ubi de Meſſia prædicitur, לקח ממשפט quod 72. Interpretes dixerunt: ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη. ut & legitur, Actor. cap. VIII. v. 33. Sic Jeſus ſublatus ac raptus ex forenſi judicio & prætorio, raptim ductus in Golgotha, locum urbi propinquum, ut ait Johannes, cap. XIX. v. 20. Itaque

hora ſexta fixus. ſequitur Lucas, qui ait, ὡσεὶ ὥρα ἕκτη, καὶ σκότος, cap. xxiii. v. 44. nempe paulo poſt ſextam ortæ ſunt tenebræ, ut particula ὡσεὶ hic notet ſubſequens ut apud Johannem notabat paulo antecedens momentum temporis. Eveſtigio factæ ſunt tenebræ γενομένης ὥρας ἕκτης. quo loquendi modo, diverſo a v. 25. hic utitur Marcus. Trihorium in tenebris tranſactum usque ad nonam. dices, cur in medio rerum actu temporis notationem inſeruit Euangeliſta? An non ſatius fuiſſet in termino tenebrarum trihorii hujus terminum figere? At vero, ſi attentius conſideremus ea quæ hoc ipſo tempore facta ſunt, videbimus ſapientiſſimé Marcum horæ tertiæ mentionem injeciſſe, quaſi ἐν παρενθέσει. quæ enim ſequuntur iude a verſu 26. usque ad 33. ita ſe habent, ut quivis facillime videat ea eodem tempore cum antecedentibus fieri potuiſſe, imo facta eſſe. Dum enim militum alii veſtes dividunt, alii interim titulum cruci imponere, alii latrones cruci affige-

affligere, Judæis interea blaſphemias eructantibus. ut ſane opus non fuerit hanc temporis deſignationem ad tenebrarum terminum differre. Plures & multo majoris intercapedinis προλήψεις in ſacris literis occurrunt, quas deſcribere non eſt neceſſe, videri poſſunt in Glaſſio, *Philol. ſacræ, Lib.* 4. *tract.* 2. *obſerv.* 28. & *tractat.* 3. *obſerv.* 10.

Concludimus hanc Euangeliſtarum ἐναντιοφάνειαν optime & minima cum colliſione ac ſtrepitu tolli, ſi Marcum crucifixionis tempus reſpexiſſe dicamus atque rectius vocem ἐσταύρωσαν per plusquam perfectum vertendam eſſe judicemus.

DISSERTATIO VI.

DE TERENTIIS.

Nomen. Terenum, molle. Tarentum. Terentum. Terentia Ciceronis. Mecœnatis. Mater Imp. Othonis. Terentilla. Terentii coſſ. Varrones unde dicti. Senatores. Equites. Scribæ, bello clari. Plebeji. literis clari. Varro. Comicus. ignobiliores. Christiani.

TErentiorum nomen apud Romanos celeberrimum. Ex ea enim gente plurimi belli pacisque artibus clari, ac Reip. imprimis utiles prodierunt. operam itaque non luſerimus, ſi hanc illi lucubratiunculam impendamus.

Nomen ex Sabinorum lingua derivavit Varro, teſte Marcobio, *ſaturn. lib.* 3. *cap.* 18. his enim *terenum* molle eſt. ſine dubio a Græco τέρεν, unde ϗ μεταθέσιν eſt *tener*, atque hinc ipſum

ipſum *Tarenti* nomen, quod Horatio molle eſt, de duxeris, & *Nux Tarentina* tam mollis, ut vix attrectata frangatur. ſic & ovina pellis ac lana. Columella, de re ruſt. lib. 7. cap 4. *Cum univerſum genus lanigerum cæteris pecudibus mollius ſit, tum ex omnibus Tarentinum eſt molliſſimum.* totius regionis nollitiem canit Horatius, lib. 2. od. 6.

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet: ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.
Ver ubi longum, tepidasque præbet
Jupiter brumas, & amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.

Aliis forte magis placeat Terentiorum nomen deducere a *Terento*, loco ſcilicet in campo Martio, ubi ara ſubterranea, quæ Ludis ſecularibus retegebatur. Atque hinc denominata tribus Terentina, de qua Cicero in Planciana, quæ una cum Anienſi reliquis addita M. Valerio Q. Appulejo coſſ. P. Sempronio Sopho, & P. Sul-

pitio Saverrione Cenſoribus luſtrum condentibus, teſte Livio, *lib.* 10. *cap.* 9. Hinc & M. Oppius M. F. Terentina, in epiſtola Cœlii 7. in *lib.* 8. *famil. Ciceronis.*

Procedant ergo quos ex hac familia celebres in veterum monumentis invenire licuit. Primum locum illis dabimus, utpote antiquioribus, qui paganiſmi ſuperſtitionibus penitus immerſi vixerunt: quibus ſuccedent qui ſublato Judæorum & gentium diſcrimine, ſub nova fœderis œconomia Chriſto ſoſpitatori nomen dederunt. Prioris ordinis primum locum tuebitur ſequior ſexus; in quo chorum ducat, & ſuo merito & conjugis ſcriptis cantata Terentia M. T. Ciceronis uxor, multis ærumnis conflictata mulier, primo exilio mariti, deinde diſſidio, rurſus calamitate ejus extrema, etiam podagra ſæpius vexata. ad annum uſque centeſimum tertium vixiſſe dicitur, peperit Marcum filium patri longe abſimilem, & Tulliolam quæ primum Piſoni Frugi, deinde Furio Craſſipedi, tan-

tandem Dolabellæ nupſit. vide *Valer. Max. lib. 8. cap.* 13. Dimiſſa a Cicerone Terentia nupſit Vibio Rufo, qui non tantum de hoc matrimonio gloriatus eſt, ſed etiam quod Cæſaris ſellam, in qua is occiſus fuerat, poſſideret: ut Dio auctor eſt. *lib.* 57. Quin & eandem Terentiam Salluſtio Ciceronis inimico, ac deinceps Meſſalæ Corvino nupſiſſe Hieronymus, lib. 1. adverſus Jovinianum, tradidit.

Succedat Terentia Mæcenatis uxor; quam propter aſſidua jurgia, divortia, iterumque conjugia millies duxit, cum unam haberet, ut ait Seneca, *epiſt.* 114. ideoque tanquam amoribus anxius, & moroſæ uxoris quotidiana repudia deflens, ab eodem, *de provid. cap.* 3. deſcribitur, Cæſarem Auguſtum ea ſuſpicione aſpergit Dio, *lib.* 54. quod creditus ſit Gallicanam peregrinationem ſuſcepiſſe, ut liberius & procul a Vulgi ſermonibus hac Terentia frueretur, itaque non injuria Mecænas Cæſari occulte infeſtus, quod idem Dio, *lib.* 55. in Mæcena-

tis obitu tangit. Sed imminutæ Cæſaris ac Mæcenatis amicitiæ aliam cauſam ponit Suetonius, *in Auguſt. cap.* 66. quod ſecretum de comperta Murenæ conjuratione uxori Terentiæ Mæcenas prodidiſſet.

Sequatur Albia Terentia ſplendidiſſima fœmina mater Imperatoris M. Salvii Othonis. *Suet. Oth. cap.* 1. tandem adjicio ſcortillum Terentillam ex eodem Suetonio. *Auguſt. cap.* 69.

Inter viros primum locum ſibi vindicat M. Terentius Varro, qui ad conſulatus dignitatem pervenit. Varronis autem cognomen tam in gente Terentia, quam Viſellia a Varris eſt; qui ſunt ſtipites non dolati, præduri ac enodes. quanquam Varro ipſe, de ſuo cognomine loquens, aliter ſcripſerit, eum qui primus Varro ſit appellatus, in Illyrico, hoſtem, Varronem nomine quod rapuerat, & ad ſuos portaverat, id cognomen ex inſigni facto meruiſſe. ut ex Servio docet Scaliger. *ad Feſt. in Squarroſos, vide etiam Voſſii etymol. in Valtum.* quomodo & Druſus

hoſti-

hoſtium Duce Drauſo cominus inter-
fecto ſibi poſteriſque cognomen inve-
nit. *Sueton. Tiber. cap.* 3.

Porro M. Terentii Varronis προσω-
πογραφίαν habes apud Livium, lib. 22.
cap. 25. 26. Loco non humili tantum,
ſed etiam ſordido ortus, Patrem lani-
um fuiſſe ferunt, ipſum inſtitorem mer-
cis, filioque hoc ipſo in ſervilia ejus
artis miniſteria uſum. is juvenis ubi ex
eo genere quæſtus pecunia a patre re-
licta, animos ad ſpem liberalioris for-
tunæ fecit, togaque & forum placue-
re, proclamando pro ſordidis homini-
bus, cauſisque, adverſuſque rem &
famam bonorum, primum in notitiam
populi, deinde ad honores pervenit.
quæſtura quoque & duabus ædilitati-
bus plebeja & curuli, poſtremo &
prætura perfunctus, ad conſulatus ſpem
cum animos attolleret, eum quoque
conſecutus, cladis Cannenſis ſua te-
meritate cauſa fuit. collegæ L. Æmi-
lio Paulo, ſaniora ſuadenti obluctа-
tus. Redeunti tamen Romam populus
gratias egit, quod de Republica non
deſperaſſet.

Anno Urbis conditæ ɪↄCLXXX. Conſules fuerunt M. Terentius Varro Lucullus, & C. Caſſius Varus. De his Cicero pro Cluentio: *Sed quæro a vobis, num iſtam legem ex iſto SC. L. Lucullus conſul, homo ſapientiſſimus tulerit? num anno poſt M. Lucullus, & C. Caſſius?* Eoſdem M. Terentium & C. Caſſium Cicero nominat lib. 3. & 5. in Verrem, a quibus Lex frumentaria Terentia & Caſſia lata fuit. Hic M. Lucullus, Lucii Luculli frater fuit in Terentiorum familiam adoptatus. quod & Sigonius, libro de nominibus Rom. collegit ex fragmento illius conſulatus Capitolino, in quo eſt: M. TERENTIUS M. F. VARRO LUCULLUS. C. CASSIUS. Ita enim alibi: A. TERENTIUS VARRO MURENA. neque enim Murena Terentiorum, ſed Liciniorum ut Lucullus cognomen fuit.

Sequatur ampliſſimus Senatorum ordo. In quo primus ſe offert Q. Terentius Culleo, qui inter captivos a Carthaginienſibus traditus, Scipionem trium-

triumphantem pileo capiti impoſito ſecutus, omni deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit. *Liv. lib.* 30. *cap.* 43. & 47. hoc de Terentio Comico memorat Paulus Oroſius, *lib.* 4. *cap.* 19. hunc tamen Senatorem fuiſſe quis probet? imo & captum non fuiſſe ex Feneſtella docet Suetonius in vita Terentii, cum hic inter finem ſecundi belli Punici, & initium tertii natus ſit & mortuus, nec ſi a Numidis aut Getulis captus ſit ad ducem Romanum pervenire potuiſſet, nullo inter Italicos & Afros commercio, niſi poſt deletam Carthaginem, cœpto. videantur quæ ad hunc Suetonii locum notavit doctiſſimus juxta ac diligentiſſimus *Samuel Pitiſcus*, nobis inde a teneris amicus. præterea cum Senatoris prænomen ſit Quintus, Comicus Publii geſſit. Sed in ejuſdem Poëtæ vita occurrit Terentius Lucanus Senator, cui Publius ille Comicus Romæ ſervitutem ſerviverit, a quo etiam ob ingenium & formam non inſtitutus modo liberaliter, ſed & mature manumiſſus ſit.

ſit. niſi forte hunc Lucanum eundem cum Culleone eſſe exiſtimes, quod ὑπεναντίον videtur Clar. Gronovius, notante eodem amico noſtro Clar. Pitiſco.

Ex hoc ordine Q. Terentius cum M. Antiſtio Legatus miſſus ad Flaminium cos. revocandum, & cogendum omnibus prius præſentem in Deos hominesque defungi officiis, priusquam ad exercitum ad provinciam iret. *Liv. lib* 21. *cap.* 63. A. Terentius Varro, legatione functus ad Gentium Illyriorum Regem, *id. lib.* 42. *cap.* 26. & L. Terentius ad Regem Antiochum. *id. lib.* 23. *cap.* 35. inter prætores Siciliam ſortitus, Maſſaliota cognomento dictus. *lib.* 38. *cap.* 42. Ædilis, *lib.* 31. *cap.* 5. C. Terentius Varro legatus in Africam miſſus. *lib.* 31. *cap.* 11. coloniæ deducendæ triumvir. *cap.* 49. C. Terentius Iſtra prætor. *lib.* 39. *cap.* 56. coloniæ deducendæ itidem triumvir. *lib.* 40. *cap.* 29. quo tempore detecta fuit Catilinæ conjuratio Ceparius ex fuga retractus in cuſtodiam traditus eſt;

Cn.

Cn. Terentio Senatori. *Salluſt. Catil. cap.* 47. Terentianum Gentianum, quod a Senatu eum diligi videbat, vehementer deteſtatus eſt Adrianus Imp. teſte Spartiano, quia ſuſpicabatur eum imperaturum eſſe.

Ex equeſtri ordine Senatorio qui proximus, celebratur M. Terentius Varro, qui, cum multi Sejani amicitiam falſo exuerent, eam amplexus eſt, ſeque graviſſima oratione defendit, quam legere eſt apud Tacitum, *annal.* 6. *cap.* 8. & Dionem, *lib.* 58. Inter Plinii epiſtolas, *lib.* 10. legitur epiſtola ad Terentium Maximum, qua ei commendat Fl. Archippum Philoſophum, ideoque eum ſi non Senatui, equeſtri ſaltem ordini inſerendum judico.

Scribarum ordinem equeſtri ſubjungimus, qui apud Græcos quidem honorificentiſſimus, in quem nemo admittebatur niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita, quod neceſſe eſſet omnium conſiliorum eſſe participem, ut loquitur Corn. Nepos, *in*

Eume-

Eumene. Apud Romanos autem quamvis mercenarii ſcribæ exiſtimabantur; ordinem tamen eorum honeſtum eſſe ſcribit Cicero, *lib.* 3. *in Verr.* quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committerentur. Imo ſæpe Imperatores, ſuperatis hoſtibus, optime rep. geſta, ſcribas ſuos annulis aureis in concione donarunt. quod ſane equitibus proximum hunc fuiſſe ordinem oſtendit. ideoque ſicut Auguſti corpus Equites Romani in Mauſoleum condiderunt, *Suet. Auguſt. cap.* 100. Sic Druſi ſuſcipientibus obviis ſcribarum decuriis ad urbem devectum, ſepultum in campo Martio. *id. Claud. cap.* 1. Ex hoc ordine fuit Cn. Terentius, qui agrum ſuum in Janiculo repaſtinans arcam oſtendit, in qua Numa, qui Romæ regnavit, ſitus fuiſſet, & in ea libri reperti, &c. de quibus Plinius, hiſt. natur. lib. 13. cap. 13. Item M. Terentius Corax, qui dum tabulas in foro ſcribit, repente diem obiit. *Plin. lib.* 7. *cap.* 53. addam alium M. Terentium cujus nomen inter

ter ſubſcriptores teſtamentii Cuſpidii legitur, quod publico donavit P. Manutius, *comment. in offic. Cicer. lib. 3. cap.* 8.

Enumerabimus porro eos qui armis nomen ſibi & gloriam pepererunt, quamvis cujus ordinis fuerint incertum ſit. M. Terentius Varro, tempore belli civilis, Pompeji in Hiſpania legatus, *Dio. lib.* 41. Auguſtus cum Silano coſ. A. U. C. 729. Terentium Varronem in Salaſſos, ſub Alpibus habitantes, cum exercitu miſit, qui eos domuit, quod præter Dionem, *lib.* 53 etiam Strabo aſſerit, *geogr. lib.* 4. Inſeramus huic claſſi illum qui Pompejo inſidias fecit. rem ita narrat Plutarchus: Cum ſub patre, qui bellum contra Cinnam gerebat, ad huc nondum adoleſcens Pompejus mereret, L. quodam Terentio utebatur familiari & contubernali, hic pecunia a Cinna redemtus ſuſceperat Pompejum occidendum, ut alii volunt, inflammandum Ducis tabernaculum. Ea re Pompejo ſupercœnam nuntiata, nihil perculſus,

culſus, ſed largiore etiam vino uſus eſt, atque in Terentium profuſus hilarius Ubi cubitum diſceſſit, clam ſe tentorio ſubduxit, ac munito ſtatione patre, quieti ſe dedit. Terentius, ut res matura viſa, diſtricto enſe ſurrexit, accedenſque ad torum Pompeji quaſi ſomno ſtrati, multos in ſtragula dedit ictus. Hinc ingens motus, Ducis odio, exortus, & ardor ad defectionem militum tentoria revellentium & arma capientium. Dux tumultus terrore non eſt progreſſus, Pompejus vero conjecerat ſe in medium illorum, eorumque animos tandem ad meliora flexit.

In hiſtoria belli Judaici apud Joſephum, *lib.* 7. *cap*, 20 invenitur *Terentius Rufus*, qui caſtris in ſolo templi jam deſtructi collocatis præfuit. Judæi vocant טורנוס רופוס Hinc aliqui fecerunt *Turnum*, alii *Tyrannum*, alii *Turrarum*. Habet ſane epithetum הרשע Ejus colloquium de Sabbatho cum R. Akiba narratur in Gemara Sanhedrin, cap. 7. viduam ejus R. Akibæ nupſiſſe ferunt.

runt. ipſum autem templo, & urbis Hierosolymorum ſolo aratrum impreſſiſſe queruntur. *Terentium* autem hunc, per nominis decurtationem *Turnum* a Judæis dictum exiſtimat Lightfootus, *oper. tom.* 2. *p.* 139. confer Coccej. Sanhedr. pag. 276. 277.

Ad plebem nunc tranſimus. Cum coss. multa licenter & tyrannice agerent, quippe quorum imperium nullis erat legibus circumſcriptum, legem tulit C. Terentius (pro quo alii mallent Terentillus) Arſa, tribunus plebis; A. U. C. 291. L. Lucretio Tricipitino, T. Veturio Gemino Cicurino coſs. ut quinque-viri crearentur legibus de conſulari imperio ſcribendis, ne ipſi libidinem ac licentiam ſuam pro lege haberent. *Liv. lib.* 3. *cap.* 9. Lex quidem non perlata, cauſa tamen creandis poſtea xviris fuit. quoniam autem in hac lege ferenda Tribunus majeſtati cos. ceſſit ac deſtitit, non poteſt hæc Lex tribunitia eſſe ea de qua agit Pomponius, de origine juris, cum inquit: Exactis Regibus lege tri-

bunitia omnes hæleges exoleverunt. Hæc Lex tribunitia non a tribunis plebis, ſed a tribuno Celerum Junio Bruto tala eſt, qui eo magiſtratu fungebatur cum Reges urbe ejecti ſunt. Sunt qui in Pomponio mendum eſſe volunt, & LEGE BRUTI JUNIA legendum. Terentius Leo trib. pl. induxit populum ad ſciſcendum, nequis niſi ingenuus conſeretur, Plut. in Flaminio Tempore triumviratus, occiſo jam Cicerone, ut Dio auctor eſt, *lib.* 47. M. Terentius Varro trib. plebis, eandem cum quodam proſcripto appellationem gerens, cum, uno excepto cognomento, alioquin nihil contra triumviros deliquiſſet, veritus ne idem ſibi quod Cinnæ accideret, edito ſcripto eam rem declaravit: atque hoc facto id nactus eſt, ut jocis riſuque agitaretur. Hiſtoria de Cinna, poëta quodam, in funere Julii Cæſaris a multitudine, propter errorem ex nomine, interfecto, nota eſt ex Plutarcho, qui eam narrat in vita tum Cæſaris, tum Bruti.

Nunc

Nunc ad eos deflectimus, qui, ex Terentiorum gente, literarum ſtudiis floruerunt, inter quos, velut inter ignes luna minores micat M. ille Terentius Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, vixit. Vir tam inſignis excellentisque peritiæ, ut de illo Terentianus (ut obiter hujus Poëtæ, a Terentiis etiam derivatum, nomen inſeram) elegantiſſimo verſiculo breviter dixerit:

Vir doctisſimus undecunque Varro.

qui tam multa legerat, ut aliquid ei ſcribere vacaſſe mirum fuerit: tam multa ſcripſerat, quam multa vix quenquam legere potuiſſe credibile fuit. Sed fruſtra ejus encomia poſt Ciceronem, Auguſtinum, aliosque plurimos hic decantemus, obiit prope nonagenarius. natus Olympiade, 165. denatus 138, juxta Euſebium in chronico.

De Terentio Veſpa, ejusque facetiis, agit Cicero, *lib. 2. de orat.* Cum Titius quidam ſtudioſe pila luderet, & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur gregalesque eum in campum non

veniſſe quererentur, excuſavit eum Terentius, dicendo, quod brachium fregiſſet. Si autem cum Turnebo judices, Veſpam non proprium nomen ſed appellativum eſſe idemque notare quod Veſpillonem, ex hoc ſane ordine deturbandus, atque in poſtremum locum relegandus erit. Terentius Scaurus D. Adriani temporibus Grammaticus vel nobiliſſimus. A. Gell. noct. att. lib. 11. cap 15. Inter ICtos ſub Antonino pio Terentius Clemens numeratur. De excellentisſimo Comico nihil addam, nomen enim ejus vel pueris in triviis notum. lepores autem ejus, judicante ita Joſepho Scaligero, vix centeſimus quisque eruditorum videt. in cujus una comœdia plus exacti judicii vidit oculatisſimus Erasmus, quam in Plautinis omnibus.

Ad Priſcum Terentium de oraculorum defectu eruditisſimum commentarium ſcripſit Plutarchus. An idem ille ad quem ſcribit Martialis? *lib.* 12. *epig.* 4. certe videtur, propter impenſum in homines doctos favorem.

Quod

Quod Flacco, Varioque fuit ſummoque Maroni,
Mæcenas atavis Regibus ortus eques:
Gentibus & populis hoc te mihi, Priſce Terenti,
Fama fuiſſe loquax, chartaque dicet anus.
Tu facis ingenium, tu, ſi quid poſſe videmur,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

idem, lib. 8. epigr. 45. Flacco ſcribit.

Priſcus ab Ætnæis mihi, Flacce, Terentius oris
Redditus; hanc lucem lactea gemma notet.

Tandem in lucem protrahamus, quem in villa latitantem, ſtudiisque incumbentem deſcribit Plinius lib. 7. epiſt. „ 25. Terentius, *inquit*, junior, e„ queſtribus militiis, atque etiam pro„ curatione Narbonenſis provinciæ in„ tegerrime functus, recepit ſe in agros „ ſuos, ſperatisque honoribus tran„ quillisſimum otium prætulit. Hunc „ ego invitatus hoſpitio, ut bonum

„ patrem familiæ, ut diligentem a-
„ griclam intuebar, de his locuturas
„ in quibus illum verſari putabam: &
„ cœperam, cum ille me doctiſſimo
„ ſermone, revocarit ad ſtudia. quam
„ terſa omnia? quam Latina? Græca?
„ Nam tantum utraque lingua valet,
„ ut ea magis videatur excellere, quam
„ cum maxime loquitur. quantum te-
„ net? Athenis vivere hominem non
„ in villa putes. Hic illud λιθοβιώσας i-
pſo facto expreſſiſſe videtur.

Sequuntur tandem ignobiliores aliquot, quos tanquam in cæritum tabulas redactos, numero civium habemus, quia Terentii ſunt; ſed ſine ſuffragio, quia vitam ſilentio veluti pecora tranſegerunt, quamvis & in his virtutum exempla. C. Terentius Lucanus (an Senator ille, de quo ante, non dicam) gladiatoria munera pingere, & in publico exponere cœpit. Is avo ſuo a quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro, per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianæ poſuit. *Plin. lib. 35. cap. 7.* L. Terentius Tu-

ſci

ſci vici magiſter vivus de ſaxo Tarpejo elatus cum eo comiſſatum veniſſet, quod mero eſſet coactus. vid. Scalig. ad Feſt. in *Sic verſantur*. Ad Calpurnium Piſonem Prætorem urbanum Terentius querelam detulit, quod ex octo filiis, quos in adoleſcentiam perduxerat, ab uno in adoptionem dato, exhæredatus eſſet. Piſo bonorum adoleſcentis poſſeſsionem ei dedit, hæredesque lege agere paſſus non eſt. Movit eum patria majeſtas, donum vitæ, beneficium educationis. flexit etiam circumſtantium liberorum numerus, quod cum patre ſeptem fratres impie exhæredatos videret. *Val. Max. lib.* 7. *cap.* 7. Alium Terentium Valerius Max. ſuppeditat, *lib.* 4. *cap.* 7. qui propter amicitiæ fidem religioſe ſervatam omittendus non eſt. D. Brutus a Mutina fugiens, ut ad ſe interficiendum ab Antonio miſſos equites cognovit, quodam in loco juſtæ pœnæ debitum ſpiritum tenebris furari conabatur: eoque jam facta irruptione, Ser. Terentius, fideli mendacio, obſcu-

ritate ipſa ſuffragante, Brutum, ſe eſſe ſimulavit, & corpus ſuum equitibus trucidandum objecit. Verum cognitus a Furio, cui Brutianæ ultionis officium mandatum fuerat, nece ſua amici ſupplicium diſcutere non potuit. Sic invitus, fortuna cogente, vixit. Fuit & Terentius quidam, teſte Ammiano Marcellino, *lib.* 27. humili genere natus in urbe, & piſtor. advicem præmii, quia peculatus reum detulerat, officium expræfecto, provintiam (*Thuſciam*) correctoris adminiſtraverat poteſtate. Eaque confidentia deinceps inquietius agitans, multa in navicularierum negotio falſo admiſiſſe convictus, ut ferebatur, perit carnificis manu. Hunc eundem eſſe judicat Lindenbrogius, obſervat. in hunc Marcellini locum, ad quem plurimæ conſtitutiones in Cod. Theodoſ. extant. L. 4. de jurisdict. *Impp. Valentinianus & Valens, A. A. ad Terenticorrectorem Tuſciæ.* L. 61. & 65. C. *um* Th. de decurionibus. & ſiquæ aliæ.

Quis

Quis autem ille cujus mentio in inſcriptione, quæ Firmi, in Agro Piceno? teſte Aldo Manutio, de ratione orthographiæ, *pag.* 540. ea talis:

TERENTIO. L.F.
A. RUFENIO. C.F.
L. TURPINO. C.F.
M. ALBANIO. L.F.
T. MUNACIO. T.F.
QUAISTORES
AIRE. MOLTATICOD
DEDERONT.

Enumeratis illis, quos inter Romanos, ſuperſtitionibus profanis addictos, obſervare licuit, triumviros Terentios, Chriſtianis ſacris initiatos, ſubjungam. Primum ſuppeditat Theodoretus, *hiſt. Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 32. huic armis & pietate ornato, ex Armenia, ubi rem bene geſſerat, redeunti Valens Imp. optionem, quodcunque vellet petendi, concedit. Petiit non aurum nec argentum, ſed ut orthodoxis ſynodum Nicænam profitentibus, ad ſacra ſua celebranda templum daretur. abnuente Imperatore, libellumque ſup-

plicem, magna cum indignatione, dilacerante, atque ut aliud quidvis optaret, jubente, Terentius collectis chartæ particulis, ſe nihil aliud petiturum reſpondit, Deumque O.M. facti ſui judicem appellat.

Secundus, Terentius Tomeorum Epiſcopus, inter defenſores fidei Nicænæ, apud Conſtantinopolin in Synodo repetitæ, numeratus apud Sozomenum, *hiſt. Eccl. lib.* 7. *cap.* 9. Tertius martyrio coronatus, de cujus reliquiis meminit Theodorus Lector, collectaneorum, *lib.* 2. Atque hæc ſit hujus de Terentiis lucubratiunculæ meta.

DIS-

DISSERTATIO VII.

De loco Matthæi, cap. v, verſ. 13.

Miniſterium Apoſtolorum. γῆ. γῆ opponitur κόσμῳ, v. 14. quid Sal? Peccatum Iudæorum quibus Sal ἐμωράνθη. Pœna eorumdem. Judæi non ſaliuntur, ſed ejiciuntur, & conculcantur: cauſæ obſcuritatis in hoc textu apud Interpretes.

Difficilior paulo mihi viſus eſt locus Matthæi, *cap.* v, *v.* 13. nec ſatis ab interpretibus enucleatus: itaque hac diſſertatione eum paulo accuratius examinabo. Sic habet: ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἐμωράνθῃ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται, εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Apoſtolorum in Judæa miniſterium, ejuſque & vim & eventum prædicit Soſpitator. Verſaturum hoc erat circa, γῆν, terram, μετωνυμικῶς, ſcilicet homines in terra degentes, nec additur ἀνθρώποις, ut

ut *Luc. cap.* 2, *v.* 1. nec πᾶσα, ut *Matt. cap. xxvii. v.* 45. Ideoque Judæam tantum deſignari puto. Nec enim hæc vox elementum illud ſolum notat, quod mari & aquis alluitur, quod ab hominibus & beſtiis habitatur, ſed ſæpiſſime partem ejus, regionem nempe, territorium, urbem. Euripid. in Oreſte, ubi Electra

θανεῖν Ὀρέστην κἀμ' ἔδοξε τῇ δε γῇ.

Decretum eſt huic terræ Oreſtem & me mori.

per terram Argos urbem intelligit. & in Novo teſtamento nec latiorem ſignificationem permittit, etiamſi adjectivum πᾶσα additum, e. g. *Luc. cap. iv. v.* 25. λιμὸς μέγας ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, cum tamen in ſola terra Iſraëlitica hæc fames contigerit, quod præcedentia innuunt: ἐν ταῖς ἡμέραις Ἠλίου, ἐν τῷ Ἰσραήλ. Sic Hebr. ארץ apud Malachiam, *cap. iv. v.* 6. ubi 72. τὴν γῆν habent, quæ anathemate percutienda, quod tamen ſoli Judææ minatur Deus. Sicut autem apud Hebræos V. T. ſcriptores cum ארץ & גוים opponuntur, manifeſta

inter

inter terram Judæorum & gentium diſtinctio eſt, ut ex *Pſal. ii. v.* 1. 2. patet: Sic etiam hoc in loco, quia v. 14. κόσμος opponitur. Nec enim γῆν & κόσμον ſynonyma eſſe ulla ratio ſuadet: quin potius quod hoc verſu de Judæa negatur, illud, verſu ſeqnente, de efficacia euangelii in vocandis gentibus a Domino Jeſu affirmatur. His enim lux erat oritura, poſtquam Judæi Meſſiam rejeciſſent, quod ex Jeſaia ait Paulus, *Actor. cap. xiii. v.* 47. Apoſtoli, aliique quos ad concionem hanc audiendam οὓς ἤθελεν, *Marc. cap. iii. v.* 13. advocavit Servator, Sal futuri erant hujus terræ: quia ſicut Sal facit ad condimentum ac purgationem, & præterea perpetuitatis ſymbolum eſt: Sic verbum ab his annuntiatum, ab illis creditum eos erat purgaturum, ut dicitur *Joh. cap. xv. v.* 3. ἤδη ὑμεῖς καθαροί ἐστε διὰ τὸν λόγον ὃν λελάληκα ὑμῖν. adeoque hoc condimento ſaliti fœderis Dei, perpetuitatem ſibi polliceri certo poterant Judæi.

Hujus autem miniſterii eventus ex

Ju-

Judæorum peccato, & pœna illis hic denuntiata manifeſtus eſt. Peccatum in eo verſatur, quod Sal ἐμωράνθη inſipidum factum ſit, non mutatione aut corruptione ipſius Salis: ſed in Judæis induratis euangelii auditoribus, qui ἐσκανδαλίζοντο offendentes ad petram ſalutis. Idem Chriſtus qui Græcis fuit μωρία, 1. *Corinth. cap.* 1. *v.* 23. adeoque ἐμωράνθη inſipidus, inſulſus erat, quia σοφίᾳ τοῦ αἰῶνος τούτου erant inflati: idem fuit Judæis ſcandalum, adeoque & his, ut omnibus ἀπολλυμένοις ἐμωράνθη ſive μωρία erat, *ibid. v.* 18. quia falſa opinione de regno Chriſti terreno erant imbuti, ideoque non erat ipſis ad guſtum ſimplex ſal euangelii, & Chriſti humilitas. Feſtus Romanus Paulum judicabat μαινόμενον, *Actor. cap. xxvi. v.* 24. Judæi de Chriſto pronunciabant ὅτι ἐξέστη. *Marc. cap. iii. v.* 13. quantula differitas inter σκάνδαλον apud Judæos, & μωρίαν apud Græcos?

Pœnam hoc peccatum ſecuturam proponit Jeſus noſter tum κατ᾽ ἄρσιν, tum κατὰ θέσιν. Prius quidem per interrogatio-

gationem, quam negans ſequitur reſponſio. ἐν τίνι ἁλισθήσεται; *quo ſalietur?* quid autem? An τὸ ἅλας; minime vero. Non enim ſal ſalitur, ſed ſale ſalitur. De ſale non dicitur, ἁλίζεσθαι, ſed ἀρτύεσθαι, *Marc. cap. ix. v.* 50. *Luc. xiv. v.* 34. quid ergo ſalietur? quid? niſi ἡ γῆ terra ἐν τίνι ἡ γῆ ἁλισθήσεται; Reſpondet Chriſtus: εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι. ut enim cibus ſine ſale inſipidus, ut dicitur Job. *cap. vi. v.* 6. Sic ubi doctrina ἐμωράνθη, nulla ibi virtus, nullus ſapor; ut cibum inſipidum ſe eos ex ore ſuo evomiturum minatur Chriſtus, *Apoc. cap. iii. v.* 16. nulla ἰσχὺς, quia receſſit currus Iſraëlis, & eques ejus. Poſtquam eccleſia Chriſtianorum ad auditam vocem μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν Hieroſolymis exceſſiſſet, Pellamque migraſſet, ſale deinceps carebant Judæi, ideoque in extremam πανωλεθρίαν inciderunt.

Sed & θετικῆς pœna proponitur in ultimi exitii comminatione. Scilicet: ut ἔξω βληθῇ. Non Sal, ſed ἡ γῆ terra, ſive in ea habitantes. Iudæi enim inde a templi vaſtatione exules, extorres,

ſine

ſine ſede & lare, ejecti in tenebras exteriores, ubi fletus & ſtridor dentium: ut prædictum *Matth. cap. viii. v.* 24. & *cap. xxii. v.* 13. Sic oportebat eos καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, fatale hoc erat urbi Hieroſolymis, dicente Servatore, *Luc. cap. xxi. v.* 24. Ἱερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν. hoc hominibus ἀνθρώποις adſcribitur; aliæ enim pœnæ quaſi Dei manu infliguntur, ut de fame & peſte David ſenſiſſe videtur; hominibus autem bellum, quod abominatur, tribuit, cum inquit: Incidamus quæſo in manum Jehovæ, nam magnæ ſunt miſerationes ejus; in manus autem hominis ne cadam. 2. *Sam. cap. xxiv. v.* 14. Coronidis loco addendum videtur verſiones & notas quorundam interpretum hunc textum reddidiſſe obſcuriorem. Belgica verſio nova inſeruit voculam [het] ut & una ex veteribus Belgicis [dat] waer mede ſal [het] vel [dat] geſouten worden? qua additione omiſſa ſenſus multo fuiſſet clarior. Alia verſio Belgica legit: waer mede ſal men dan ſouten? ſenſu manifeſto: ſed gloſſa

gloſſa marginalis textum corrumpit. **Waer mede ſal men hem ſijn ſmaecke weder geven?** ut & ante de Sale, **ſoo nu het ſout krachteloos wort /** explicat: **ofte ſijn ſmaecke verlieſt.** quæ additamenta ſenſum turbant. Lutherus: **Wo mit ſal man ſaltzen?** recte; ſed Oſiander, ex Lutheri, ut videtur, mente, hæc explicans ad eundem impegit lapidem.

De Latinis interpretibus idem fere judicium: Cum enim verba textus eum, quem demonſtravimus, ſenſum ferre poſſint: *quod ſi ſal infatuatus, vel, infatuatum fuerit, quo ſalietur?* marginales gloſſæ eum ſubvertunt, ut inſpicienti patebit. Piſcator, quamvis interpretum torrente abreptus, communem ſequatur errorem; in ſcholiis tamen ſententiæ noſtræ firmandæ argumentum haud leve ſuppeditat. nam ad vocem μωρανθῇ
„ hæc notat. Μωρὸς Græcis inſipientem
„ ſeu fatuum ſignificat ex eo, quod fa-
„ tuus ſit inſipidus & inſuavis iis, qui-
„ buſcum ei negotium eſt. Nativæ au-
„ tem illius ſignificationis exemplum
„ affert Henr. Stephanus ex Dioſcoride,

ḃ. 4. ῥίζαι γευομένῳ μωραί, id eſt, *radices guſtanti ſunt inſipidæ*. Nos ergo
lem modo illud μωρανθῇ in Mattheo
iendum judicamus: ut ἅλας ſit μωρὸν
γευομένοις fatuum, inſipidum guſtantibus. quinam vero hi guſtantes? an-
ι ἡ γῆ, vel Judæi terræ habitatores?
n ſecus ac Martialis lib. 13. betas fa-
s dixit. id eſt, ſine vino & pipere inſi-
as, fabris nempe, illas prandentibus.
Leve autem eſt argumentum, quo
cator ſuam & aliorum ſententiam
ırminare conatur ex eo quod Sal di-
ur μωραίνεσθαι, cum nativum ſaporem
ittit, ac inſipidum efficitur, amiſſa
acrimonia & condiendi vi: atque
ıc ſignificationem aſtruit cognatione
ωραίνεσθαι, cum verbo μαραίνεσθαι, quod
marceſcere, vel elangueſcere, ut mar-
centes plantæ nativum ſaporem a-
ttunt, ac inſipidæ redduntur. hoc,
ıuam, leve eſt; cum enim argumenta
era etymologia deducta non ſemper
ɔgicorum filiis admittantur, quid de
uſionibus & cognatis, non ita ſane
ɔpinquis, ſtatuendum ſit, facile vi-
ri poteſt.

DIS-

DISSERTATIO VIII.

DE SEPTEM GRÆCIÆ SAPIENTIBUS.

Genius cuique populo proprius. Græci philoſophiam ſectati, pauciſsimi eam adepti. de numero horum ſapientum, an plures, an pauciores? de numero ſeptenario. An hi vere ſapientes? ſeutentia Ciceronis & Lactantij. qualis horum philoſophia? Poëtica, ſophiſtica, ſceptica, mythica? Thales phyſicus, reliqui practici. Eorum dicta ſpeciatim explicata: Thaletis, Cleobuli, Chilonis, Periandri, Pittaci, Solonis, horum cum ſacris literis conſenſus. An hæc ipſorum dicta genuina? de ſapientia Salomonis. de carminibus Catonis, Pythagoræ, Æſopi fabulis. An gnomologia vera ſit philoſophan-

phandi methodus? de ſtylo Ciceronis, Senecæ, philoſophorum practicorum.

DEus & natura leges quaſdam, & fœdera certis locis impoſuerunt, ut unaquæque regio quædam ferat, quædam recuſet, & non omnis ferat omnia tellus,

Hic ſegetes, illic veniant felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcant Gramina.

Nullus etiam eſt populus, qui non genium ſibi peculiarem habeat, qui eum in hac vel illa arte ac ſcientia præ aliis excellentem faciat. juxta illud, 6. Æneid.

Excudent alij ſpirantia mollius æra,
Credo equidem vivos ducent de marmore vultus,
Orabunt cauſas melius, cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent
Tu regere imperio populos, Romane, memento,

Ha

Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Talem animorum iconem, ſecundum cujuſque populi genium, graphice, elegantiſſimo ſtylo, in quarta ſatyrici parte, depinxit Joh. Barclajus. Præ cæteris autem ex ſapientia, illiſque, quæ ad humanitatem ſpectant artibus, palmam tuliſſe judicatur

Græcia, facundum, ſed male forte genus.

Gentium Apoſtolus eos σοφίαν ζητεῖν teſtatur, 1. *Corinth. cap.* 1. *v.* 22. hinc apud eos innumerabilis ea profitentium multitudo, quorum ſane longe plurimi cum Ixione pro Junone nubem & cum procis Penelopes pro Domina ancillas amplexi, ipſam Philoſophiam miſerrime habuerunt. Cum enim ejus hæreditatem Epicureum vulgus ac Stoïcum, cæterique pro ſua quiſque parte raptum ire molirentur, eamque reclamantem, renitentemque velut in partem prædæ traherent, veſtem diſcer-

derunt abreptiſque ab ea panniculis, totam ſibi eam ceſſiſſe credentes, abiere. In quibus quoniam quædam habitus illus veſtigia videbantur, ejus eſſe familiares imprudentia rata, nonnullos eorum multitudinis errore pervertit. ut quidem illa, apud Boëthium *lib.* 1. *de conſol. phil.* conqueritur. Interim pauciſſimi dignoſcere poſſunt vera bona, atque illis multum diverſa, Hi profecto *vix totidem quot*

Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Imprimis autem in Græcia celebrantur ſeptem illi, quos eo tempore, quo captivus Dei populus in Babylonia tenebatur, fuiſſe, ex Euſebio ſcribit Auguſtinus, *de civit. Dei*, *lib.* 18. *cap.* 25. vitas eorum deſcripſerat olim Hermippus, teſte Athenæo, *lib.* 10. *cap.* 12. Horum primo quidem nemerum, ſapientiam deinde conſiderabimus.

De numero eorum magna diſcordia fuit, narrante Diogene Laërtio, in vita Thaletis, cujus verba: „Leandrius enim pro Cleobulo & Myſone,

„ ne, Leophantum Gorſiada, Lebe-
„ dium ſive Epheſium inſerit, Epime-
„ nidemque Cretenſem. Plato autem
„ in Protagora Myſonem pro Perian-
„ dro. Euphorus pro Myſone ponit
„ Anacharſin: alii Pythagoram adjici-
„ ciunt. Porro Dicæarchus quatuor
„ nobis conſenſu omnium ſapientes
„ tradit: Thalem, Biantem, Pitta-
„ cum, atque Solonem. tum ſex alios
„ nominat, quorum ex numero tres
„ elegit: Ariſtodemum ſcilicet, Pam-
„ philum, Chilonem Lacedæmonium,
„ Cleobulum, Anacharſim, & Peri-
„ andrum. Addunt quidam Acuſilaum,
„ Cabam, ſive Scabram, Argivum.
„ Hermippus autem in libro de ſapien-
„ tibus, decem & ſeptem fuiſſe tradit,
„ quorum ex numero ſeptem alii aliter
„ eligunt. Sic autem illos computat:
„ Primo loco ponit Solonem, tum
„ Thalem, Pittacum, Biantem, Cle-
„ obulum, Chilonem, Periandrum,
„ Anacharſim, Acuſilaum, Epimeni-
„ dem, Leophantum, Pherecydem,
„ Ariſtodemum, Pythagoram, Laſum

„ Charmantidæ, ſed Silymbrini, ſive „ (ut Ariſtoxenus tradit) Chabrini filium, Hermioneum, Anaxagoram. „ Enimvero Hippobotus in deſcriptione Philoſophorum, hanc illorum ſeriem exponit: primo Orpheum, deinde Linum, tum Solonem, Periandrum, Anacharſim, Cleobulum, „ Myſonen, Thalem, Biantem; Pittacum, Epicharmum, & extremo „ loco Pythagoram. Hæc Laërtius. Fuerunt qui hos ſapientes numero tantum quinque fuiſſe tradiderunt, ut ait Plutarchus in Commentario de EI apud Delphos, ſcilicet: Chilonem, Thaletem, Solonem, Biantem, Pittacum. Poſtquam vero Cleobulus Lindiorum tyrannus: & Periander Corinthius, quanquam virtutis eſſent ſapientiæque expertes, potentia tamen, amicis, officiisque vim famæ fecerunt, & ſe in ſapientum nomen ingeſſerunt, itidemque ut quinque illi ſententias quaſdam, & dicta emiſerunt, ac per Græciam ſparſerunt: Ibi tum quinque iſti, moleſte hoc ferentes, arroganti-

am

am quidem horum refellendam, aut de gloria palam inimicitias ſuſcipiendas, & cum præpotentibus viris contendendum non cenſuerunt. ideoque Delphos convenerunt, interque ſe collocuti, literam eam quæ in ordine eſt quinta, & numerum quinarium deſignat, dedicarunt, coram Deo proteſtati, ſe quinque numero eſſe, & ſextum ac ſeptimum, ut nihil ad ſe pertinentes, repudiare atque abdicare. Hæc Plutarchus. Porro vel hinc patet τὸ E ut Ει olim pronuntiatum eſſe, quod Athæneus, *lib.* 10. *cap.* 20. teſtatur: Ἄλφα πρῶτον, ὦ γυναῖκες, Ει τὸ δεύτερον μόνον χρὴ λέγειν. vide & Voſſ. de arte Gramm. *lib.* 1. *cap.* 13.

Plutarchus quidem commentarium ſuum inſcripſit, ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον, inſtitutum ſcilicet a Periandro Corinthio, verum iſti convivio plures σοφοὶ interfuerunt, Anacharſis imprimis ac Æſopus, aliique ſapientiæ laude celebrati. Lyſippus quidem, multis poſt ſeculis, ſeptem ſapientium effigiem, ære expreſſit, Æſopi tamen effigiem

 adjun-

adjunxit, imo reliquis præpoſuit, ut teſtatur Agathiæ ſcholaſtici epigramma, quod VIII. *lib.* 4. Ἀνθολογ.

Εὖγε ποιῶν, Λύσιππε γέρον Σικυώνιε πλάστα,
Δείκελον Αἰσώπου στήσαο τοῦ Σαμίου
Ἑπτὰ Σοφῶν ἔμπροσθεν. ἐπεὶ κεῖνοι μὲν ἀνάγκην
Ἔμβαλον οὐ πειθὼ φθέγμασι τοῖς σφετέροις.
Ὃς δὲ σοφοῖς μύθοις, καὶ πλάσμασι καίρια λέξας,
Παίζων ἐν σπουδῇ πείθει ἐχεφρονέειν.
Φευκτὴ δ' ἡ τρηχεῖα παραίνεσις. ἡ Σαμίου δὲ
Τὸ γλυκὺ τοῦ μύθου καλὸν ἔχει δέλεαρ

quod Joachimus Camerarius ita vertit.

Quam bene adhuc, Lyſippe, tua, Sicyonis alumne,
Æſopi effigies cernitur arte ſenex?
Quæ ſeptem ante chorum ſapientum jure locata eſt,
Quos etiam ingenio vicerat ille ſuo.
Seria commendans commentis dicta jocoſis,
Ac homines blando quolibet ore trahens.
Cum triſtes illi monitus, violentaque juſſa,

In

In populum linguo præcipiente darent.
Ergo qhod illorum ſapientia docta nequivit,
Hic homines ludens ut ſaperent docuit,

Quocunque modo res ſeſe habeat, numerus ille ſeptenarius hactenus fere obtinuit, forte ex hiſtoria de aureo illo tripode, a piſcatoribus Mileſiis extracto, unde controverſia cum orta eſſet, Apollo Delphicus reſpondit conſultus:

Ἔκγονε Μιλήτου τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς,
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος; τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

Incola Mileti tripodem conſultus Apollo
Illi dat, cujus vincat ſapientia cunctos,

Tripus hic, vel, ut alii malunt, patera, ad Thaletem primo delatus, inde in orbem ad reliquos miſſus, cum nemo ſibi ſapientis nomen arrogare vellet, ad ipſum tandem Apollinem relatus, eique conſecratus eſt. Forte & hic aliquid ex Pythagoræ ſchola, ſuperſtitionis latet, qui hunc præcipue

nume

numerum religionibus aptiſſimum prodidit, teſte Apulejo, *lib.* 11. *metam.* qua de re quædam in ſyntagmate noſtro de luſtrationibus, *cap.* 35. notavimus. Nunc tantum adjiciam hebdomadis ἐγκωμιαστικὸν, olim ab Ant. Æmylio ſcriptum ad juventutem literariam Gymnaſii Hieronymiani apud Ultrajectinos in ſeptem claſſes digeſtam, elegans ſed in paucorum manibus eſt.

Numen ineſt numeris (teſtis non vana vetuſtas),
Fauſta ſed ante alios hebdomas omen habet.
Septem Pleïades, totidem vaga ſidera mundi,
Binaque ſepteno plauſtra trione micant.
Sic plus laudis habes, totidem quæſite per urbes
Mæonide, numero conciliante decus.
Romaque ſepteno caput exerit ardua colle,
Et claret totidem Græcia docta ſophis.

Belgica

Belgica ſeptena coit in ſua fœdera dex-
tra,
Septima Chriſticolis lux ſolet eſſe
ſacra.
Utque Ajax melius clypeo ſeptemplice
pugnat,
Et ſeptem gemino defluit ore Melo.
Sic te Claſſis & ars, pubes, ſeptena
beabit,
Si ſeptemgeminus conſtet in arte
labor.

De numero hactenus; ipſam porro ſapientiam eorum inquiramus. Multi eos e ſapientum catalogo expunxerunt. Damon Cyrenæus apud Laërtium in Thalete, cum de philoſophis ſcriberet, omnes inſimulavit, & hos ſeptem imprimis: Dicæarchus autem neque ſapientes neque philoſophos fuiſſe aſſerit, ſed cordatos plane viros, & legum latores. Sed & Cicero, de amicitia, *cap.* 2. *qui ſeptem, inquit, apellantur, eos, qui iſta ſubtilius quærunt, in numero ſapientum non habent.*
„ Cui ſubſcribit Lactantius, *divin. in-*
„ *ſtit. lib.* 4. *cap.* 1. Priusquam hæc phi-
„ lo-

„loſophia, quæ dicitur eſſe, inveni-
„retur, ſeptem fuiſſe traduntur primi
„omnium, qui quia de rebus naturali-
„bus quærere ac diſputare ſunt auſi,
„ſapientes haberi appellarique meru-
„erunt. O miſerum calamitoſumque
„ſeculum, quo per orbem totum ſe-
„ptem ſoli fuerunt, qui hominum vo-
„cabulo cierentur! nemo enim poteſt
„jure dici homo, niſi qui ſapiens eſt,
„ſed ſi cæteri omnes, præter ipſos,
„ſtulti fuerunt, ne illi quidem ſapien-
„tes: quia nemo ſapiens eſſe vere ju-
„dicio ſtultorum poteſt. Adeo ab his
„abfuit ſapientia, ut ne poſtea quidem
„increſcente doctrina, & multis ma-
„gnisque ingeniis in idipſum ſemper
„intentis, potuerit perſpici veritas &
„comprehendi. Nam poſt illorum
„ſeptem ſapientum gloriam, incredi-
„bile eſt, quanto ſtudio inquirendæ
„veritatis Græcia omnis exarſerit. I-
„dem, *lib.* 6. *cap.* 6. Nec ii, qui ſa-
„pientes habiti, & nominati, M.
„Cato, & C. Lælius, ſapientes fue-
„runt: nec illi quidem ſeptem, ſed
„ex

„ ex mediorum officiorum frequentia,
„ ſimilitudinem quandam gerebant,
„ ſpeciemque ſapientum.

Quin & Pauſanias, lib. 1. ſive in Atticis, *Græci*, inquit, *de ſe tum alia jactant, tum e ſuis majoribus ſeptem fuiſſe ſapientes, inter quos Lesbium tyrannum & Periandrum Cypſeli filium connumerant: ſed profecto Periandro Piſiſtratus, & ejus filius Hippias humaniores & ſapientiores, omni etiam bellica laude, & civili ſuperiores fuerunt, præſertim antequam Hippias in fraternæ cædis conſcios iracundiam ſuam exerceret.* Videamus autem num hæc cenſura merito in eos ſtricta ſit, & annon eos ſuo loco & dignitati reſtituere poſſimus. Si enim inter ſapientes cenſendi non ſunt, fruſtra porro de eorum ſapientia diſputabimus. Damonis Cyrenæi ſententiam ſatis rigidam, ſed ſine ulla ratione addita propoſuit Laërtius, ideoque a nobis, eadem, qua aſſerta eſt, facilitate, rejicitur: cum autem & omnes alios idem inſimulaverit, lateant ſane hi noſtri in turba, & ipſos latitantes reliquorum *De-*

Defendat numerus, junctæque umbone Phalanges.

Dicæarchus Philoſophorum ac ſapientum nomen illis negat, rem ipſam tamen aſſerit, dum eos cordatos ac legum latores fuiſſe aſſerit. Si nihil de eorum altercationibus, vaniſque ſpeculationibus, quod multorum ante Socratem ſtudium fuit, memoriæ proditum eſt, certe maſculæ illius philoſophiæ conſulti fuerunt, quæ, judice Cicerone, 5. *Tuſcul.* eſt vitæ Dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum, quæ urbes peperit, quæ diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocavit, quæ eos inter ſe primo domiciliis, deinde conjugiis, tum literarum ac vocum communione junxit, quæ inventrix legum, magiſtra morum & diſciplinæ fuit. ex cujus præceptis unus dies bene actus peccanti immortalitati anteponendus. Scilicet, juxta Horatium.

—— *Fuit hæc ſapientia quondam*
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis.

Con-

Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Prolixus nimis eſſem, ſi operoſe hic repeterem quæ Plutarchus duabus orationibus ſapientiſſime diſputavit de Fortuna an Virtute Alexandri Magni. unum illud excerpam ex oratione priore: Poſtquam Alexandrum ſuum cum philoſophorum coryphæis, Socrate, Arceſilao, Carneade, imo cum ipſo omnis ingenii ac eruditionis principe Platone comparaſſet, tandem pronuntiat: Εἰ τοίνυν μέγιστον μὲν οἱ φιλόσοφοι φρονοῦσιν ἐπὶ τῷ τὰ σκληρὰ καὶ ἀπαίδευτα τῶν ἠθῶν ἐξημεροῦν, καὶ μεθαρμόζειν, μυρία δὲ φαίνεται γένη καὶ φύσεις θηριώδεις μεταβαλὼν Ἀλέξανδρος, εἰκότως ἂν φιλοσοφώτατος νομίζοιτο. hoc eſt: *Si recte maximam ſibi laudem philoſophi inde petunt, quod dura & inculta ingenia emolliunt atque componunt: merito pro ſummo philoſopho Alexander habendus eſt, qui innumeras efferas gentes atque indoles cicuraverit.* Ciceronis teſtimonium auctoritate ſolummodo ſubtilius iſta quærentium nititur, ſed &

anearum telæ ſubtiles ſunt ſine uti-
ate. Majori pompa in arenam hanc
ſcendit Lactantius, ſed minimo la-
ore rejicietur. Contra omnes gen-
um philoſophos actionem inſtituit,
sque ſtultitiæ arguit propter craſſos
orum errores circa ſummum bo-
um, ipſamque virtutem: imaginem
umbram rerum, non ipſam verita-
em amplexi ſunt. Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐ-
μωράνθησαν. ut ait gentium Apoſtolus.
om. cap. 1. v 22. Omnibus hoc viti-
n commune fuit, nec noſtris ſeptem
lis, aut præ aliis imputandum. nec
omparationem hic inſtituimus inter
hiloſophiam Chriſtianam quæ ſola ve-
a eſt & ſalutaris; & ethnicam quæ in
enebris palpavit. ſed pro ratione illo-
um temporum, in orbe philoſophico
cum non ſane infimum hebdomadi
oſtræ vindicare ſtudemus. Supereſt
auſanias; Hic tantum Lesbium ty-
annum & Periandrum ex omnibus nu-
erat, quorum ἁμάρτημα reliquis impu-
are iniquum eſt: præſertim cum & illi
uinque, qui illud & apud Delphos
de-

dedicarunt, eo ipſo diſcrimen aliquod, duosque ex numero ſuo rejectos, vel ſaltem non admiſſos, indicare voluerint.

Sequitur ut qualis eorum Philoſophia fuerit porro inquiramus. Anaximenes apud Diogenem Laërtium in Thalete, eos Poëticę ſtudioſos dixit, quo ipſo eos vel maxime philoſophos pronuntiavit. Antiquiſſimi enim Poëtę, virtutis doctores erant, ipſe Homerus

—— a quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora rigantur aquis,

judice ſapientiſſimo philoſopho Horatio, *quid rectum, quid turpe, quid utile, quid non*

Plenius & melius Chryſippo & Crantore dicit.

Hæc ratio eſt quare Alexander Iliada & Odyſſeam, tanquam expeditionis ſuæ viaticum, ſecum habuerit. non animi reficiendi, aut otio ſuo ſuavitatem conciliandi gratia, ſed potius ut veram illam philoſophiam de fortitudine, temperantia, magnanimitate, aliis

aliisque regiis virtutibus, non a præceptore tantum Ariſtotele, ſed ab hoc etiam Homero hauriret. *vid. Plut. orat.* I. *de fort. Alex.*

Septem noſtri μελοποιίαν plerunque neglexerunt. Solon quidem, teſte Juſtino, *lib.* 2. *cap.* 7. cum ſtultitiam ſimulare vellet, atque Athenienſes ad bellum cum Megarenſibus, de Salamine gerendum excitare, inſolitis ſibi verſibus populo ſuaſit quod vetabatur. hoc præter ordinem fuit. Reliquorum pauciſſima leguntur. De Thalete Plutarchus in Lycurgo auctor eſt, eum, artis Lyricæ ſpecie, Legislatoris munus impleviſſe, cum modis numeriſque ejus multa gravitas ineſſet & oblectatio; atque hoc modo Lycurgo viam ad inſtituendos Lacedæmonios muniviſſe. Antiquiſſimi profecto Poëtarum non tam numeror, quam doctrinæ utilitatem ſpectabant, ideoque & γνώμας, in quibus de moribus, de Deo, de virtute egerunt, ᾄσματα καὶ ᾠδόμενα dixerunt, Latini autem *Carmina*, ut apud Catonem: *Si Deus eſt animus, nobis ut* carmina *dicunt*. Car-

Carmina ſunt philoſophorum dicta. quo nomine & breves illas ſententias, *Deo ſupplica: Parentes ama* &c. a Catone præmiſſas comprehendimus. vide D. Heinſ. in Heſiod. ἔργα, *cap.* 6. hac ratione ſeptem noſtri & Poëtæ & Philoſophi recte dicuntur.

Plutarchus, commentario de εἰ apud Delphos, Sophiſtas eos a quibusdam vocari teſtatur, quæ vox cum media ſit, ab invidis fortaſſe in malam partem ſumta eſt, nos eorum famæ conſulentes, in bonam interpretamur partem, revera enim ſapientiam docuerunt.

Ex ſucceſſoribus Solonis aliqui, teſte Plutarcho in vita Themiſtoclis, ſapientiam ſuam cum artibus confuderunt forenſibus, & ab actu rerum trajecerunt meditationem ad verba, unde Sophiſtæ appellati ſunt. Verum quis ſanus diſcipulorum ſuo tempore ſuccedentium peccata, in rationes præceptorum & priorum referat.

Diogenes Laërtius in vita Pyrrhonis, quorundam narrat ſententiam, qui

qui noſtros in Sceptica philoſophia verſatos eſſe judicaverunt. Semper autem eos de rebus ad virtutem ſpectantibus ita docuiſſe, ut aſſenſum cohibentes ſive ἐπέχοντες nihil definiverint, nobis non ſit vero ſimile, imo eorum ἀποφθέγματα contrarium docent. quid autem in phyſicis egerint non liquet: hoc liquet multa in illis obſcura & incerta ulteriorem veritatis, quaſi in Democriti puteo latentis, inquiſitionem requirere, in qua ἡ ἀπορία τὴν ἐπιστήμην τίκτει, ipſa dubitatio ſcientiam parit.

Georgius Hornius, *hiſtor. philoſ. lib.* 3. *cap.* 4. hos ſeptem ad Mythicorum claſſem refert, nulla ratione adſcripta: forte quia ſapiens ille e Phrygia fabulator convivio illorum, apud Plutarchum, interfuiſſe dicitur: verum ille ſibi peculiarem hanc philoſophandi methodum habuit, quam reliqui nullo modo ſecuti ſunt, qui ne quidem ſub poëticarum fabularum involucris doctrinam ſuam propoſuerunt, tanquam evolvendam per μυθολογίαν ethicas, hiſtoricas, politicas, phyſicas,

ut

ut in Homericis, Ovidianis, aliiſque factum eſſe conſtat.

Hæc in genere de horum philoſophia dicta ſunto: operæpretium eſt ut preſſius, & ſigillatim, uniuſcujuſque eorum ſapientiam contemplemur.

Chorum ducat Thales Mileſius, hic primus apud Græcos Phyſicus appellatus eſt. Artes & inventa vitamq; ejus in Diogene Laërtio habemus. Apulejus flor. 18. his verbis ea perſequitur: *Thales Mileſius ex ſeptem illis ſapientiæ memoratis viris præcipuum. Fuit enim Geometriæ penes Grajos primus repertor, & naturæ rerum certiſſimus explorator, & aſtrorum peritiſſimus contemplator, maximas res parvis lineis reperit. temporum ambitus, ventorum flatus, ſtellarum meatus, tonitruum ſonora miracula, ſiderum obliqua curricula, ſolis annua reverticula: idem Lunæ vel naſcentis incrementa, vel ſeneſcentis diſpendia, vel delinquentis obſtacula. Idem ſane jam proclivi ſenectute divinam rationem de ſole commentus eſt, quam equidem non didici modo, verum etiam experiundo comprobavi, quoties ſol magnitudine ſua circulum, quem permeat, metiatur. Id a ſe recens inventum Thales memoratur edocuiſſe Mandraytum Prienenſem, qui nova & inopinata cognitione impendio delectatus, optare juſſit quantam vellet merce-*

deus ſibi pro tanto documento rependi, ſatis inquit, mihi fuerit mercedis, Thales ſapiens, ſi id quod a me didiciſti, cum proferre ad quoſpiam cœperis, tibi non adſciveris, ſed ejus inventi me potius quam alium reperiorem prædicaveris. Pulchra merces prorſum, ac tali viro digna & perpetua. Hinc comicorum ſarcaſmi. Apud Ariſtophanem in avibus Geometræ Metoni multa de Mathematicis diſſerenti, quidam reſpondet: Ἄνθρωπος Θαλῆς! Μέτων. & in Nubibus: τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν. quem imitatus Plautus, Rud. act. 3. ſc. 3. *Salve Thales.* & Bacchid. act. 1, ſc. v. 14. *quem ego ſapere nimio cenſui plus quam Thalem.*

Aquam rerum omnium initium eſſe dixit, & in eam cuncta reſolvi, Juſtin. Martyr, λόγ. παραιν. πρὸς Ἕλλην. Θαλῆς μὲν γὰρ ὁ Μιλήσιος, ὁ πρῶτος τῆς φυσικῆς φιλοσοφίας ἄρξας, ἀρχὴν εἶναι τῶν ὄντων ἁπάντων τὸ ὕδωρ ἀπεφήνατο· ἐξ ὕδατος γάρ φησι τὰ πάντα εἶναι, καὶ εἰς ὕδωρ τὰ πάντα ἀναλύεσθαι. qua in re Orphea, vatem antiquiſſimum ſecutus eſt, qui ab Oceano omnes Deos, omneſque res initium ſumſiſſe in hymnis cecinit:

Ὠκεανὸν καλέω πατέρ' ἄφθιτον, αἰὲν ἐόντα,
Ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

Ος

Ὃς περικυμαίνει γαίης περὶ τέρμονα κύκλον,
Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα.

Homerus quoque, Iliad. 14. v. 201.

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Ubi Didymus Scholiaſtes: θεῶν πατέρα, ἐπεὶ πρῶτον ςοιχεῖον τινὲς τῶν φυσικῶν εἶπον τὸ ὕδωρ, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὰ λοιπὰ τρία. ὅθεν ὁ πίνδαρος, ἄριστον εἶπε τὸ ὕδωρ. quam opinionem Thales, ex Moſe, forte ſibi lecto, hauſiſſe videtur, qui, in hiſtoria de rerum origine, ſcripſit, ſpiritum Dei aquis incubaſſe. quod antiqua eccleſia etiam ad regenerationem ſpiritualem transtulit, dicente Tertulliano, de baptiſ. cap. 3. *Primus liquor quod viveret edidit, ne mirum ſit in baptiſmo ſi aquæ animare credantur.* vide porro Lactantium, *divin. inſtit. lib.* 1. *cap.* 5. quæ præterea Thales docuit apud Diog. Laërtium in vita ejus videre eſt. Atque hæc de Thalete.

Reliqui ſex vitæ genere diſtinguebantur, & vitæ præceptis ad bene vivendum accommodatis, ut ait Auguſtinus, *lib.* 8. *de Civit. Dei, cap.* 2. Hi enim in Republica, & hominum luce

magis verſati, ſapientiam ſuam brevibus ſententiis, legiſlatorum inſtar, propoſuerunt. Omnium autem ἀποφθέγματα, ſimul cum patria, in anthologia, *lib.* 1. *cap.* 86. *epig.* 7. ſic recenſentur:

Ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω κατ' ἔπος πόλιν, οὔνομα, φωνήν.
Μέτρον μὲν Κλεόβουλος ὁ Λίνδιος εἶπεν ἄριστον.
Χείλων δ' ἐν κοίλῃ Λακεδαίμονι, γνῶθι σεαυτόν.
Ὃς δὲ Κόρινθον ἔναιε, χόλου κρατέειν, Περίανδρος.
Πιττακὸς οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ Μιτυλήνης.
Τέρμα δ' ὁρᾶν βιότοιο Σόλων ἱεραῖς ἐν Ἀθήναις.
Τοὺς πλέονας κακίους δὲ Βίας ἀπέφηνε Πριηνεύς.
Ἐγγύην φεύγειν δὲ, Θαλῆς ὁ Μιλήσιος ηὔδα.

Has gnomas eleganter explicavit Auſonius in ludo ſeptem ſapientum. Paraphraſi exornavit Antonius Æmilius, ſylva ſeptima. picturis emblematicis illuſtravit Andreas Alciatus, cujus hoc epigramma adjiciendum viſum eſt:

Hæc habeas ſeptem ſapientum effingere dicta,
Atque ea picturis qui celebrare velis.

Op-

Optimus *in rebus* modus *eſt*. Cleobulus *ut inquit*,
Hoc trutinæ *examen*, *ſive* libella *docet*.
Noſcere ſe Chilon Spartanus *quemque jubebat*,
Hos ſpecula *in manibus*, vitraque *ſumta dabunt*.
Quod Periander *ait*, frena adde, Corinthius, iræ,
Pulegium *admotum naribus efficiet*.
Pittacus at ne quid *dixit* nimis, hæc eadem ajunt
Contracto qui *gith* ore liquefaciunt.
Reſpexiſſe Solon finem jubet, *ultimus agris*
Terminus, *haud magno ceſſerit ipſe Jovi*.
Heu quam vera Bias, eſt copia magna malorum,
Muſmoni *inſideat effice* Sardus eques.
Ne præs eſto, Thales dixit, *ſic* illita viſco
In laqueos ſociam parra, meropſque trahunt.

Ne

Ne autem horum ἀποφθεγμάτων ſapientiam, tanquam ab ethnicis profectam, quis deſpiciat, agedum ſacris literis eam comprobari audiamus.

Cleobuli Lindii dictum eſt, ἄριστον μέτρον. idem pronuntiat Regum ſapientiſſimus, Eccleſ. cap. vii. v. 16, 17. *Ne eſto juſtus nimium, neque ſapere tibi videtor amplius, quare deſolationem tibi accerſeres? Ne improbus ſis nimium, neque ſis ſtolidus, quare morereris ante tempus tuum?*

Chiloni Lacedemonio (γνῶθι σεαυτὸν) conſentit Paulus, 1. Corinth. cap. xi. v. 31. *Si nos ipſos dijudicaremus, non judicaremur.* Imo ipſe Chriſtus, Matt. cap. vii. v. 3. 4. 5. Luc. cap. vi. v. 41. 42. *Quid aſpicis feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui, trabs autem, quæ eſt in oculo tuo, non aſpicitur tibi?*

Periandri Corinthii eſt, χόλυ κράτει. Pauli eſt, Epheſ. cap. iv. v. 26. *Iraſcimini, & ne peccate, ſol ne occidat ſuper exacerbatione veſtra.*

Eidem tribuitur, μελέτη τὸ πᾶν. Nec aliud vult Jeſus noſter, Luc. cap. xiv. v. 28.

v. 28. 31. *Quis ex vobis, ſi velit ædificare turrim, non prius ſedens computat ſumtus, an habeat quæ ad ejus perfectionem requirantur. Aut quis Rex proficiſcens ut committat prælium adverſus alterum Regem, ſedens prius non conſultat, an poſſit cum decem millibus occurret; ei qui cum viginti millibus venit. &c.* Pittaci Mitylenæi eſt, γίγνωσκε καιρόν. Idem dixit Salomon, Eccl: cap. viii. v. 4. *Tempus ac rationem novit animus ſapientis.*

Solonis Athenienſis hoc eſt: τέλ@ ὁρᾷν μακροῦ βίου. Idem dixit Achabus Iſraëlis Rex, quamvis impius: 1. Reg. cap. xx. v. 11. *Ne glorietur accinctus, æque ac diſcinctus.*

Biantis Prienei eſt: οἱ πλεῖστοι κακοί. Quid aliud voluit ipſum os veritatis? Matth. cap. vii. v. 13. 14. *Introite per anguſtam portam, quoniam lata eſt porta, & ſpacioſa via, quæ abducit in exitium, multique ſunt qui introeunt per eum, quia anguſta eſt porta, & ſtricta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniant eam.* Thaletis denique Mileſii, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη. Idem monuit

nuit Salomon, Prov. cap. xvii. v. 18: *Homo demens complodit manum, ſpondens ſponſionem ante amicum ſuum.* Similia eodem libro legas, cap. vi. v. 1, 2, & cap. xi. v. 15.

De his dictis hi ſeptem Sapientes eſſe meruerunt, ut ait Minucius in Octavio. Non quod certum ſit cui ex illis unumquodque dictum tribuendum ſit; unum enim, e. g. γνῶθι σαυτὸν, non tantum Chiloni, ſed & Thaleti, & Pythiæ Apollinis Delphici ſacerdoti adſcribitur: Verum ut hæ gnomæ tanto majorem vulgò haberent authoritatem, magnorum virorum nomina præſcripſit antiquitas. Non ſecus ac liber ille apocryphus, qui *Sapientia Salomonis* dicitur, non quod ſit ipſius Salomonis, ſed quod res quæ in eo traduntur Rege ſapientiſſimo dignæ ſint, ſive quod ex iis principiis & placitis exſtructus ſit, quæ Salomo olim inter Judæos profitebatur. Eadem ratio eſt diſtichorum Catonis, quæ hodie pueris in ſcholis leguntur, quæ ab illo ſive Cenſorio ſive Priſco nomen ſortita

ſunt

ſunt, non quod Cato eorum auctor ſit, nullus enim Cato fuit poſt Lucanum Poëtam, cujus mentionem hic habet libellus. itaque alii Boëthio, alii Auſonio, alii incerto auctori adſcribunt, de qua re Ptolomæus Flavius, *conjectan. c. 95.* Sed quod compoſita ſint illa carmina ad normam ſanctiſſimarum illarũ ſententiarum, quæ a Catone profectæ, vulgo a Romanis uſurpabantur. quemadmodum Pythagoræ carmina, non ab ipſo Pythagora, ſed ex ſententia & ſcriptis Pythagoræ collecta ſunt.

Idem de carminibus quę Orpheus & Empedocles ſcripſiſſe dicuntur, judicium eſt. ipſæ quoque fabellæ, quæ Æſopi nomine circumferuntur, ab eo originem non acceperunt, auctor enim primus earum Heſiodus eſt, judice Fabio *lib. 5. cap.* 11. ejus tamen nomen præferunt, quia ab illo hæc philoſophandi methodus maxime frequentata eſt.

Neque interim credendum eſt, hos ſapientes tambardos ac ſtupidos fuiſſe, ut his ſententiolis omnem divinarum atque humanarum rerum ſcientiam

com-

complexos ſe putaverint, eorum enim & alia apophthegmata, vel apud unum Stobæum invenias: Verum his dictis maxime delectati videntur. Ut viri inſignes ſæpe hoc vel illud ſibi proprium quaſi ſymbolum faciunt, quod ab Ægyptiorum ſcriptura hieroglyphica, a Pythagoræ doctrina ſymbolica ad noſtra uſque tempora derivatum frequentatur non tantum a Principibus, in nummis, vexillis, clypeis, annulis, ſed etiam a privatis, qui nomini ſuo ſæpe tale aliquid ſubjiciunt, qualia Imperatorum ſymbola collegit Nicolaus Reuſnerus, Aliorum etiam Regum, Ducum, virorum Doctorum Avus meus, Alb. Lomejerus. Quæri hic poſſet an talis γνωμολογία, qua ſeptem noſtri uſi ſunt, vera ſit philoſophandi, atque adeo prudentiæ docendæ ac diſcendæ ratio? Illi enim qui a prudentiæ laude ac virtute longe abſunt, impii ac profani, ſententiis talibus plurimum & ſæpius utuntur. Audiamus Curculionem Plautinum, act. 2. ſc. 3.

Tum iſti Græci palliati, capite operto qui ambulant, *Qui*

Qui incedunt ſuffarcinati cum libris,
cum ſportulis,
Conſtant, conferunt ſermones inter ſe
drapetæ,
Obſtant, obſiſtunt, incedunt cum ſuis
ſententiis.

Exemplo ſit Salluſtius; cujus, quanta fuerit in libertini generis proſtibula, inſania, quantus in permolendis aliorum uxoribus furor, quantus in quotidiana vita luxus & nepotatio, nemo paulò humanior ignorat. Neque tamen, talis cum eſſet, graviſſimas & cenſorio ſupercilio digniſſimas ſententias fundere dubitavit. quæ quidem res cum in juvene, quique ad ſenilem ætatem non proceſſerit, Ariſtoteli; 2. *Rhetor. cap.* 22. indecens videatur: tum eos vel maxime dedecet; qui vix ferenda in juvene vitia; luxuriam & nequitiam, ne in provexiore quidem ætate miſſa faciunt. unde rectè Salomon, Prov. XXVI. v. 7. *tollite cothurnos a claudo, & ſententiam ab ore ſtolidorum.* Deinde non eſt obſcurum ſtudio quodam & ar-

tificio facultatem τοῦ γνωμολογεῖν, etiam ſine prudentia parari poſſe, nam ex omnibus fere inventionis logicæ locis ducere eas licet, ut Fabius, *lib.6.cap.* 3. monet. & aliqui rationem inveniendi a Raimundo Lullio traditam obſervantes tam graves & argutas diverſis de rebus ſententias formarunt, ut quovis veterum ſcriptorum digne viderentur. Et Ariſtoteles, *lib. 2. Rhetor. cap. 22.* ἀγροίκους μάλιστα γνωμοτύπους εἶναι, καὶ ῥᾳδίως ἀποφαίνεσθαι. *Agreſtes maxime ſententiarum fictores eſſe, & eas facile proferre.* Conſtat etiam, eo ſeculo, quod Ciceronis ætatem excepit, ſimul Reipublicæ, & eloquentiæ mutatam eſſe formam, omnes ingenii nervos eo contendentibus declamatoribus, ut ſententiis orationes ſuas non ornarent ſed refarcirent; quam eorum licentiam Quintilianus, *lib. 8. cap. 5.* graviter notat. His argumentis Scioppius in Taciti ſtylum inſurgit, judicio ſuo de ſtylo hiſtorico, ut hac ratione per Taciti latus ſimul Juſtum Lipſium, admiratorem ejus impugnet, ne inter ſapientiæ magi-

ſtros

ſtròs locum aliquem obtineant, quæ rationes cum noſtros etiam σοφῶς tangere videantur, paucis refutandæ ſunt.

Homines quod attinet ſive impios, ſive agreſtes, qui ſententias proferunt; hi ſane earum vim ac pretium non atterunt. Sæpe etiam eſt olitor verba opportuna locutus. Scitum eſt illud Hebræorum: אל תסתכל בקנקן אלא במה שיש בו *Ne ſpecta cantharum, ſed quod in eo eſt.* Quæ autem de eloquentia ſimul cum Reip. forma mutata ſubjunguntur, ea oratores & hiſtoricos ſpectant, quorum ſtylus, poſt Ciceronis ætatem, verborum tumore, & ſententiarum vaniſſimo ſtrepitu corruptus eſt. in ſcholis autem Declamatores controverſias mellitis verborum globulis condiebant, & vibrantibus ſententiolis pingebant, levibuſque atque inanibus ſonis ludibria quædam excitabant. Sic effectum eſt, ut corpus orationis maſculæ enervaretur & caderet. Ipſe Auguſtus, teſte Suetonio, *cap.* 86. genus eloquentiæ ſecutus eſt temperatum & elegans, vitatis ſententiarum in-

ineptiis, atque inconcinnitate: quale etiam reprobat Fabius ſupra laudatus, ut & Voſſius, *inſtitut. Orator. lib.* 2. *cap.* 15. §. 3. Joſephus Scaliger Valerium Maximum nimium judicat ſententiarum affectatorem: qui, judice Lud. Vive, *lib.* 3. *de trad. diſciplinis*, initio & fine cujuſque capitis ſententias habet fortaſſis concinniores, quam interdum deceret gravitas exemplorum. De Senecæ non philoſophia, ſed eloquentia hoc eſt judicium Quintiliani, lib. 10. cap. 1. *In eloquentia corrupta pleraque, atque eo perniciociſſima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno judicio. Nam ſi aliqua contempſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet*, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet: *conſenſu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur.*

Verum ſi rem ipſam recta reputemus via, quis putet Oratori vitio dandum, ſi cum fortuna Republicæ etiam eloquentiæ ſuæ formam mutet. Etenim in ipſo Cicerone eminentiſſima duo eloquen-

quentiæ genera obſervare licet. Prior eſt vetus illa popularis, vaga & late ſonans, qua veteres illos pone ſe reliquit. Altera ea eſt, quæ tunc primum naſci & adoleſcere cœpit, Senatoria. Prior illa vindicat ſibi Ciceronem adhuc juniorem, honoribus inhiantem, mox quæſtorium. Eundemque nunc Roſcii Amerini patronum, nunc Verris accuſatorem. Hæc ſeniorem, Conſulem, Conſularem, Augurem, ingentibus experimentis eruditum, animoſum Catilinæ exactorem, patronum Milonis, inimicum M. Antonii, denique acerrimum libertatis propugnatorem. Poſtea quam vero, exuta æqualitate, omnes juſſa ejus aſpectare cœperunt cujus in poteſtatem Reſpublica conceſſit, & ambitus ille popularis mutatus eſt in obſequium, & e campo comitia ad patres tranſlata, & conſenſus univerſorum ceſſit gratiæ paucorum, tunc vero ut rerum & morum alia via, ita quoque loquendi mutata ratio. Et pinguis illa ac florida, nimiumque laſciviens oratio prioris ſe-

culi paulatim ſuccingi cœpta, ac in capita rerum tenuari. Salluſtius, invito quamvis Scioppio, florentiſſimus audit Romanarum rerum auctor, idemque ſubtiliſſimus brevitatis artifex. quem ob idipſum antiquitas vel ipſi Thucydidi oppoſuit, admirata illam concinnitatem, qua nihil apud aures attentas poteſt eſſe perfectius. Brevis eſt, ſed in media brevitate luculentus. narrat preſſe, dilucide, robuſte, verbis vix unquam temerariis, ſententiis veris, concionibus cultis. Sed quid hæc omnia ad Philoſophos? practicos præſertim ac legum latores, adeoque ſeptem noſtros ſapientes? quorum præcepta vitæ quaſdam leges eſſe exiſtimatum eſt, ut ait Fabius, *lib.* 5. *cap.* 11. quas breves eſſe convenit, *ut* nempe, *cito dicta*

Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Prudenter Grammatici modum imperativum indicativo breviorem fecerunt. Non invenuſtum eſt illud Hebræorum adagium: [illegible]

gra-

granum piperis præſtat caniſtro cucurbitarum. Nec exempla deſunt. Gymnoſophiſtas ac Druidas αἰνιγματωδῶς ἀποφθεγγομένους obſcure & per ſententias philoſophatos eſſe ait Diog. Laërtius, *lib.* 1. Seneca vero, *epiſt.* 94. hanc docendi methodum, & utiliſſimam & efficaciſſimam eſſe demonſtrat. ideoque & apud Græcos Theognidis, Pythagoræ, Phocylidis, aliorumque, apud Latinos Publii Syri ſententiæ in pretio ſemper habitæ. Hoc vero nobis palmarium eſt, quod Philoſophorum, quotquot unquam fuerunt, aut erunt, ſapientiſſimus Salomon, ipſo Spiritu Sancto duce, per divinam ſuam γνωμολογίαν erudire nos voluit. Concludimus hunc philoſophandi modum, quo paucis multa docentur, nec aliis, nec noſtris ſeptem ſapientibus vitio vertendum eſſe. hic terminum figimus.

DISSERTATIO IX.

De variis precationum generibus, ex locis Philipp. cap. iv. v. 6. & 1. Tim. ii. v. 11.

Communis hac de re ſcriptorum ſententia. Εὐχαριστία, Δεήσεως & προσευχῆς *convenientia & differentia. ſententia Auguſtini, quid proprie* προσευχή. *quid* δέησις. ἔντευξις *non notat interceſſionem, magis quam* δέησις *aut* προσευχή. *ſed orationem frequentem, & qualibet occaſione data effuſam.*

QUæ inter bonos amicitia eſt, omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia & caritate conſenſio, ea mutuis officiis ac colloquiis alitur atque fovetur, cum contra diuturna abſentia amici oblivionem inducere, ipſamque amicitiam diſſuere videatur, juxta veterum dictum apud Ariſtotelem, 8. *Ethic. cap.* 5.

Πολ-

Πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν.

Sæpe amor eſt viſus per longa ſilentia ſolvi.

Eodem fere modo res ſe habet in illo amicitiæ fœdere, quod Deus O. M. in Filio ſuo mediatore cum homine peccatore pepigit. mutua hic etiam ſunt officia. Deus dat Spiritum ſuum regenerantem & ſanctificantem, ſpiritum adoptionis & παῤῥησίας. Hominis ergo officium eſt illum Spiritus Sancti ductum ſequi, omnibus pietatis officiis amici Dei captare amicitiam, ſeriis cum Deo colloquiis, id eſt, precibus eam fovere, accedere ad thronum gratiæ, non ſilere, ſed clamare: Abba, Pater. Ubi vero oboritur ſilentium & ἀπροσηγορία, illico perit omnis conſolatio. Ideoque Deus pro ſua miſericordia juſſit ut eum invocaremus in die anguſtiæ, addita dulciſſima promiſſione de exaudiendo. De horum cum Deo colloquiorum neceſſitate, natura ac modo agere Theologorum eſt: qui & de accurata precationum diſtinctione docere ſolent. Ex verbis

Pauli, *Philipp. cap. iv. v.* 6. αἰτημάτων noſtrorum propoſitio ſit per προσευχὴν, δέησιν, Ἐυχαριστίαν. quibus idem 2. *Tim. cap. ii. v.* 1. addit ἔντευξιν. quænam harum vocum differentia ſit nunc inquiremus. Scriptores locorum communium, commentatores plerique &c. Δέησιν, dictant eſſe deprecationem malorum: προσευχὴν, petitionem bonorum: ἔντευξιν, interceſſionem pro aliis: ἐυχαριστίαν, gratiarum actionem pro acceptis bonis, depulſis malis. videamus an hæc ſatis ſolida. De voce ἐυχαριστίας nullus eſt dubitandi locus, quin ſit ὅταν τις, ὑπὲρ ὧν ἔπαθεν, ἐυχαριστῇ τῷ Θεῷ, *Cum quis pro acceptis beneficiis Deo gratias agit.* juxta Chryſoſt. tom. 5. homil. 134.

De reliquis ergo videndum, quibus una quidem res ſignificatur, diverſo tamen modo. Δέησις, juxta Theodoretum, in 1. Tim. ii. v. 1. eſt ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τινῶν λυπηρῶν ἱκετεία προσφερομένη. *propter malorum quorundam depulſionem oblata ſupplicatio.* cui Theophylactus ad eundem locum adſtipulatur. Verum

rum magis proprie, ex vi verbi δέεσθαι, quod indigentiam notat, dixeris cum Nazianzeno, carm. Jamb. 15.

Δέησιν δὲ τὴν αἴτησιν ἐνδεῶν.

Heſychius δέησιν exponit παράκλησιν, ἢ χρείαν, *petitionem ſupplicationem: vel indigentiam, neceſſitatem.* Adeoque non tantum malorum deprecationem, ſed & quam maxime bonorum, quibus indigemus, petitionem notat. Chryſoſt. in Pſ. 102. Δέησις δηλοῖ τὴν αἴτησιν, τὴν περὶ ὧν βούλεται προσευχόμενος αὐτῷ δεομένῳ παρασχεθῆναι. Δέησις *notat petionem eorum, quæ is, qui precatur, ſibi oranti*, vel indigenti, *dari petit.* Sic Δέησις Zachariæ, Luc. cap. 1. v. 13. profecta ex indigentia prolis, propter ſterilitatem Eliſabethæ, nuntiante angelo, exaudita eſt, quia hæc filium erat paritura.

Προσευχὴ, Theodoreto, loco citato, eſt αἴτησις ἀγαθῶν. & Gregorio Nyſſeno, Orat. 2. in Orationem Dominicam, προσευχή ἐστιν αἴτησις ἀγαθῶν μετὰ ἱκετηρίας προσαγομένη Θεῷ. Petitio bonorum, quæ Deo cum ſupplicatione offertur. Atqui hanc etiam δέησιν vim eſſe paulo

lo ante vidimus. quin etiam προσευχὴ mali averruncationem poſtulat, ut neque hæc ſignificatio ſoli δεήσει competat. ſic enim Jacobus, cap. v. v. 13. κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσευχέσθω. & v. 14. ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν; προσκαλεσάσθω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτόν. Et Chriſtus, Matth. cap. xxvi. v. 39. 41. προσευχόμενος dixit Patri: tranſeat a me calix iſte, & diſcipulis, προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. in quibus malorum deprecatio eſt. Hoc medium depellendis dæmonibus, Matth. cap. xvii. v. 21. προσευχὴ cum jejunio. De ipſa illa perfectiſſima orationis formula, Matth. cap. 6. v. 9. dictum eſt: οὕτως προσεύχεσθε. nec tantum bona petere, ſed & mala deprecari docemur. ergo δέησις & προσευχὴ conveniunt.

Quodnam ergo inter has voces diſcrimen ſtatuemus? Auguſtinus quidem, *epiſt.* 59. ad Paulinum, fuſius de his diſſerit: fatetur tamen difficillime diſcerni: diſcrimen in Græco eloquio quærendum eſſe ait, cum Latini interpretes vix reperiantur, qui eas diligen-

ter

ter & ſcienter transferre curaverint. tandem ad liturgiam tunc in eccleſiis Chriſtianis uſitatam applicat, quam Pauli ætate in uſu fuiſſe, eo quidem modo, vix credent illi quibus hiſtoria veteris eccleſiæ nota eſt.

Interpretes ſi conſuluerimus, æque erimus incerti, differentia tamen agnoſcenda. Sane προσευχὴ & προσεύχεσθαι non ſimplicem ſignificationem habent, ſed inſuper ipſius Dei, ad quem oratio dirigitur, rationem includunt. Chryſoſtomus in Pſal. 102. προσευχὴ τὴν ἱκετηρίαν δηλοῖ τὴν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ παράκλησιν. *notat ſupplicationem* ad Deum, & *rogationem.* quo ſenſu oratio Dominica προσευχὴ recte dicitur, quia in ea Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt alloquimur. Cum ergo tale eſſet argumentum Alcibiadis ſecundi, Plato eum librum περὶ προσευχῆς inſcripſit: Socrates enim ſtatim initio ſic Alcibiadem alloquitur: ἆρά γε πρὸς τὸν θεὸν προσευξόμενος πορεύῃ, *Num ad Deum precaturus abis?* quomodo & ſimplex εὐχὴ *Votum* dicit, Deo nempe vovendum. Suidas. εὐχαὶ, ὑποσχέ-

σεις.

σεις. Τὰς εὐχάς μου Θεῷ ἀποδώσω. Εὐχὴ γὰρ ἡ ἐπαγγελία τῷ Θεῷ τῶν κατ' εὐσέβειαν ἀφιερωμένων. *Vota, promiſſiones*, ut: *Vota mea Deo reddam. Votum enim eſt promiſſio rerum Deo per pietatem conſecratarum.* confer. Act. cap. xviii. v. 18. & xxi. v. 23. Sic ergo & compoſitum προσευχή. Chryſoſt. in Pſal. 143. duplicem facit προσευχὴν· nempe τὴν διὰ ῥημάτων δέησιν, καὶ τὴν ἐπαγγελίαν. petitionem quæ fit verbis, & promiſſionem, ſive votum. Baſilius M. epiſt. 2. canonica, dicit: τῶν ἀπαιδεύτων προσευχῶν, ἢ ἐπαγγελιῶν ἀπέχεσθαι. *ab inſulſis votis & promiſſionibus abſtinere.* ut fruſtra ſit Bellarminus, qui, *lib.* 2. *de Monachis cap.* 14. affirmat εὐχὴν votum, προσευχὴν orationem eſſe. Deinceps autem Græci, ex analogia quadam, illa etiam quæ precationum vel affinitatem vel imitationem quandam obtinerent, eodem nomine denominare cœperunt. Hæc notio tum verbi προσεύχεσθαι tum nominis προσευχῆς in plerisque, Novi teſtamenti locis retenta eſt, ut: Domus mea, domus προσευχῆς, *Matth. cap. xxi* 13. Erat per-

no-

noctans in προσευχῇ, *Luc. cap. vi. v.* 12. Aſcenderunt Petrus & Johannes in templum ad horam προσευχῆς, *Actor. cap. iii. v.* 1. Sic προσεύχεσθαι *Luc. xi. v.* 1. adeoque hæc ſynecdoche ſpeciei eſt pro genere, ut Rhetores loquuntur.

Nunc δέησιν porro conſideremus, hæc nullius rei divinæ intellectum adjunctum habet, ſimpliciter alicujus rei indigentiam notat & petitionem inde ortam. ideoque non minus ad homines quam ad Deum fertur, undecunque ſcilicet, defectus aut indigentia ut ſuppleatur, ſperari poteſt. Sic Paulus Agrippam Regem alloquitur, *Act. xxvi. v.* 3. δέομαί σου, μακροθύμως ἀκοῦσαί μου. Quod autem ad Deum refertur, non ex vi vocis eſt, ſed quia Deus omnis boni fons largiſſime indigentiæ noſtræ ſubvenire & poteſt & vult; modo ſeam coram ipſo candide profiteamur, quam confeſſionem τῆς ἐνδείας δέησις includit, ideoque & hæc vox cum ſpeciem precationis proprie denotet, pro ipſo genere etiam ſæpe uſurpatur vel ſeorſim, vel conjunctim. Seorſim quidem

dem. *Luc. cap. xi. v.* 37. de Anna dicitur, quod ſerviverit Deo die ac nocte jejuniis ac δεήσεσι. Conſimiliter in actis Apoſtolorum, cap. viii. v. 22. monet Simonem Petrus, δεήθητι τοῦ Θεοῦ; ut oraret ne pœnas daret ſui ſceleris; adeoque ut ex hac miſeria liberaretur. quomodo & v. 24. ipſe Simon petiit ab Apoſtolis, δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν κύριον, ὅπως μηδὲν ἐπέλθῃ ἐπ' ἐμὲ ὧν εἰρήκατε. idem de aliis locis erit judicium.

Conjunctim vero ubi ad προσευχὴν δέησις adjicitur, totam enim ejus vim videtur occupare, & προσευχὴ tantum de univerſi generis natura amittere, eo quod ſpecies generis cauſa illud in προσευχῇ divinum ſibi conſcivit. Sic 1. Tim. cap. 5. v 5. in vidua requirit Paulus, ut προσμένῃ ταῖς δεήσεσι, καὶ ταῖς προσευχαῖς, & *Actor. cap. 1. v.* 14 de primo Chriſtianorum collegio narratur, quod concorditer perſeveraverint τῇ προσευχῇ, καὶ τῇ δεήσει, quæ & elegantiſſime per ἓν διὰ δυοῖν explicari poſſunt ut ſit vel προσευχὴ δεομένη, vel δέησις προσευχομένη. quomodo accurate Paulus, Eph. cap.

vi. v. 18. διὰ πάσης προσευχῆς καὶ δεήσεως προσευχόμενοι.

Reliqua eſt ἔντευξις. hæc Theodoreto eſt κατηγορία τῶν ἀδικούντων, *accuſatio injuriam inferentium.* Theophylacto: κατηγορία τῶν ἀσεβούντων, ἢ ἀδιορθώτων. *accuſatio impie agentium, uel injuriam inferentium, ſive eorum qui inemendabiles ſunt.* Heſychio: ἀπαίτησις κατὰ τῶν πλημμεληκότων, δέησις εἰς ἐκδίκησιν. *Poſtulatio contra eos qui deliquerunt, petitio vindictæ.* adeoque interceſſio vel interpellatio pro iis qui injuſte opprimuntur. qualis erat apud Romanos interceſſio Tribunorum plebis, dum plebem contra injurias patriciorum defendebant. Sic & Servator noſter ad dextram Patris ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. *Rom. cap. viij. v.* 34. Item, *Heb. vij. v.* 25. idem dicitur πάντοτε ζῶν, εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ τῶν προσερχομένων δι᾽ αὐτοῦ τῷ Θεῷ. quia juſtitiæ Dei ſuo ſanguine ſatisfaciens, iram Dei a nobis avertit; & pœnas nobis debitas in ſe ſuſcipiendo, nos ab iis facit immunes. Veruntamen hæc vocis hujus ἐνέργειαν non exhauriunt: quæ enim eſt ἄδεια in cibo

ſumendo, de qua κατηγορία vel ἐκδίκησις inſtitui oporteat? Paulus autem ſcribit: 1. *Timoth. cap. iv. v. 5.* de cibo, ἁγιάζεται διὰ λόγου Θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως. hic preces ſignificantur, quæ nullam pro altero ſuffragationem, nullam omnino alterius rationem ſpectant: quapropter & gratiarum actio adjungitur, quod hæc tantundem faciat cum ἐντεύξει, in cibo ſanctificando, & perinde fere uſurpentur ab eis, qui conditionem ciborum ex verbo Dei didicerunt.

Ἔντευξις ergo, ut & ἐντυχία, docentibus gloſſis, interpellationem, congreſſum familiarem, ac colloquium ſignificant, ab ἐντυγχάνω. *interpello, incidentem ex occaſione ſermonem cum aliis confero.* quomodo Paulus. *Actor. cap. xvij. v.* 17. apud Athenienſes, non tantum in ſynagogis Judæorum, ſed etiam in foro quotidie διελέγετο πρὸς τοὺς παρατυγχάνοντας. quo loco duplex illa orationis vis occurrit, quam indicavit Cicero, *lib.* 1. *offic.* quarum altera contentionis eſt, altera ſermonis. Contentionis uſus eſt in diſceptationibus

nibus judiciorum, concionibus, ſenatu. Ea Paulus in ſynagogis uſus videtur, Sermonis vero uſus eſt in circulis, congreſſionibus familiarium, imo & conviviis. In eo excellebat Socrates, eratque lenis, minimè pertinax, lepidus, non excludens alios, ſed communem viciſſitudinem admittens. Sic Paulus in circulis in foro cum obviis quibusque diſſeruit, more philoſophorum, qui non tantum in ſcholis inter eruditos ἀκροάσεις inſtituebant, ſed ubique etiam in viis inter colloquendum ſuos virtutis ad monebant. Nec Heraclitus in caſa furnaria ſedens auditores rejecit, ſed Deos etiam illic loci eſſe monens, eos invitavit, teſte Ariſtotele, *de part. animal. lib.* 1. *cap.* 5. quomodo & Timotheus fuit περιτυχὼν Πλάτωνι, βαδίζοντι ἔξω τοῦ τείχους μετὰ τῶν γνωρίμων διαλεγομένῳ. *incidens in Platonem, qui extra mœnia, cum quibuſdam diſcipulis & notis ambulabat, & diſſerebat. vid. Ælian. var. hiſt. lib.* 2. *cap.* 20. Sic ἐν τῇ ὁδῷ ἐντυγχάνοντας dixit Plutarchus in appopht. Artaxerxis Mnemo-

nis, & Arrianus ex perſona Socratis: Καὶ νέῳ καὶ πρεσβυτέρῳ, καὶ ἁπλῶς ἀεὶ τῷ ἐντυγχάνοντι προσελθὼν πεύσομαι ταῦτα, ἃ καὶ νῦν πυνθάνομαι. *Et juvenem & ſenem, & quemcunque obvium eadem interrogabo, quæ & nunc interrogo.* Solonis cum Crœſo colloquium, ad quod tanquam familiaris admiſſus erat, ἔντευξιν vocat Plutarchus. Iſocrates ad Demonicum, φιλοπροσηγορίαν τῇ εὐπροσηγορίᾳ jungens, hanc ait eſſe τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν. ne autem nimia familiaritas contemtum pariat, ſapienter monet, τὰς ἐντεύξεις μὴ πυκνὰς ποιεῖ τοῖς αὐτοῖς, μηδὲ μακρὰς περὶ τῶν αὐτῶν. *Ne ſæpius eoſdem, neque verboſius de iiſdem rebus alloquare.* Cum autem hæc agendi & diſſerendi ratio Philoſophis etiam frequentata fuerit; idcirco Ariſtoteles, *lib.* 1. *topic. cap.* 2. monet doctrinam de ſyllogiſmo utilem eſſe non tantum πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας, ſed etiam πρὸς τὰς ἐντεύξεις, ubi colloquiorum uſus eſt in probationibus & refutationibus. Ex his liquido apparet ἔντευξιν non ſolam ſignificare interceſſionem, aut pro aliis interpella-

tio-

tionem. Neque Paulus in hoc loco, 1. *Timoth. cap. ii. v.* 1. tantum vult ut ἐντεύξεις fiant pro aliis, pro Regibus, & in ὑπεροχῇ conſtitutis, ſed etiam, ut pro iiſdem inſtituantur δεήσεις, προσευχαί, εὐχαριστίαι. ita ut ἔντευξις hic non magis ſit interpellatio pro aliis, quam reliquæ orationis ſpecies, quæ pro aliis etiam funduntur. exempla εὐχαριστίας pro aliis habemus: *Rom. cap.* 1. *v.* 8. 1. *Cor. cap.* 1. *v.* 4. *Col.* 1. *v.* 3. δεήσεως: *Actor. viij. v.* 24. ubi Simon: δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ. ſic Chriſtus Petro. *Luc. cap.* 22. *v.* 32. ἐγὼ ἐδεήθην περὶ σοῦ. προσεύχεσθε: *Heb. cap.* 13. 18. προσεύχεσθε περὶ ἡμῶν.

Nec prætereundus hic eſt uſus verbi ἐντυγχάνω cum præpoſitione κατά, quando ſane non interceſſionem pro aliis, ſed orationem potius contra alios, data occaſione fuſam indicat, ut Roman. cap. xi v. 2. de Elia dicitur: ἐντυγχάνει τῷ Θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ quia Deo ipſum alloquente, occaſione illa uſus, zelum ſuum teſtatur, & Iſraëlis idololatriam Deo proponit. 1. Reg. cap. xix.

Quid ergo, dices ἔντευξις, de qua

Paulus loquitur? Nimirum piorum illa cum deo pia familiaritas, qua Deo ἀδιαλείπτως, quavis occaſione ἀναπέμπουσι ſua ingerunt, precibus conciſis, frequentibus, ejaculatoriis. eſt plane genus quoddam precationum diverſum a ritibus quaſi ſtatutis ac ſolennibus: Erumpit iſtud ſæpe inter medias aliarum rerum actiones & ocupationes, terminaturque interim breviſſimo temporis momento, aliquando longius producitur. Non raro ſolis ſuſpiriis, ſola cogitatione peragitur. hæc eſt illa fidei vehementia, imo εὐσεβὴς καὶ καλὴ ἀναισχυντία, *pia & bona impudentia*, quam Gregorius Nazianzenus ſorori ſuæ Gorgoniæ tribuebat: quæ Deo ἀπειλοῦσα, minas intentans, familiarem ſibi apud Deum πληροφορίαν in precibus probavit. Plane ut de Luthero teſtatur Vitus Theodorus apud Melchiorem Adamum, de vitis Theologorum: tanta reverentia aliquid petebat, ut cum Deo, tanta ſpe & fide, ut cum Patre & amico loqui ſe ſentiret.

De Spiritu ſancto dicitur, Roman.

cap. viii. v. 26. quod ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. & v. 27. ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων, quia Spiritus S. qui Spiritus precum eſt, nobis ea dictat, quibus in noſtris precibus frequentibus, quavis occaſione apud Deum utimur, ſicut & Chriſtus παράκλητος noſter in gloriam admiſſus, ad dextram Patris ſui collocatus familiarisſime ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. Atque hanc harum vocum, adeoque precationum veram tum convenientiam tum differentiam eſſe judicamus.

DISSERTATIO X.

DE OSCULIS.

De his plures ſcripſere. oſculi etymologia. Baſium. ſuavium. Donatus & Servius notati. de oſculo Eſavi & Jacobi fabula Rabbinica. Belgicum Kuſs. *oſculum, parvum os. Priſcianus notatus. deſcriptio oſculi. mirabilis caſus inter militem & virginem. Oſcula varia. Deus oſculatur ſuos in vita, in morte. De Moſe & Aharone. Locus, Pſal. 2. v. 12. Oſcula idololatrica. Eorum jactatio.* προσκυνεῖν. *Lipſius notatus. Limina templorum adorata: ut & Dii topici. Oſcula Chriſtianorum varia. vulnera martyrum oſculis honorata. Oſculorum diſtinctio Rabbinica. Oſcula inter pares: apud Romanos etiam vetiti. mulieres oſculo ſalutatæ. quare? Oſcula honoris. De Leonida Origenis patre: item Margarita Galliæ regina. Locus Gen. 41. v. 40. Oſculum labratum. Oſcula manuum, genuum, pedum. Exempla varia. oſcula amoris. certamen.*

men oſculorum. Oſcula clauſa. de allio- menti & barbæ apprehenſio. χύτρα, quæ ejus ratio? Locus Pſal. 40. v. 7. καταγλώττισμα & μανδαλωτόν. Oſculum ſalutantium: Judæ: inter ſponſos: præmii loco. Amoris incentivum. Abuſus oſculorum. exempla varia. oſculorum contemtus. De Calliſthene, Sempronia, Friderico Epiſcopo Spirenſi. Piſiſtrato.

HÆc de oſculis materia a multis jam occupata, a quibusdam etiam operoſiſſime pertractata adeoque fruſtra repetita videri poſſet: Plurimi tamen cramben hanc, quamvis repetitam, mortem non putabunt, quibus ſcilicet non diſplicent

Centum baſia centies,
Centum baſia millies,
Mille baſia millies,
Et tot millia millies,
Quot guttæ Siculo mari,
Quot ſunt ſidera cœlo.

Poſt aliorum copioſiſſimam meſſem, ſpecilegium aliquod nobis relictum eſt,

 dum

dum aliorum aut latius dicta contrahimus; aut contractiora extendimus, & amplificamus, quædam omiſſa aut non obſervata addimus. Lipſius quidem, *elector. lib. 2. cap. 6.* irata, ut ait, Venere, pura tantum & officioſa oſcula tangit, quæ Romæ olim in vario diſcrimine & uſu. Venerea illa ſuavia inſuavia ſprevit. Sicut ergo nos aliorum induſtriæ nihil detrahimus; ita & nobis, ſine aliorum, ut ſpero, invidia, conari aliquid licet. præſertim cum hæc tractatio non profanis tantum, ſed & & ſacris ſcriptoribus illuſtrandis momenti aliquid afferre videatur.

Principium fiet ab ὀνοματολογίᾳ. Vox compoſita videri poſſet ex *os* & *culus*. unde Owenus:

Una triſyllaba vox inter celebratur amantes,
Quam ſibi quiſque ſua vult ab amante dari;
Syllaba prima data eſt? reliquæ ſine lite dabuntur,
Quæ dedit os, culum non minus illa dabit.

Hinc

Hinc Penelopes ænigma ad procum, apud eundem:

Eſt quiddam quod pene nefas mihi dicere verſu,
Hoc tibi vis totum, Pontiliane, dari.
Syllaba prima meo debetur tota marito,
Sume tibi reliquas, non ero dura, duas.

Potius ὑποκοριστικὸν videtur ab *os*, *oris*: atque hinc & oſcillum, de quo etymologi,& ego,in ſyntagmate de luſtiationibus veterum gentilium. pag. 182. & deinceps. Alii quaſi *obſculum* dici putant, quod ob os pĕtatur. vid. Voſſ. etymol. in *os oris*. Latinis etiam *Baſium* dicitur. An per metatheſin a σέβω? An a Chaldaïco בסים quod ſuave notat? An ab Hebræo בשם quod aroma eſt? An a בשר caro? An a Græco Βάσις quia amoris initium eſt ac fundamentum? Diſquirant philologi. *Suavium* quin a ſuavitate dicatur extra dubium eſt. Owenus:

Si nihil ad ſuavem ſpectarent baſia guſtum,
Oſcula cur ſolo ſemper ab ore damus?

Scili-

Scilicet ut Belgis ſoenen a ſoet / *dulcis*, eſſe videtur. aliis ab Hebræo שפה quod labium notat, derivatio placet. Donatus ad Terentii Eunuchum, *act.* 3. *ſc.* 2. inter Oſcula, baſia, ſuavia diſcrimen ſtatuit, ut oſcula ſint officiorum, baſia pudicorum affectuum, ſuavia libidinum. Nec abludit Servius, ad 1. Æneid. v. 260. *Sciendum oſculum religionis eſſe, ſuavium voluptatis.* Addit autem: *quamvis quidam oſculum filiis dari, uxori baſium, ſcorto ſuavium dicant.* Hanc tamen differentiam vel unicus Ciceronis locus evertit. Sic enim ille, lib. 16. ad Attic. epiſt. 11. *Atticæ, quoniam quod optimum in pueris eſt*, hilarula eſt, *meis verbis ſuavium des.* hoc idem oſculum vocat, Lib. 12. ad Attic. epiſt. 1. *Atque utinam continuo ad complexum meæ Tulliæ, atque ad oſculum Atticæ poſſim currere.* Græcis φίλημα, quia ſcilicet eſt, inter φιλοῦντας φίλους φιλίας ſignum.

Hebræis נשיקות a נשק dicuntur. lepida eſt fabella, quum ex Rabbinis narrat Buxtorfius, *theſauri Gramm. lib.* 1. *cap.*

cap. 5. de occurſu Eſavi & Jacobi. Eſavus ſcilicet non quæſivit לנשק oſculari Jacobum, ſed potius לנשך mordere eum, factumque eſt collum Jacobi marmoreum, & obſtupuerunt dentes Eſavi. Et fleverunt, nempe iſte propter collum ſuum, alter propter dentes ſuos.

Belgicum kus / & kuſſen cur e Græcia & verbo κύω derivandum ſit non video, cum propius ex eadem lingua peti poſſit, a kuyſch quod *caſtum* notat, ut omnis turpitudinis ac laſciviæ ſuſpicionem ab oſculo procul abeſſe ipſa vox velit ac jubeat.

Porro *oſculum* ab ore diminutive deductum, etiam στόμα, ſive vultum notat. Virg. 1. Æneid. de Jove: *Oſcula libavit natæ.* ubi non tam φίλημα, quam στόμα dicit, ut Servius autor eſt. Sic apud Ovidium, 1. *metam.* Phœbus Daphnes — *videt igne micantes*

Sideribus ſimiles oculos, videt oſcula, quæ non
Eſt vidiſſe ſatis, laudat digitoſque, manuſque.

Pe-

Petron: *Oſculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit.* Martial. lib. xi. ep. 29.

Ipſaque crudeles ederunt oſcula morbi.

Obiter notandus Priſcianus, qui in libro tertio, ubi de diminutivis agit, oſculum aliam & quaſi ſolam, a primitivo ſignificationem habere innuit.

Quoniam vero in ipſo φιλήματ⊛ actu os arctamus, minuimus, atque adeo oſculum facimus, hinc pro baſio ſive ſuavio uſitatiſſimum eſt.

Hoc autem *Oſculari*, pro quo veteres auſculari, dicebant, teſte Feſto, eſt, ut idem interpretatur, *os cum ore conferre*, ut agentem a patiente vix ac ne vix quidem dignoſcas. eleganter Owenus.

Baſia da tria, Phylli, mihi: tria ſi dare non vis
Oſcula, da ſaltem tot quot habes labia:
Das unum, ſumiſque, negas duo baſia Phylli;
Vel tibi ſume tuum, vel mihi redde meum.

Mu-

Mutua itaque hic actio & paſſio. Audiamus mellitiſſimum Lotichium:

Scilicet alterni captatus ſpiritus oris
Neſcio quid junctis motibus intus agit.
Ex animaque vagum lenem velut excipit auram,
Dum cupit ardores cor relevare ſuos.
Non aliter riguas tellus bibit arida Lymphas,
Languidulas aliter non fovet aura roſas.
Utque peregrina coaleſcit in arbore ramus,
Inque vicem ſuccos miſcet uterque ſuos.
Alter in alterius ſic corpore vivit, & ardens
Pectoris eſt vere pectus amantis amans.

Infelix erat illa oris cum ore collatio, quam notavit Everhardus Reidanus, *hiſtor. bell. belg. lib.* 16, Milite & virgine in oſculum ruentibus, globus ex

ma

majore bombarda interceſſit, alteri naſum, alteri genam abſtulit, vita interim utriusque ſalva.

Oſcula autem vel divina ſunt, vel humana.

Divina ſunt, quæ ab ipſo Deo (*ἀνθρωποπαθῶς* hæc capimus) ſuis dilectis figuntur, vel in hac vita, vel in morte: non oris attactu, ſed mentis affectu, ut ait Auguſtinus. In hac vita Deus ſuos oſculatur, cum per verbum ſuum, & operationem Spiritus S. certa ſpe veniæ conſolatur peccatorem. Hoc modo per allegoriam Patres interpretantur oſculum patris filio prodigo datum. *Luc. c.* 16. ut Auguſtinus, lib. 2. quæſt. Euangel. cap. 33. huc ſpectat ejusdem Auguſtini ſuaviſſima oratio, Lib. 1. confeſſ. cap. 5. §. 9. *Dic mihi per miſerationes tuas, Domine Deus meus, quid ſis mihi. Dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum. Curram poſt vocem hanc, & apprehendam te. Noli a me abſcondere faciem tuam. Moriar, ne moriar, ut eam videam.* Sic eccleſia vetus clamabat: Cant. cap. 1. v. 2. ישקני מנשיקות פיהו *Oſcu-*

letur

letur me oſculis oris ſui, quod Hieronymus ad Dardan. capit. de præſentia Meſſiæ in carne: quaſi diceret eccleſia: quamdiu per Moſem & Prophetas me conſolatur? veniat ipſe tandem Meſſias, & aſſumta carne, ipſe coram me conſoletur. Sic eundem locum interpretatus eſt & Origines in cantica, ut teſtis eſt Hieronymus in verſione commentarii illius. *vid. Glaſſ. Philoſ. ſacr. p.* 1136. 1137. In morte vero ſuos oſculatur Deus, cum eorum animas, ſibi, certa animi fiducia propter ſoſpitatoris meritum, commendatas, recipit, & in æterna gaudia admittit, ut in hiſtoria πρωτομάρτυρος. Actor. cap. vii. videre eſt. Huc pertinet Judæorum parabola, de illis qui mortui ſunt בנשיקה *in oſculo*. De Moſe quidem, *Deut. cap. xxxiÿ. v. 5.* De Aharone autem, *Num. cap. xxiÿ. v.* 38. dicitur, quod mortui ſint על פי יהוה *ad os*, i. in oſculo, *Domini*. quaſi anima eorum ipſius Dei halitu ſuaviſſime rapta fuerit. De eorum ſorore Mirjam dicunt, eam mortuam quidem בנשיקה ſed non על פי יהוה

ad os Domini, quaſi hæc locutió ſequiori ſexui non conveniat. In hos vero vermem non habuiſſe poteſtatem in libró Jalkut legitur.

Humana oſcula, ab hominibus profecta, vel honoris ſunt, vel amoris indicia.

Honoris dico vel religioſi, vel civilis.

Religio in Deum fertur, quem oſculo excipiendum eſſe ſacræ literæ tum præcepto, tum exemplo docent. Præceptum eſt ore Davidis. *Pſal. ij. v.* 12. נשקו בר quod בר. Interpretes verterunt δράξασθε παιδείας. & verſ. v. *apprehendité diſciplinam.* Targ. קבלו אולפנא Rem quidém dixerunt, non autem verba interpretati ſunt. Alii habent, *Armamini puritate.* inſolenter admodum, cum non בור ſed בר puritatem notet. נשקו autem pro אחזו inſolens itidem. Et quid opus? poſtquam dictum eſſet: *Servite Jehovæ*, addere, *armamini puritate*, præſertim cum hic de prælio conferendo non agatur. Sed de his videantur commentatores. Honor & ſubmiſſio Filio Dei exhibenda præci-

pitur.

pitur. *Joh. cap. v. v. 23.* ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα. ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν, οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα, τὸν πέμψαντα αὐτόν.

Exemplum eſt in eccleſia antiqua, *Cant. cap* viii. *v.* 1. אשקך *oſculabor te*, oſtendente promtiſſimam animi obedientiam erga ſponſum.

Ad hanc claſſem referimus oſcula idololatrica, quibus gentiles Deaſtros ſuos venerati ſunt. Ea aut ore dabantur, aut ad os, aut ad manus, aut ad pedes.

De ore: Cicero, in Verrem, lib. 5. *ibi eſt ex ære ſimulachrum ipſius Herculis, quo non facile dixerim, me quidquam vidiſſe pulchrius, usque eo, judices, ut riſtum ejus ac mentum paullo ſit attritius; quod in precibus ac gratulationibus* (Lipſius mallet *gratationibus*) *non ſolum id venerari, ſed etiam oſculari ſolent.* Sic Hoſeas, cap. xiii v. 2. זבחי אדם עגלים ישקון ubi duplex notatur peccatum. ἀνθρωποθυσία, ut in ſacris Molochi: & vitulorum in Bethele adoratio per oſculum. Sic etiam 1 Reg. cap. xix. v. 18. *Reliquos feci ex Iſraële ſepties mille,*

quorum omnium genua non curvaverunt ſe Baali, & quorum omnium os non oſculatum eſt illum. Lipſius hic a vulgato interprete deceptus eſt, qui habet, *non adoravit eum oſculans manum*, quod ultimum in Hebræo textu non legitur. Prudentius, lib. 1. contra Symmachum, ubi de idololatriæ propagatione agit.

> *Mox humeris poſitus nutricis, trivit & ipſe*
> *Impreſſis ſilicem labris, puerilia vota*
> *Fudit, opeſque ſibi cæca de rupe popoſcit.*

Talmudici, in tractatu Sanhedrin, *cap. vij.* § 6. inter genera cultus idololatrici, etiam oſculum recenſent. quos ſecutus Maimonides, de idolol. cap. 3. §. 9. ut a quavis mali ſpecie quivis abſtineat, ſic determinat, §. 10. פרצופות הִמקלחות מים בפני עכום לא יניח פיו על פיהם וישתה מפני שנראה כמנשק לעבודה זרה. *Effigies eſt aquam effundens coram idolo? ne ſuum os imponat ori ejus ac bibat. quia hoc pacto quaſi oſculum ei figere videbitur.*

Ma-

Manui dextræ oſculum datum, Lucret. lib. 1.

—— tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.

Ænea ſcilicet ſigna, ſeu ſtatuæ, ad portas collocari ſolitæ, quarum dextras oſculabantur, tangebant, & quaſi ſalutabant exeuntes, boni eventus cauſa. Varro, lib. 4. de L. L. *Nam neque quas Ambracia ante portas ſtatuit, duas viriles ſpecies æneas dij magni*, &c. De more autem tangendi dextram & oſculandi, Tacit. annal. 15. cap. 71. *Agere grates Deis, ornare lauro domum, genua ipſius advolvi, & dextram oſculis fatigare.*

De pedibus, Apulejus: *Exoſculatis veſtigiis Deæ, quæ gradibus hærebat, argento formata, ad ſuos diſcedunt lares.* Ovidius. 1. Triſt. eleg. 3. de uxore ſua:

Illa etiam ante lares, paſſis proſtrata capillis.

Contigit extinctos ore tremente focos.

Si autem idola ipſa contingere, aut e propinquo oſculando adorare non poſſent, e longinquo oſcula jaciebant. quod peccati genus a ſe quam remotiſſimum eſſe ait Jobus, cap. xxxi. v. 26, 27, 28. *Si vidi ſolem cum ſplendeſceret, & Lunam nobiliter incedentem, & ſeductum eſt in abſcondito cor meum, & admota eſt manus mea ori meo, etiam hæc eſt iniquitas a Judice vindicanda, quia ſic negaſſem Deum ſupremum.* LXXII. habent, εἰ δὲ χεῖρά μου ἐπιθεὶς ἐπὶ στόματί μου ἐφίλησα. *Si manum meam ori admotam deoſculatus ſum.* Symmachus: καὶ προσεκύνησεν ἡ χείρ μου περὶ τὸ στόμα μου. *Et adoravit manus mea circum os meum.* Hieronymus: *Et oſculatus ſum manum meam ore meo.* Hic adorantis geſtus per Græcum προσκυνεῖν indicatur, a κύω oſculor, ut multis videtur. non diſplicet tamen & illa originatio, quam habet Camerarius, qui, *hor. ſubciſ. cent. 2. cap. 94.* hanc vocem ἀπὸ τοῦ κυνὸς deducit, a cane. qui quamvis a Domino cæſus ab eo tamen

men non diſcedit, quin potius ad ejus pedes advolutus, flebilibus oculis illum contuetur, adeoque hoc vocabulum ſummam animi ſubmiſſionem, cum ſumma obſervantia conjunctam ſignificat. Fallitur hic Lipſius, exiſtimans adorantes manum prius porrigere, deinde autem ad os referre ſolitos: contra enim factitabant, prius manum oſculando, deinde eam verſus illum, quem adorabant, protendendo. hoc poſt Salmaſium in notis ad Fl. Vopiſcum, alii complures jam obſervarunt. De ipſo autem ritu ſcriptorum veterum loca congerere quid attinet? videri poſſunt in Briſſonio, *de formul. lib.* 4. & in commentatoribus ad Minucium Felicem, qui narrat Cæcilium ſimulacro Serapidis denotato, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admoventem, oſculum labiis preſſiſſe.

Quinetiam hoc religionis erat, oſcula liminibus templorum figere, ideoque, *Religioſa Deorum Limina*, dixit Maro, 2 *Æneid.* Totum quidem templum religioni dicatum; limen tamen

men imprimis ſacrum, in eo enim oracula conſulentes, & reſponſa expectantes hærebant. Sibylla Æneæ: 6. Æneid, v. 151.

Dum conſulta petis, noſtraque in limine pendes.

Herodot. lib. 1. Ὡς δὲ ταῦτα ἤκουσε Κροῖσος, πέμπων τῶν λυδῶν εἰς Δέλφους, ἐνετέλλετο, θέντας τὰς πέδας ἐπὶ τοῦ νηοῦ τὸν οὐδὸν εἰρωτᾶν. *Ubi hæc audivit Crœſus, Delphos mittens quaſdam Lydos, juſſit cum ad limen templi vincula depoſuiſſent, interrogare.* Sacerdotes Philiſtæorum non calcabant limen templi Dagonis, 1 *Sam. cap.* v. *v.* 5. religione moti; putabant enim limen eſſe ſanctificatum contactu manuum & capitis Dei ſui: cum revera hac ratione quotidie augerent, ac renovarent Dagonis ſui infamiam. Hinc limen tranſilire dicuntur Palæſtini, *Saphon, cap.* 1. *v.* 9. ubi propter hanc ſuperſtitionem pœnam eis minatur Deus.

Apud Romanos nova nupta non tangebat limen mariti, ne, ut ait Servius, a ſacrilegio initium faceret,

ſi deſpoſitura virginitatem calcaret rem Veſtæ, numini caſtisſimo, dicatam. Vel, quod illic januæ coëunt & ſeparantur, ut ait Iſidorus, *Orig. lib.* 9. *cap. ult.* An ergo mirandum limina adorata fuiſſe? Iuven. ſatyr 6.

> —— *Tarpejum limen adora*
> *Pronus, & auratam Junoni cæde juvencam.*

Hinc ergo & oſculum. Arnob. lib. 1. *cum per omnia ſupplices irent templa, cum Deorum ante ora proſtrati, limina ipſa converrerent oſculis.* Imo & poſtibus figebantur. Virg. 2. Æneid. v. 490.

> *Amplexæque tenent poſtes, atque oſcula figunt.*

Et lib. 3. v. 351.

> —— *Scææque amplector limina portæ.*

Sic apud Lucanum, lib. 2.

> —— *Cultus matrona priores*
> *Depoſuit, mæſtæque tenent delubra catervæ.*
> *Hæ lacrymis ſparſere Deos, hæ pectora duro*
> *Afflixere ſolo, laceraſque in limine ſacro*

Attonitæ fudere comas, votiſque vocari
Aſſuetas crebris feriunt ululatibus aures.

Tibul. lib. 1. eleg. 2.

Non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Pruſias Rex., teſte Livio, *lib.* 45. *in fin.* divinos honores Senatui Romano exhibiturus, in curia ſe ſummiſit, & *oſculo limen curiæ contigit* & Deos ſervatores ſuos Senatum appellavit.

Regionem aliquam ingreſſi, aut in patriam poſtliminio reverſi Deos topicos, Geniosque loci invocabant, adorabant, terram, tanquam cariſſimam matrem religioſe oſculabantur. Apud Homerum, Odyſſ. N. v. 354. Ulyſſes

Χαίρων ᾗ γαίῃ, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν.
Gaudens ſua terra: oſculatus autem eſt almam tellurem.

Et Odyſſ. D. v. 522.

—— χαίρων ἐπεβήσετο πατρίδος αἴης,
Καὶ κύνει ἁπτόμενος ἣν πατρίδα.

Gau-

Gaudens eſcendit in patriam terram, & *oſculabatur attingens patriam ſuam*, Salutandi formulas exhibet Briſſonius, *lib*. 1. *pag*. 35. Oſculum addidit Cadmus, apud Ovidium. 3. metam. v. 24. 25.

> *Cadmus agit grates, peregrinaque oſcula terræ*
> *Figit, & ignotos monteſque agroſque ſalutat.*

Alexander M. ſuperato Helleſponto, conjecta in littus haſta, primus e navi librato corpore terram Aſiam ſaltu contigit; teſtatus ſe poſſeſſionem Aſiæ, Diis bene juvantibus, juſto pioque bello ſibi adſerere. Deinde aras conſtituit ubi exſcenſionem fecerat Jovi Defenſori, Minervæque & Herculi, eo quoque loco, unde ex Europa ſolverat, aras exſtrui juſſit.

Julius Cæſar, cum in Africam veniret, prolapſus in egreſſu navis, omen in melius vertit, *Teneo te*, inquit, *Africa*. quæ vox eſt amicorum ſibi inopinis occurrentium, & ſummo cum gaudio ſalutantium. Seneca, Theb. v. 501.

v. 501. *Teneo longo tempore petita votis ora.* Terent. heaut. act. 2. ſc. 4. 27, 28. *Teneone te, Antiphila, maxme animo exoptata meo.*

Hoc magis Chriſtianum eſt quod narrat P. Landsbergius, *bell-Germ. p.* 143. de Guſtavo Adolpho Suecorum Rege, qui ubi Rugiam ac Pomeraniæ maritima appulit, ſolum illud ingreſſus, non Bruti Romani, aut ſuperſtitioſorum in morem, pronus terram, velut magnam matrem oſculatus eſt, ſed in genua proclinis, erectis ad cœlum oculis manibuſque, Deo cœli, mariſque Dominatori gratias egit, quod cum exercitu tot periculis ereptum, in hoſticum, felicem ſoſpitemque expoſuiſſet. proceres palam precantem invenere, fervorem ſupplicis, precibus, præter morem, in apertum fuſis, mirati atque illachrymati. Quid judicabimus de Philippo II. Hiſpaniarum Rege? cum hic in Angliam tranſfretaſſet, conjugium cum Maria contracturus, ut primum terram pedibus contigit, eveſtigio gladium ſtrinxit,

ta-

taciturſque porro inceſſit, narrante Burneto, in hiſtoria reformationis Angliæ: *tom.* 2. *p.* 467.

Tranſeo ad oſcula, quæ religionis cauſa homines hominibus fixerunt tum vivis, tum etiam defunctis. Inter vivos, in eccleſia Chriſti primitiva, teſtimonium erat communionis, & in eadem religione conſenſus. ideoque φίλημα ἅγιον dicitur. *Roman. cap. xvj. v.* 16. 1. *Corinth. cap. xvj. v.* 20. & 2. *Corinth. xiij. v.* 12. iterum, 1. *Theſſal. cap.* v. *v.* 26. Petro, 1. *epiſt. cap.* v. *v.* 14. φίλημα ἀγάπης, ubi tamen alii codd. habent ἁγίῳ. Inter pios enim ſanctitatis & charitatis præcipua habetur cura. Prioris, ut recte erga Deum vivamus, noſque nulla impietate polluamus: poſterioris vero, ut cum proximo, ita ut confesſionem noſtram decet, converſemur. Hinc gravi de cauſa factum eſt, ut in iſtis eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis, eo tempore quo ſacra ſynaxis celebrabatur, præſentes mutuo oſcula ſibi dederint. quod enim in illa actione publice profitebantur, idipſum

etiam

etiam hoc ſymbolo addito confirmare voluerunt, conſenſum ſcilicet in doctrina, & piam inter ſe dilectionem. Ex Patribus hoc probatu facillimum eſſet, ſed quid actum agam? Patrum hac de re teſtimonia quam plurima collegerunt Jacobus Laurentius, *dialog. euchariſt. cap.* 1. *pag.* 13, 14. Hoornbeeckius, *miſcellan. ſacror. lib.* 1. *cap.* 18. *ſect.* 1. §. 10. qui & de oſculo pacis poſt orationem inter Chriſtianos uſitato agit, *miſcel. ſacr. lib*, 1, *cap* 10. Praeterea inter Chriſtianos frequentata fuerunt oſcula diebus ſolennibus & feſtivis, in Paſchate ac Pentecoſte, tum etiam in ſacris ordinationibus, cum per impoſitionem manuum ſacro miniſterio quis initiabatur, unde & oſculum in promotionibus Academicis olim uſitatum originem traxiſſe videtur. de his agit Suicerus, *in theſauro Eccleſiaſtico, voce* Ἀσπασμὸς. *num.* II. & III. aliorum ſcrinia compilare non eſt animus.

Infantibus recens baptizatis datum fuiſſe oſculum pacis, in ſignum quod bapti-

baptizatus ut frater ſit agnoſcendus, videtur Bellarmino, *de ſacram. baptiſ. cap.* 27. citatque in hanc rem Cyprianum, qui, *lib.* 3. *epiſt.* 8. *ad Fidum*, reſpondet quibuſdam, qui exiſtimabant non eſſe baptizandos infantes recens natos, & in argumentum afferebant, quia oportet oſculum dari baptizato, omnes autem horrent infantem recens natum oſculari. Cyprianus vero judicat nihil eſſe cur Chriſtianus horreat oſculari eum, quam Deus ipſe creavit.

Martyrum etiam vivorum vulnera, cicatrices, vincula exoſculati ſunt Chriſtiani. Tertullian. lib. 2. ad uxorem, cap. 4. *quis in carcerem ad oſculanda vincula martyris reptare patietur?* Prudentius, περὶ στεφάνων. Hymn. 5. in laudem Vincentii,

> *Ille ungularum duplices*
> *Sulcos pererrat oſculis:*
> *Hic purpurantem corporis*
> *Gaudet cruorem lambere.*

De Conſtantino Imp. Theodoretus, hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 11. θαυμάσιος

ὃ

ὧν ἐς δεξιὰς ὀφθαλμοὺς ἐκκεκομμένους, καὶ μαθὼν ὡς περὶ τὴν εὐσέβειαν ἰδ' ἔργον ἢ πάθος ἐγένετο προσέξενον, τὰ χείλη τοῖς τραύμασι προσενήνοχεν, ἑλκύσειν ἐκεῖθεν τῷ φιλήματι τὴν εὐλογίαν πιστεύων. *Conſpicatus quibuſdam dextros effoſſos oculos, intellecta conſtantia pietatis illorum, ob quam hoc ſupplicium paſſi eſſent, admovit labra ſua ſauciatis locis, credens ſe inde benedictionem per oſculum ſugere.* Nec vivis tantum, ſed & animam agentibus, imo etiam defunctis, & jam jam rogo imponendis, oſcula data eſſe a gentilibus multis probavit Kirchmannus, lib. I. de funer. Rom. cap. 5. ubi multa lectu digna occurrunt. Notandus & hic mos Chriſtianorum, qui etiam cadavera martyrum exoſculati ſunt. In Martyrologio Romano, a. d. xiii. Kal. Martij, ſic habes: *S. Julianus Cappadox, exoſculans necatorum martyrum corpora, ut Chriſtianus delatus, & ad Præſidem ductus, lento igne juſſus eſt comburi.*

Hæc res progreſſu temporis in ſuperſtitionem abiit, cœperuntque homines oſculari res externas, ut ſancto-

rum

rum reliquias, templorum limina, calicem in S. cœna, patinam, aram, ſignificantes ſe his aliquod vel numen vel religionem tribuere: & ut ut olim ſimplicitatis fuerit, deinceps certe in magnam ſuperſtitionem, ne manifeſtam dicam impietatem degeneravit: adeo ut jam Prudentii tempore talia Chriſtianis indigna invaluerint: ſic ille περὶ στεφάνων, hymno de paſſione Hippolyti:

Mane ſalutatum concurritur; omnis adorat
Pubis, eunt, redeunt ſolis ad usque obitum
Conglobat in cuneum Latios ſimul ac peregrinos
Permiſtim populos relligionis amor:
Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,
Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.

Neque hæc ἀδιάφορα eſſe quis dicat, cum revera cum idololatria, hypocriſi, craſſa denique atque intolerabili

ignorantia conjuncta ſunt. Atque hactenus de oſculis religionem ſpectantibus.

Progredimur ad ea, quæ in civili inter homines converſatione uſitata fuerunt. ubi initio notanda eſt Hebræorum obſervatio in Bereſchith Rabba, ſive commentario ad Geneſin, cap. xxix. v. 11, 12. ubi narratur quomodo Jacobus oſculatus fuerit Rachelem. hic vero hæc notant, כל נשיקה לתפלות בר
ם תלת נשיקה אל גדולה נשיקה של פרקים נשיקה
של פרישות *omnis oſculatio eſt ad fatuitatem, exceptis tribus, quæ ſunt: Oſculum magnificentiæ & dignitatis; oſculum compitorum, ſive occurſus; oſculum ſeparationis, vel diſceſſus.* quibus Rabbi Tanchuma addidit נשיקה קרובה *oſculum propinquitatis*, quale Jacob dedit Racheli. De oſculo fatuitatis ſive laſciviæ deinceps agemus: reliqua ad hoc civile oſculorum genus referenda ſunt. In civitate autem alii pares ſunt, alij diſpares. Inter pares oſculorum conſuetudo vulgatiſſima in ſalutationibus amicorum ſibi occurrentium, exempla-

tum

tum in ſacro utriuſque fœderis inſtrumento, tum apud profanos ſcriptores, paſſim ſunt obvia. ſufficiant hæc ex Martiale, lib. 7. epig. 94.

Bruma eſt, & riget horridus December,
Audes tu tamen oſculo nivali
Omnes obvios hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, baſiare Romam. &c.

Imprimis huc facit epigramma 99. lib. xi. ad Baſſum.

Effugere non eſt, Baſſe, baſiatores.
Inſtant, morantur, perſequuntur, occurrunt.
Et hinc, & illinc, usquequaque quacumque
Non ulcus acre, puſtulæve lucentes;
Nec triſte mentum, ſordidique lichenes,
Nec labra pingui delibuta ceroto,
Nec congelati gutta proderit naſi.
Et æſtuantem baſiant, & algentem;
Et nuptiale baſium reſervantem.
Nec te cucullis aſſeret caput tectum. &c.

Ex quibus apparet importunum hunc baſiandi morem Martialis tempore ad-

huc viguiſſe, quamvis perfunctorias has ſalutationes, ſive quotidianorum oſculorum moleſtiam edicto olim prohibuiſſet Tiberius, teſte Suetonio, *cap.* 34. Edicti cauſam reddit Plinius, „ *lib.* 26. *cap.* 1. Medio enim Tiberii „ principatu lues irrepſit in Italiam, „ quodam Peruſino, Equite Romano, „ quæſtorio ſcriba, inde contagionem „ ejus importante. Erat ſine dolore, „ ac pernicie vitæ, ſed tanta fœdita- „ te, ut quæcunque mors præferenda „ eſſet. Lichenas appellavere Græco „ nomine: Latine, quia a mento fe- „ re oriebatur, joculari primo laſci- „ via, mox & uſurpato vocabulo men- „ tagram, occupantem in multis totos „ utique vultus, oculis tantum immu- „ nibus, deſcendentem vero & in col- „ la, pectuſque ac manus, fœdo cutis „ furfure. Nec fuerat hæc lues apud „ majores, patreſque noſtros. Nec „ ſenſere id malum fœminæ, aut ſer- „ vitia, plebeſque humilis aut media, „ ſed proceres veloci tranſitu *oſculi* ma- „ xime, fœdiore multorum, qui per-

„ peti

„ peti medicinam tentaverant, cica-
„ trice quam morbo. xxxx. Nec quiſ-
„ quam id prior Imperatore ſenſit, ma-
„ gna civitatis ambage; cum edicto e-
„ jus excuſantis valetudinem, legere-
„ tur nomen in cognitum.

Apud Romanos mulieres paſſim oſculo ſalutabantur à propinquis, quo explorarent, an contra legem temetum olerent. Inſtitutum hoc erat Catonis teſte Plinio. *lib.* 14. *cap.* 13. quò referri poteſt illud Hieronymi: *Vinum nunquam redoleas, ne forte illud philoſophi audias.* Hoc non eſt oſculum porrigere, ſed vinum propinare. Hoc crimen ancilla objecerat Monicæ, matri Auguſtini, amariſſima inſultatione meribibulam vocans. quo illa ſtimulo percuſſa reſpexit fœditatem ſuam: confeſtimque damnavit atque exuit. *Auguſtin. confeſſ. lib* 9. *cap.* 8.

Hanc quidem rationem etiam Plutarchus reddit, *Rom. problem.* 6. ſed præterea alias addit. Primam promit ex Ariſtotele, facinus nempe Troadum, ab iis in Italia perpetratum,

cum, poſt navium appulſum, viri digreſſi eſſent, mulieres ignem navibus injecerunt, ut erroribus ac navigationibus finem imponerent, deinde ſibi a maritis metuentes, cognatos ac familiares, ut quiſque ſe obtulerat, cum ſuavio ſunt amplexæ: itaque placata, ut in gratiam fuit reditum, hoc eis blandiendi genus retinuerunt. Secunda eſt, datum hoc eſſe mulieribus, ut honor ſimul eis, & potentia conciliaretur, ſi viderentur multos habere probos cognatos & propinquos. Tertia denique, cum eſſet legibus interdictum cognatarum nuptiis, uſque ad oſculum tamen amori permiſſum progredi, eaque fuit conſanguinitatis teſſera & communicatio. Ad cognationis jus reſpexit Propertius, lib. 2. eleg. 6.

Quinetiam falſos fingis tibi ſæpe propinquos,
Oſcula nec deſunt qui tibi jure ferant.

Hæc de oſculis inter pares, quales quidem omnes homines natura producit,

cit, diſparitas autem, mira Dei providentia, ex civili converſatione oritur, in qua alios ad imperandum, alios ad parendum ab eadem natura factos natoſque videmus. ut Jaſon, apud Ariſtotelem, *lib. 3. politic. cap. 3.* dicebat: πεινῆν, ὅτε μὴ τυραννοῖ *ſe eſurire, quando non imperaret.* Cæteri infeliciores melius parent. Ex qua diſparitate humani generis ſalus oritur. Ut enim in navi varia ſunt nautarum officia, dum alii malos ſcandunt, alii per foros curſitant, alii ſentinam exhauriunt, alii remos torquent, gubernator autem clavum tenet in puppi; Eſt tamen una quædam communis eorum ratio: Ita & in civitate res ſe habet, Diſparitas illa tum ex bonis animi oritur, tum ex bonis fortunæ. Utraque oſculis fere digna viſa ſunt.

De bonis animi, quæ, juxta Epictetum, ſunt ἐφ᾽ ἡμῖν, teſtis nobis Salomo, *Proverb. cap. xxiv. v.* 26. qui oſculo honoranda eſſe judicat labia, ex quibus recti ſuaveſque ſermones prodeunt. Cum autem pectus cordis

domicilium ſit, in eo & ſapientia collocatur. quomodo ergo incoctum generoſo pectus honeſto oſculo indignum erit?

Leonides, Origenis pater, cum in filio adoleſcentulo divinam mentem agnoſceret, dormienti ſæpius aſſiſtens, denudatum pectus ejus, tanquam templum Spiritus S. oſculo veneratus eſt. auctor Euſebius, *hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 2.* Huc pertinet factum Margaritæ, Ludovici XI. Galliarum Regis, conjugis, quæ cum in lectulo offendiſſet Alanum Charterium, qui, Ulyſſis inſtar, non erat formoſus, ſed inter doctos facundoſque ſui temporis celeberrimus, eum oſculata eſt. fœminis, quæ eam comitabantur, mirantibus, reſpondit; ſe non ipſum Alanum, ſed divinum ipſius animum, & labia, unde tot præclari ſermones prodiiſſent, hoc oſculo honorare voluiſſe. Hæc erant & apud Romanos miſera rhetorum & Poëtarum præmia. Martial. lib. 1. epig. 4.

Audieris cum grande ſophos dum baſia captas,

Ibis

Ibis ab excuſſo miſſus in aſtra ſago.

Et ejusdem libr. epigr. 77.

—— at circum pulpita noſtra,
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

De Sophiſta illuſtris locus iu Proæreſio, de quo Eunapius: καὶ τὰ στέρνα τοῦ σοφιστοῦ περιλιχμησάμενοι, καθάπερ ἀγάλματος θείου, πάντες οἱ παρόντες, οἱ μὲν πόδας, οἱ δὲ χεῖρας προσεκύνουν, οἱ δὲ Θεὸν ἔφασκον, οἱ δὲ Ἑρμοῦ λογίου τύπον. *Omnes qui aderant circum lambendo ſophiſtæ pectus, velut alicujus Dei, alii manus oſculabantur: ac aliqui vocabant Deum, nonnulli Mercurium eloquentiæ præſidem.*

Ex illis quæ ſunt οὐκ ἐφ' ἡμῖν, maxima etiam inter homines diſparitas, cum dives & pauper inter ſe occurrant, efficiente hos omnes Jehova, ut ait ſapiens, *Proverb. cap. xxij. v. 2.* Inter hos etiam oſcula frequentata, data, accepta.

Potentiores minoribus, in benevolentiæ ſignum, oſculum dabant, ideoque vitio datum Tiberio, quod pau-

cos admodum in digreſſu oſculatus fuerit. *Sueton. cap.* 10. & Neroni, quod neque adveniens, neque proficiſcens quemquam oſculo impertiverit. *Sueton. cap.* 37. item Caligulæ, a Dione, *lib.* 59. quod paucos oſcularetur. contra laudatur Trajanus a Plinio, *panegyr. cap.* 23. quod Senatum oſculo exciperet, ut oſculo dimiſſus fuerat. quin & hodie ita fert Turcarum inſtitutum, ut qui major eſt minorem ſalutando præveniat, teſte Busbequio, *epiſt.* 3.

Inferiores etiam potentioribus oſcula dabant, in ſubjectionis ſignum: ut Samuel Propheta, uncto in Regem Sauli, oſculum obtulit. 1. *Sam. cap.* x. *v.* 1. quo ſpectat & locus. Pſal. ii v. 12. *Oſculamini filium.* Hic expendendum eſt dictum Pharaonis, Ægypti Regis ad Joſephum, quod legitur *Geneſ. cap.* xlj. *v.* 40. פיך ישק כל עמי Ex ambiguitate vocis ישק variæ ortæ ſunt interpretationes. hanc quidam deducunt a שקק vel שוק *diſcurrere*, unde משק *œconomus*, qui per domum diſcurrendo ſatagit, totius familiæ curam gerens,

fami-

familiæ columen ut ait Terentius, ut ſenſus ſit: *ſecundum os tuum diſcurſitabit populus meus, negotiorum procurandorum cauſa.* Alii derivant a נשק quod varia ſignificat: 1. armare.. 2. cibare. 3. gubernare, 4. oſculari. Ex prima ſignificatione hic ſenſus emergit: ad nutum tuum populus meus in armis erit, tu eris magiſter militum. Sic Druſius & Pagninus. imo & Targum: ועל פומך יזון quod tamen non admittendum videtur, quia Joſephus non ad belli, ſed ad pacis munia Ægypto præfectus indigitatur, quæ ſententia ex verſ. 55, 56, 57, confirmari poſſet. Tertia eum populi gubernatorem, & Regis quaſi vicarium conſtituit. Ultima vero a plurimis recepta eſt, qua oſculum ſubjectionis ac obedientiæ oblatum aut Joſepho, aut etiam Regi denotatur. Nova verſio Belgica ſic reddidit: **op uw bevel ſal al mijn volck de hant kuſſen.** exiſtimarunt enim iſti interpretes hoc dici, quod, jubente Joſepho, & mandata dante, quilibet e populo mandata iſta venerabundus

eſſet

eſſet excepturus, ritu ſcilicet iſto, quem proprie adorationem latine dicimus. Ea vero vertendi libertate, vox *manus*, aliis etiam locis inſeri poſſet, quod ſane probandum non eſt.

Oſculum hoc φίλημα βασιλικὸν, ἀσπασμὸν βασιλέως, *labratum* a labris, ut oſculum ab ore dici videtur Cujacio, *obſerv. lib.* 11. *cap.* 17. Lindenbrogius autem, *obſerv. in Amm. Marcellinum*, ἀπὸ συγκοπῆς dictum judicat, quaſi laboratum, id eſt, arte ac labore ſummo effigiatum : ut Gloſſ. Nomicum interpretatur, ideoque non oſculum, ſed ſacros vultus notaret, ut in Cod. lib. 12. tit. 64 leg. 1. Joh. Damaſcenus, orat. 3. pro imaginibus; βασιλεῦσι φθαρτοῖς πολλάκις καὶ ἀσεβέσι, καὶ ἁμαρτωλοῖς, καὶ τοῖς ὑπ᾽ αὐτῶν χειροτονουμένοις ἄρχουσι, καὶ τοῖς τούτων λαβράτοις προσκυνοῦσιν ἄνθρωποι. *Homines Reges mortales, plerumque & impios & peccatores: & Magiſtratus ab illis conſtitutos, eorumque labrata*, id eſt, imagines arte elaboratas, *adorant*. Talis ergo imago cum oſculo labrato confundenda non eſt. Hoc enim eſt adoratio

ratio & veneratio principis; purpuræ, imperii. ſit autem labris admota manu, & tacta deinde purpura Principis, vel genu complexo, quod patiendi ſenſu capiendum eſt, ut id accipiat Princeps non det. loca ex codice hoc probantia vide apud Cujacium, loco laudato.

Neque facies tantum ejuſque partes, os, genæ, oculi oſculis patebant: ſed etiam humeri, manus, genua, pedes. Exempla ex Homeri Odyſſea ſubjiciam. Eumæus, Odyſſ. π. Telemachum reducem excipiens.

Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε, καὶ ἄμφω φάεα
καλὰ,
χεῖράς τ' ἀμφοτέρας.

Ancillæ Ulysſis, Odyſſ. ρ. eundem Telemachum·

Καὶ κύνεον ἀγαπαζόμεναι κεφαλήν τε καὶ ὤμους.

Penelope autem ibidem:

Κῦσε δέ μιν κεφαλὴν, καὶ ἄμφω φάεα καλά.

Sic Odyſſ. φ. Servi Ulyſſem, Ulyſſes ſervos oſculatur:

Καὶ κύνεον ἀγαπαζόμενοι κεφαλήν τε, καὶ ὤμους,
Ὣς δ' αὔτως Ὀδυσσεὺς κεφαλὰς καὶ χεῖρας ἔ-
κυσσε.

Idem

Idem, Odyſſ. α. Dolii ſervi dextram oſculatur:

—— Δόλιος δ' ἰθὺς κίε χεῖρε πετάσσας
Ἀμφοτέρας. Ὀδυσσεὺς δὲ λαβὼν κύσε χεῖρ' ἐπὶ καρπῷ.

Addamus & unum ex Iliade. ω. v. 477.

Τοὺς δ' ἔλαθ' εἰσελθὼν Πρίαμος μέγας, ἄγχι δ' ἄρα στὰς
Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας
Δεινὰς, ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας.

Manum oſculandam porrexit Cajus Caligula etiam ſenatoribus. *Dio, lib.* 59. Caſſio Chæreæ idem manum oſculandum obtulit formatam commotamque in obſcœnum modum, ut ait Suetonius, *cap.* 56. De laniena Mariana, Lucan. lib. 2. ---*Spes una ſalutis*

Oſcula pollutæ fixiſſe trementia dextræ.

Claudian. 2. in Ruffinum:

Illa manus quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat,
Cujus ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas.

Phædr.

Phædr. fab. 82.

Illam oſculantur, quæ ſunt oppreſſi,
manum.

Alia ex aliis loca non addam, apud Lipſium videri poſſunt.

Nunc ad genua devolvimur, qui Diis ſupplicabant eorum etiam, ut Juvenalis loquitur, incerabant genua. & in his præcipue, in hominibus, miſericordiam ſedem poſuiſſe arbitrati ſunt: ideoque hæc tangere ſupplices imprimis ſtudebant. unde conſilium a præcone Priamo datum, Iliad. ω. v. 357.

——— ἤ μιν ἔπειτα
Γούνων ἁψάμενοι λιτανεύσομεν, αἴ κ' ἐλεήσῃ.

Idem eidem ſuaſit Mercurius, Iliad. ω. v. 465.

τύνη δ' εἰσελθὼν λαβὲ γούνατα Πηλείωνος.

Perſeus ad pedes Pauli Æmilii ſe ſubmittens, genua ejus appetebat. *Plut. in P. Æmilio.* Atque hinc porro genuum oſcula. Amm. Marcell. lib. 28. *Ex his quidam cum ſalutari pectoribus appoſitis cœperunt, oſculanda capita in modum taurorum minantium obliquantes, adulatoribus offerunt genua ſuavianda*

vel

vel manus. Capitolinus in Maximino: *In ſalutationibus ſuperbiſſimus erat, & manum porrigebat, nonnunquam etiam pedes*. Ad pedes ergo, eorumque oſcula hic nos deduxit.

Ante eum Maximinum hoc egit C. Caligula. Dio lib. 59. ἐφίλει ὀλιγίςους· τοῖς δὲ πλείςοις καὶ τῶν συμβουλευτῶν, ἢ τὴν χεῖρα, ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε. *pauciſſimos oſculatus eſt; pleriſque etiam Senatorum vel manum vel pedem præbuit adorandum*. Imo Pomponius Secundus etiam conſul, eodem Dione teſte, pedes ejus adſidens, identidem ſe inclinans, eos oſculabatur. Idem Cajus Pompejo Pœno ſiniſtrum pedem ad oſculandum porrexit, ut ſocculum auratum margaritiſque diſtinctum oſtenderet. *Senec. de benef. lib.* 2. *cap.* 12. Diocletianus edicto ſanxit, uti omnes ſine diſcrimine proſtrati pedes ſibi oſcularentur. Adorari ſe ut Deum præcepit, ut ait Jornandes, & gemmas veſtibus calciamentiſque inſeruit, cum ante eum omnes diademata in capite, cum chlamyde purpurea, ut a privatis diſcerne-

ren-

rentur, haberent, & ut judices cæteri ſalutarentur.

Ad pedes poſterni divinus erat honor. Prudentius in Apotheoſi, adverſus Judæos:

Auguſtum caput ante pedes curvare *Minervæ*
Fictilis, & ſoleas *Junonis* lambere, plantis
Herculis advolvi.

In appendice Eſtheræ, *cap. xiij. v.* 8. Mardochæus proteſtatur ſe eum honorem Hamani non exhibuiſſe, non ex ſuperbia, ſed ne divinum honorem homini exhiberet: σὺ οἶδας, κύριε, ὅτι ἐν ὕβρει, οὐδὲ ἐν ὑπερηφανίᾳ, οὐδὲ ἐν φιλοδοξίᾳ ἐποίησα τοῦτο τὸ μὴ προσκυνεῖν τὸν ὑπερήφανον Ἀμὰν, ὅτι εὐδόκουν φιλεῖν πέλματα ποδῶν αὐτοῦ πρὸς σωτηρίαν Ἰσραήλ. ἀλλ' ἐποίησα τοῦτο, ἵνα μὴ θῶ δόξαν ἀνθρώπου ὑπεράνω δόξης Θεοῦ. Non aliennm hic erit, quantumvis ridiculum, ſubjungere, quod, ex veteri manuſcripto codice monaſterii Andegavenſis, Britanniæ ſuæ inſeruit Guil. „Cambdenus. pag. 90. Carolus Stul„tus dedit Normanniam Rolloni cum

„ filia ſua Giſla. hic non dignatus eſt „ pedem Caroli oſculari. cumque co- „ mites illum admonerent, ut pedem „ Regis in acceptione tanti beneficii „ oſcularetur, lingua Anglica reſpon- „ dit: (*Ne ſe Bigod*) quod interpreta- „ tur, *Non per Deum*. Rex vero & ſui „ illum deridentes, & ſermonem e- „ jus corrupte referentes, illum voca- „ verunt *Bigod*, unde Normanni adhuc „ vocantur *Bigodbi*. Alii ſcribunt, quod „ apprehenſo mordicus Regis pede, eum reſupinaverit. Atque hic eſt faſtus ille, quem in Pontifice Romano & olim & hodie multi accuſarunt, quod ſeſe ſupra omne σέβασμα efferens, non populo tantum, ſed & Imperatoribus ac Regibus pedes oſculandos exhibeat. Gregorius IX. cum pedem dextrum Friderico II. Imper. præbuiſſet, hic genu Pontificis, non pedem, vix ſummis labiis oſculatus eſt, quod Pontifex moleſtiſſimo tulit, ut ex Facello narrat Cilmerus, oratione de vita Friderici II. alia exempla ſatis manifeſta ſunt. Unicum, ſed riſu dignum, ap-

po-

ponam ex hiſtoria Anglica Richardi Bakeri: Cum legati Henrici VIII. Angliæ Regis ad oſculum pedum papalium eſſent admiſſi, canis in aulam forte ſimul irrepſerat, qui procurrens pedem papæ ad oſculum protenſum arripiens ſaliva & ſordibus ſnis ita inquinavit, ut illud, quamvis pontificale, oſculum omnibus faſtidio eſſet, ideoque iſto ſaltem tempore, hæc ceremonia neglecta fuit.

Superſunt oſcula Amoris, quæ inter conjuges veri & caſti aſſectus indicia ac nutrimenta eſſe quis neſcit? In laſcivis vero amoribus fatuitatis recte accuſantur. Hæc inter mares & fœminas mutuo data & accepta elegantisſimis carminibus cantata ſunt a Poëta, nulli aut veterum aut recentiorum ſecundo *Johanne Secundo*, cujus Baſia ab omnibus ita leguntur, ut, judice Gyraldo, baſiis affici videantur. Eum imitati ſunt *Janus Lernutius*, & *Janus Douza*. *Pater*. De iisdem Belgicis rythmis cecinerunt *Joh. Brunee*, & *Jacobus Weſterbaenius*.

Inter Romanarum mulierum laſcivias numerat Juvenalis, ſatyr. 6. quod eas

—— eunuchi imbelles, & mollia ſemper
Oſcula delectant, & deſperatio barbæ.

Et apud improbos Cinædos, teſte Tibullo, lib. 1. eleg. 8.

Carior eſt auro juvenis cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aſpera barba terit.

Non libet fœdiſſimam τῶν παιδεραστῶν camarinam movere. Pudentiſſime eam etiam declinavit Ageſilaus Spartanorum Rex, qui victoriam de ſeipſo majorem judicavit, quam ſi potentiſſimam hoſtium urbem vi cepiſſet, ut Plutarchus in Laconicis narrat. Apud Megarenſes *certamen oſculorum* inter pueros, vere ineunte celebrabatur, ut notat Coel.Rhodig. *Lect. antiq. lib.* 15. *cap.* 9. qui autem ſuavius amantem oſculatus eſſet, corollis onuſtus abibat. Edebatur hoc Dioclis Athenienſis honori, qui Athe-

Athenis profugus fuerat pæderaſtes, ac amatum in pugna protegens occubuerat, a Megarenſibus honorifice ſepultus: qualis honor & M. Ant. Mureto contigit, canente Beza:

Gallia quod peperit, pepulit quod Gallia monſtrum,
Et Veneti profugum non potuere pati.
Muretum eſſe ſibi civem juſſere Quirites,
Et tumulo extinctum compoſuere ſuo.
Vivere nam potius qua debuit urbe cinædus,
Impius & quanam dignius urbe mori?

Oſcula porro non uno modo fixa. Simpliciſſima quæ caſtus amoris affectus caſtis caſta dictat. Ubi autem illud πάθος exuberat variis ſe exprimit modis. Clauſum ſuadet Martialis, lib. 13. epig. 18.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oſcula clauſa dato.

Propter fœtidum ſpirantis halitum; quare & Horatius allium cicutis nocentius deteſtatur, & Alphonſus Hiſpaniæ Rex, Anno Chriſti 1312. ut rerum Hiſpanicarum ſcriptores narrant, Equitibus *della banda*, ſive faſciæ rubræ, præſcripſit, ne porro & cepis veſcerentur, niſi octi duo ab aula abeſſe, neve cum ullo equite cibum capere mallent. A templo etiam Matris Deum arcebantur qui allium guſtasſent, quare ab ipſa Dea in ſomnio Stilpo Philoſophus, quod ſacram hanc legem violaſſet, reprehenſus, reſpondit etiam in ſomnis; Præbe mihi quod edam, & allio non veſcar. *Athen. lib.* 10. *cap.* 5.

Aliquando mentum & barbam prehendebant: ut Joabus Amaſam oſculaturus, 2 *Sam.* *xx.* *v.* 9. hic mos ad alias item gentes dimanavit, in ſalutationibus & ſupplicationibus, an autem oſculum adjunctum fuerit non liquet. Homerus, Iliad. A. v. 500.

Καὶ ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων

Σκαιῇ.

Σκαιῇ δεξιτερῇ δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα
Λισσομένη προσέειπε Δία κρονίωνα ἄνακτα.

Procubuitque toro, genua amplexata ſiniſtra
Ipſius, at mentum dextra: ſic deinde precata eſt.

Idem, Iliad. κ. v. 454.

Ἦ καὶ ὁ μὲν μιν ἔμελλε γενείου χειρὶ παχείῃ
Ἁψάμενος λίσσεσθαι.

Verba iſta loquenti,
Jamque paranti ictum, barbæ cum vellet honeſtam
Tangere cæſariem ſupplex.

Sic apud eundem, Odyſſ. τ. v. 473. Euryclea

Ἁψαμένη δὲ γενείου Ὀδυσσῆα προσέειπεν.

Callimachus in Delum:

—— εἴπατε πατρὶ
Κοψῆσαι μέγα χεῦμα, περιπλέξασθε γενείῳ
Λισσόμεναι.

—— *Dicite Patri*
Vt magnos ſiſtat fluctus, apprendite mentum
Orantes. Alia mittimus.

Eſt & oſculandi modus, quem χύτραν, hoc eſt, *ollam* vocarunt, quia in eo ge-

geſtu ut caput ollæ, ita aures anſarum ſpeciem referre videntur, quod Suidas indicare voluit. Ejus meminit Julius Pollux, *lib.* 10. cum de coqui inſtrumentis diſſerens, hæc interſerit: εἰδέναι δ' οὐ φαῦλον, ὅτι καὶ χύτρος φιλήματος ἦν εἶδος, ὁπότε τὰ παιδία φιλοίη, τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα. ὑπόδηλος δ' ὄντος ἐναντίᾳ λαβοῦσα τῶν ὤτων φίλησον τὴν χύτραν. Apud Theocritum, idyll. 5. ὀδοιπόροις, Comatas ait:

> Ὀκ ἔραμ' Ἀλκίππας, ὅτι με πρᾶν οὐκ ἐφίλασε
> Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.
>
> *Non amo Alcippen, quia me nuper non oſculata eſt*
> *Aures prehendens, cum ipſi palumbem donarem.*

Plautus in Pœnulo, act. 1. ſc. 2. ubi Milphio ſervus: *Sine te exorem, ſine te prendam auriculis, ſine dem ſuavium.* & in Aſinaria, act. 3. ſc. 3. *Prehende auriculis, compara labella cum labellis.* Tibullus, lib. 2. eleg. 6. inter felices anni eventus,

> *Et fœtus matrona dabit, gnatuſque parenti*
> *Oſcu-*

Oſcula comprenſis auribus eripiet.

Ratio hujus moris Delrio ad Senecam, hæc videtur, ut pueri tandem ea ratione deſueſcerent, dolore aurium, oſcula frequentare, quia ſæpe turpia, & cum libidinis ſuſpicione fierent. Verum hæc ratio veriſimilis non eſt, quia etiam inter liberos & parentes hoc genus oſculi uſitatum fuit. neque hæc aurium apprehenſio tanta vi facta, ut dolorem inferret, cum potius amori magis augendo incendendoque inſerviret.

Aliis ergo hæc ratio placuit: quod nimirum auris, memoriæ ſácra, ſcientias ac virtutes penitius in animum demittat, quam alii ſenſus, in quibus affectus magis dominantur. Animus enim ἐν ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκέει, in auribus hominum habitare dicitur Herodoto. Plinius, lib. xi. cap. 45. Eſt in aure ima memoriæ locus, quem tangentes anteſtamur. Unde illud Horatii: *Licet anteſtari? Ego vero*

Oppono auriculam.

Idem, lib. I. epiſt. I. v. 7.

Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem.

 Mu-

Muretus, *var. lect. lib. xv. cap. 5.* vidiſſe ſe ait veteres nummos æreos, in quibus viri duo inſculpti erant, quorum unus alteri aurem vellebat: in orbem autem ſcriptum erat, ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ. Præterea Lipſius, epiſtolicarum quæſtionum, *lib. 4. epiſt. 26.* ſimilem ait eſſe lapillum apud Laurinos, in quo caput ſcriptum, & manus aurem atterens, cum eodem verbo Græco ΜΝΗΜΟΝΕΥΕ. Huc facit hiſtoria quæ recitatur a Dione Chryſoſtomo, *orat. 32.* quæ eſt ad Alexandrinos: Cives ſcilicet Atticos ex Apolline quæſiviſſe, qua ratione conſequi poſſent, ut virtute ac patriis legibus urbis maxime floreret: Oraculum autem illud conſilii dediſſe, ut *quod omnium pulcherrimum foret liberorum auribus immitterent*, quo cognito, tradunt, cœpiſſe cives, Aſiaticorum more, pertundere aures puerorum, easque onerare inauribus aureis eo, quod aurum cæteris præſtare perſuaſum haberent. At vero non illud quod effœminare animos poterat, ſed longe

quid-

quiddam excellentius ab oraculo intellectum eſt. Nam quid præſtabilius eſt ſalutaribus virtutis præceptis? aut quod dignius Deo conſilium, quam ut parentes liberorum auribus virtutem ſollicite inſtillent, vel eos præficerent liberis, a quibus eam a pueris haurirent?

Hinc Lux aliqua Davidi, qui in *Pſalmo* XL. *v.* 7. אזנים כרית לי *Aures perfodiſti mibi.* quod recte quidem ad legem illam mancipationis ſempiternæ, de qua in *Exodo*, *cap.* XXI. *v.* 6. refertur: & Paulus hæc recte de Chriſto Servatore, ſervo voluntario cui corpus adaptatum, capienda docet, *Heb. c.* X. *v.* 5. nihil tamen vetat hic auditum adeoque attentionem, animique excitationem & obedientiam notari; oppoſite ad illud quod de aſpide ſurda dicitur Pſal. LVIII. v. v. יאטם אזנו *obturat aurem ſuam ne audiat vocem incantatorum.* Talis eſt phraſis uſurpata Jeſaiæ, cap. L. v. 4. 5. יעיר בבקר בבקר יעיר לי אזן כלמודים: אדני יהוה פתח לי אזן ואנכי לא מריתי: *Excitat ſingulo mane, excitat mihi aurem ut audi-*

am

quemadmodum diſcipuli : Dominus
minus aperit mihi aurem, & ego non
rebellis. Illa erga aurium apprehen-
ne oſculantes vim & memoriam a-
oris ſibi refricare atque excitare vo-
runt. quod & Clemens Alexandri-
s, *lib.* 5. *Strom.* innuit : οὐκ οὖν εἰκῇ
παιδίοις παρακελευόμεθα, τῶν ὤτων λαμβα-
μένοις φιλεῖν τοὺς προσήκοντας, τοῦτο δήπου αἰνιττό-
οι δὲ ἀκοῆς ἐγγίνεσθαι τῆς ἀγάπης τὴν συναίσθησιν.
ignis in hanc rem eſt Locus Plutar-
i, non procul ab initio libelli de au-
itione ; eum Latinè tantum adſcri-
am : Vitiis multæ partes corporis,
nultaque loca aditum ſpatiumque ad
nimum penetrandi præbent. unicâ
irtuti, qua adoleſcentes arripiat, anſa
ures ſunt, ſi quidem puræ ſint, &
am inde ab initio adulatoriarum
orruptelarum vacuæ, intactæque a
ravis ſermonibus ſerventur. Itaque
Xenocrates aurium munimenta pue-
is potius quam athletis applicari ju-
ebat: quod horum aures verberibus,
llorum mores verbis perverterentur,
ieque ille auditionis vacuitatem aut

„ ſua-

„ ſuavitatem commendabat: ſed hor-
„ tabatur ut tantiſper ab audiendis pra-
„ vis ſermonibus abſtinerentur, dum
„ bonæ orationes tanquam cuſtodes, in-
„ genio Philoſophiæ educatione ap-
„ poſiti eam regionem occuparent,
„ quæ maxime oratione movetur at-
„ que ducitur. xxx Et vulgo *parvulos*
„ *qui deoſculantur*, quum *ipſi aures eo-*
„ *rum tangunt*, tum eos idem jubent
„ facere: per jocum innuentes, ma-
„ xime amandos eſſe eos qui per aures
„ proſunt. Hæc Plutarchus.

Tandem & alia huic oſculandi modo ratio ſubeſſe poteſt, nempe, ut commodius & dulcius oſcula figerentur: qualia artiſſima dicuntur a Suetonio in Galba, *cap.* 22. talia enim amantium eſſe ſolent. Lucret. lib. 4.

Quod petiere premunt arcte, faciuntque dolorem
Corporis, & dentes illidunt ſæpe labellis,
Oſculaque adfigunt.

Quæ Lucretii verba ad extremam oſculorum lineam nos deducunt, quam

xæ-

καταγλώττισμα dixit Ariſtophanes, Νεφέλ. act. 1. ſc. 1. quod ſcholiaſtes interpretatur: αἰσχρῶν φιλημάτων περιεργάσματα. ἢ εἶδος αἰσχροῦ φιλήματος τὸ καταγλώττισμα. κυρίως δὲ καταγλώττισμα, ὅταν ἐν τῷ καιρῷ τῆς συνουσίας ὁ ἀνὴρ τὴν γλῶτταν αὐτοῦ τῷ τῆς γυναικὸς ἐμβάλλῃ στόματι. De hoc oſculi genere, quod Venus quincta parte ſui nectaris imbuit, ita Libanus apud Plautum: Aſin. act. 3. ſc. 3. *Fac proſerpentem beſtiam me, ut duplicem habeam linguam*, quia nempe ſerpentibus lingua biſulca. Idem Pſeudol. act. 6. ſc. 1. *ubi amans complexu'ſt*

Amantem, ubi labra ad labella adjungit,
Ubi alter alterum bilingui manifeſto
Inter ſe prehendunt.

Μανδαλωτὸν dicitur Ariſtophani, Ἀχαρν. act. 5. ſc. 2. Φιλήσατόν με μαλθακῶς, ὦ χρυσίω, τὸ περιπετασὸν, καὶ τὸ μανδαλωτὸν. *O aureæ puellæ, date mihi ſuavium, & morſiunculas, & labra labris jungite*, ubi ſcholiaſtes: εἴδη φιλημάτων ἐρωτικῶν. ἐν ᾧ δεῖ τὴν γλῶτταν τοῦ καταφιλοῦντος λείχειν. ἄλλως. Μανδαλωτὸν εἶδος φιλήματος ποικίλον, καὶ ἡδὺ. ἐπιλυδεροῦ-

δεν,

δες [illegible]. Tibull. l. 1. eleg. 8.

Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis

Oſcula, & in colla figere dente notas.

Ovid. lib. 2. Amor. el. 5.

Improba tum vero jungentes oſcula vidi;

Illa mihi lingua nexa fuiſſe liquet.

Iterum, lib, 3. eleg. 7.

Oſculaque inſeruit cupida luctantia lingua.

Similia in Catullo, Lucretio, Apulejo aliiſque invenire eſt. unum illud ex Apulejo *lib* 6. *metam.* addam. Mercurius Veneris nomine promittit, ſi quis Pſychen demonſtrare poſſet accepturum *indicinæ nomine ab ipſa Venere ſeptem ſuavia; et unum* blandientis appulſu linguæ longe mellitum. quod ex Moſchi Amore fugitivo tranſlatum videtur, ubi Venus ita minatur.

Μίσθος τοι τὸ φίλαμα τὸ Κύπριδος, ἢν δ' ἀγάγῃς νιν

Οὐ γυμνὸν τὸ φίλαμα, τὺ δ', ὦ ξένε, καὶ πλέον ἕξεις.

Sagittatum oſculum vocat Plautus, *Trin. act.* 2. *ſc.* 1. *v.* 16. An aliud quid voluit

Daph-

Daphnis; apud Theocritum, Ὄαρις.

Αἴθ' αὐτὰν δύναμιν ϗ τὰν ψυχὰν ἐπιβάλλειν.

Eleganter hæc expreſſit Jovianus Pontanus, carmine ad Deiamillam.

Baſia cum ſtrictis offers mihi clauſa labellis,
Deque tuo nullus ſpiritus ore venit,
Neſcio quid tum triſte animum ſubit, ipſaque noſtro
Frigeſcunt tacito baſia in ore ſitu.
At cum rapta ſonant mordacibus oſcula labris,
Mixtus & alterno ſpiritus ore coit.
Meque calor, meque & ſenſus animusque relinqunt,
Inque tuo jaceam languidus ipſe ſinu.
At tu cum dederis mihi ſuavia, conſere linguam,
Inter labra meo ſemper & ore fove.
Ne pateant animo egreſſus, ne frigida lingua

Tor-

Torpeat, ipſe tuo deſiciamque ſinu.

In trium puellarum baſia legitur Paulini Silentiarii carmen Græcum, quod Latine vertit Daniel Heinſius, & inter verſa ex Græcis legi poteſt. Pleroſque baſiorum modos uno Baſio, decimo nempe, complexus eſt Joh. Secundus; quod non deſcribemus.

Plurimus porro oſculorum uſus inter amicos tum congedientes tum digredientes. Inter congredientes ſalutationibus plerumque adjuncta oſcula. Apud Horatium, lib. 1. od. 36: Pomponius

Heſperia ſoſpes ab ultima
Caris multa ſodalibus;
Nulli plura tamen dividit oſcula
Quam dulci Lamiæ. ——

Strepſiades, in Nebulis Ariſtophanis filium Philippidem è ſomno excitans iuſit: Κύσον με, καὶ τὴν χεῖρα δὸς τὴν δεξιάν. *Oſculare me, & da manum dexteram.* Ex hoc more eſt oraculum Bruto & Tarquiniis filiis datum: Ovid. 2. Faſtor.

—— *Matri*

Qui dederit primus oſcula, victor erit.
Oſcula quiſque ſuæ matri properate dedere,
Non intellecto credula turba Deo.
Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidiis, dire Superbe, tuis.
Ille jacens pronus matri dedit oſcula terræ,
Creditus offenſo procubuiſſe pede.

In digreſſionibus valedictioni oſculum additum. Apud Ovidium Oenone Paridi:

Oſcula dimiſſæ quoties repetita dediſti?
Quam vix ſuſtinuit dicere lingua, Vale?

Et lib. 1. Triſt. eleg. 3. Ovidius de ſeipſo Roma diſcedente,

Sæpe Vale dicto rurſus ſum multa locutus,
Et quaſi diſcedens oſcula ſumma dedi

Julius Cæſar ad comitia deſcendens, adeoque diſcedens matrem oſculatus

eſt

eſt, ut narrat *Sueton, cap.* 13. ubi videſis commentarium Cl. Pitiſci. Judas proditor oſculo vale dixit Servatori noſtro. videantur ejuſdem amici noſtri Pitiſci notæ ad Suetonii *Tiberium cap. x.* §. 14. Exempla in S. literis obvia ſunt; collecta a Ravanello, in voce *oſculum, num.* 11. De Perſis Xenophon, κυρ. π. lib. 1. ἢ ϗ ἐν πέρσαις νόμος ἔστι συγγενεῖς φιλεῖν. μάλιστα φαίνεται ὅταν γε ἴδωσιν ἀλλήλους διὰ χρόνου, ἢ ἀπίωσί ποι ἀπ' ἀλλήλων.

Confirmandi conjugii cauſa Sponſus & ſponſa ſibi oſculum dabant, quod ex Zonara & Balſamone probat Suicerus, in theſauro Eccleſiaſtico, voce φίλημα, num. iv. vide etiam *leg.* 16. *cod. de donatione ante nuptias*, & quæ ibi notavit Gothofredus.

Præmiorum loco oſcula etiam in conviviis diſtributa eſſe manifeſtum eſt Athenæo, qui *lib* 15. *cap.* 1. de cottaborum luſu agens, habet: ἀγωνιζόμενοι δὲ περὶ φιλημάτων. & *cap.* 2. Ex Calippo hi verſus laudantur:

Ὁ δ' ἀγρυπνήσας τὸν πυραμοῦντα λήψεται
τὰ κοττάβια, ϗ τῶν παρουσῶν ἣν θέλῃ

φιλήσει.

Inſomnis tota nocte qui fuerit. Pyramuntem accipiet,
Cottabi præmium, & quam volet
Ex præſentibus fœminis oſculabitur.

Et ex Eubulo hæc citantur:

Ἔστιν γυναῖκες νῦν ὅπως τὴν νύχθ' ὅλην
Ἐν τῇ δεκάτῃ τοῦ παιδὸς χορεύσητε,
Θήσω δὲ νικητήριον τρεῖς ταινίας,
Καὶ μῆλα πέντε, καὶ φιλήματ' ἐννέα.

Adſunto nunc mulieres, ut nocte tota,
Ex quo nauts eſt infans, decima, ſaltetis
Præmium illi qui vincet tres vittas dabo,
Mala quinque, novem oſcula.

Idem lib. xi, cap. 12, ex Sophoclis Salmoneo hæc habet:

ταδ' ἐστὶ κνισμὸς, καὶ φιλημάτων ψόφος
Τῷ καλλικοτταβοῦντι νικητήρια
Τίθημι, καὶ βαλόντι χαλκείαν κάραν.

Riſus hic eſt ac oſculorum murmur
Quæ Cottabo recte ludenti præmia Propono victoriæ, ſi æneum caput ferias.

vide Stuckium, antiquit. conviv. fol. 363. 364.

Poſt

Poſt amantium iras amoris integratio hoc ſymbolo confirmata. David Abſalomo tale reconciliationis ſignum dedit. 2. *Sam. xiv. v.* 33. Petron. Satyr. *Ne reſidua in animis etiam poſt jusjurandum ira remaneret, præterita aboleri oſculis placet.* Plaut. Pœnul. act. 1. ſc. 2. v. 192. *Non ſum irata; Ag. da ergo, ut credam, ſuavium.* hoc Symbolo amicitia Eſavi & Jacobi obſignata. *Gen. xxxiij. v.* 4. & Patris erga filium perditum. *Luc.* 15. *v.* 20. Sylla, poſt factam pacem, Mithridatem oſculatus eſt. *Plut. in* S*ylla*. De Alexandro III. Papa Rom. in oſculnm Friderici Barbaroſſæ ſe effundente. *vid. Peucer. in Chron. Car. pag. m.* 639.

In conviviis autem moderatis atque honeſtis ea etiam quæ ad philoſophiam pertinebaut honeſtæ voluptatis cauſa agitabantur, res a majoribus geſtas in memoriam revocando, rerum naturam indagando, virtutes debitis encomiis ornando. Apud Homerum, *Iliad.* *A.* in Deorum convivio, Apollo & Muſæ alterinis canunt, Apud Virgili-

um, 1. Æneid.

— *cithara crinitus Jopas*
Perſonat aurata, docuit quæ maximus
Atlas.
Hic canit errantem lunam, Soliſque
labores, &c.

Griphorum autem perſcrutatio, de qua videndus Athenæus, lib. x. cap. 15. & ſeqq. cum a philoſophia aliena non ſit, in his etiam ſapientiæ ſpecimen veteres ſtatuerunt. inter convivia ad hilaritatem eos proponentes: Præmium autem honorarium illis qui enodaſſent oſcula fuerunt, ut ex Clearcho docet Athenæus, *lib.* 10. *cap.* 22. Nec abludit Regum ſapientiſſimus, Prov, xxiv. v. 26, שפתים ישק משיב דברים נכחים *Oſculum figetur labiis verba recta reſpondentis.*

Amoris vero incentivum maximum eſſe oſculum; quis non expertus? Audiamus Palinurum, in Plauti Curculione, act. 1. ſc. 1.

— *Flamma fumo eſt proxima.*
Fumo comburi nihil poteſt, flamma poteſt,

Qui

Qui e nuce nucleum eſſe vult, frangit
Qui vult cubare, pandit ſaltum ſua-
vius,

Sic Comaſtes apud Theocritum, Idyll. 3.

Νύμφα, πρόσπτυξαί με τὸν αἰπόλον ὥς τυ φι-
λάσω,
Ἐστὶ καὶ ἐν κενεοῖσι φιλάμασιν ἁδέα τέρψις.
Nymphe, amplectere me caprarium,
ut te deoſculer,
Ineſt & in oſculis inanibus dulcis volu-
ptas.

Tibull. lib. 4. eleg. 8.

Sed corpus tetigiſſe nocet, ſed longa
dediſſe
Oſcula, ſed femori ſuppoſuiſſe femur.

Et amoris præceptor, lib. 1. de art. amandi:

Oſcula qui ſumſit, ſi non & cætera
ſumſit,
Hæc quoque quæ data ſunt perdere
dignus erat,
Quantum defuerat pleno poſt oſcula
voto!
Hei mihi, ruſticitas non pudor ille
fuit.

Celebratur & δίςιχον Platonis, apud A. Gellium, *lib.* 19. *noct. Attic. cap.* 11. & Macrob, Saturnal, *lib.* 2, *cap.* 2. quo adoleſcens luſit; cum tragœdiis faciendis præluderet.

Τὴν ψυχὴν, ἀγαθῶνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν
ἔσχον,
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

quod licentius liberiuſque Latine verſum apud eoſdem ſcriptores legere eſt. Egregie vero æmulatus eſt Daniel Heinſius in erotopægnio, quod inter poëmata ejus extemporanea legitur:

Heſterna mea lux mihi luce impreſſerat
udum
Baſiolum. reliqua ibi legantur.

Socrates, apud Xenophontem, tantam oſculo vim ineſſe monet, ut phalangiorum, tenuium licet animalium, acerbis tamen morſibus; tumoremque inducentibus ea comparet. quo alludit & ille amator, Poëta Græcus, in epigrammate ἀνεκδότῳ, & tamen edito a Renato Vallino, in notis ad Boëthium, lib. 3. conſol. Philoſ.

Ποιεῖς πάντα Μέλισσα φιλάνθεος ἔργα μελίσσης,

Οἶδα, καὶ ἐς κραδίην ἔσω γίνομ' ἀπθεμ[...]
Καὶ μέλι μὲν σάξεις ὑπὸ χείλεσιν ἡδὺ φιλεῦ[...]
Ὂν δ' αὖτις κέντρῳ τύμμα φέρεις ἄδικο[...]

Quantulum vero ab oſculo diſtat il[...] capitum limatio? *Plaut. Mercat. act.* *ſc.* 1. 40.

Hoc amicitiæ ſymbolo peſſime m[...] ti abuſi ad teterrima tegenda facino[...] & ſub amoris ſpecie etiam amiciſſim[...] fallendos. quod fuit ſcelus Joabi c[...] ca Amaſam, 2. *Sam. xx. v.* 9. Abſa[...] mi furantis corda Iſraëlitarum. 2. *Sa*[...] *xv. v.* 5. & Judæ proditoris in mu[...] Soſpitatorem. *Matth. cap. xxvj. v.*[...] κατεφίλησεν αὐτὸν, quo eodem verbo, [...]ſus eſt Plutarchus in Bruto, ubi n[...] rat conjuratos ſellam Cæſaris, curi[...] ingreſſi, circumſtetiſſe, quaſi aliq[...] rogaturos, oſculabundos, manus [...] os, pectus alios, quoſdam caput. συνεδέοντο πάντες, ἁπτόμενοι τε χειρῶν, καὶ στέ[...] καὶ κεφαλὴν κατεφίλουν. Sicut præpoſiti[...] in compoſitione ſignificationem int[...] dit, ut videre eſt *Luc. vij. v.* 38, & *& cap. xv. v.* 20. *Actor. cap. xx. v.* Sic etiam ſimplicis abuſum notat,

in malam partem flectit, út in [illegible] Philipp. cap. ij. v. 2. aliiſque manifeſtum eſt. Ideoque hoc verbo eleganter, tum geſtum horum proditorum externum & hypocriticum, tum fraudem in pectore latentem ſcriptores expreſſerunt. Veriſſimum eſt illud:

Tuta, frequenſque via eſt per amici fallere nomen.
Tuta frequenſque licet ſit via, crimen habet.

Hæc ſunt oſcula oſoris נשיקות שונא quæ jure merito quis repudiet, ex ſententia Salomonis, *Proverb. cap. xxvij. v. 26.* Huc referendum eſt illud oſculum, quo gladiatores jam jam pugnaturi ſibi valedicebant, quaſi ſcilicet unus alteri ignoſceret, & mortem inferendam vitio non verteret, de hoc agit Tertullianus de reſurrectione carnis, cap. 16. cujus hæc verba: *calicem, non dico venenarium, in quem mors aliqua ructavit, ſed frictricis, vel Archigalli, vel gladiatoris aut carnificis ſpiritu infectum quæro an minus damnes quam oſcula ipſorum?*

2) Ope-

„ Operæ pretium eſt ſcire quæ Franc.
„ Junius ad hunc Locum notavit. Duo,
„ *inquit*, hic calicis genera ponuntur,
„ Venenarium & ſanguinarium. Vene-
„ narius calix ſine ſignificatione præbe-
„ batur, quia mors clam veneno quæ-
„ ritur: ſanguinario ſuæ adjungeban-
„ tur ſignificationes, quibus oſtende-
„ batur qui uſus calicis, quod officium
„ potantis eſſet, qui eventus, & ſimi-
„ lia. Hanc ſignificationem manibus
„ ſolenne fuit dari, & data ſignifi-
„ catione oſculum ab aliis, qui ute-
„ bantur, jungi, quaſi extremum vale
„ dicentibus. Ex eo manus illa *Fictrix*,
„ quæ rem fingeret ſignificaretque ap-
„ pellata, & ambæ manus *Fictrices* la-
„ tinis eleganter dictæ. In hanc ſen-
„ tentiam ſcribebat Lucilius, lib. 9.
„ *Fictrices compono, amplector labra*
„ *labellis.*
„ qui locus plurimum ad hujus eviden-
„ tiam facit. Ex eo calix *Fictricis*, quem
„ *Fictrix* manus præbebat, dictus eſt.
„ Erat autem iſte fictricis calix infectus
„ ſpiritu vel Archigalli, vel gladiato-
„ ris

„ ris, id eſt, furoris ac cædis: ad hæc
„ duo calix fictricis pertinebat, ut ani-
„ marentur μαινόμενοι καὶ ὁπλόμαχοι. *Et po-*
„ *ſtea*: De altero calice, quem fictrix
„ ſpiritu gladiatoris aut carnificis in-
„ fectum dabat; minus eſt controver-
„ ſiæ, nam hac etiam memoria noſtra
„ obſervatur ab iis qui ſæpe duello ex-
„ periuntur, μονομαχοῦσι. Nam pugnaturi
„ & συμπίνουσι, & dextras & oſcula jun-
„ gunt mutuis vulneribus inter ſe con-
„ ciſuri. Et quam vere, obſecro, ca-
„ lix iſte fictricis appellatur. Hæc Ju-
nius. Cato Major, rigidior ille rigidi ſervator honeſti, cenſoria virgula notavit Manlium, eumque ſenatu movit, quod interdiu, inſpectante filia, uxorem oſculatus eſſet, teſte Plutarcho in ejus vita. Μισοφιλήμων nimis ſeverus!

Alii aliorum oſcula ex faſtidio & contemtu rejecerunt, quod εἰς φιλοῦντας indignos judicarent, quos ad illum honorem admitterent. quomodo & Auguſtus L. Tucinio indignatus ſcripſit: Eum parum modeſte feciſſe, quod fi-

liam

liam ſuam Bajas ſalutatum veniſſet. *Sueton. Aug. cap.* 64. Hoc quidem in ſola ſalutatione; quanto magis in oſculo? in Alexandro magno hic faſtus notatus eſt a Plutarcho, cum in convivió quodam bibiſſet, uni eum ex amicis phialam porrexiſſe, qui ea accepta ad aram verſus aſſurrexit, ac cum hauſiſſet, adoravit, & Alexandrum oſculatus, rurſus accubuit. Poſtquam id omnes ordine feciſſent, Calliſthenes phialam cepit, &c., non attendente Rege, ſed cum Hephæſtione fabulante, libit, atque ad ferendum Regi oſculum acceſſit. Demetrius Phidon Regem monuit, hunc unum eſſe qui non adoraſſet, ideoque Alexander oſculum declinavit. Calliſthenes autem alta voce dixit: φιλήματι τοίνυν ἔλασσον ἔχων ἄπειμι. *Uno ergo oſculo minus ferens abibo.* quo facto, Caliſthenes magnam ſibi conflavit invidiam, & in vitæ diſcrimen conjecit.

Elegans eſt illa miſeri bubulci querela, apud Theocritum, *Idyll* 21. qui conſpicatus puellam urbanam, e-

ma

am oſculari volens, ab ea rejectus eſt; non diſſimilis aſino Æſopico, qui, exemplo canis Melitei domino blanditurus fuſtibus exceptus. Sic ait Βουκολίσκος:

Εὐνίκα μ' ἐγέλαξε θέλοντά μιν ἁδὺ φιλᾶσαι,
Καὶ μ' ἐπικερτομέοισα τάδ' ἔννεπεν, ἔρρ' ἀπ' ἐμεῖο.
Βουκόλος ὢν ἐθέλεις με κύσαι τάλαν; οὐ μεμάθηκα
Ἀγροίκως φιλέειν, ἀλλ' ἀστικὰ χείλεα θλίβειν.
Μὴ τύ γέ μευ κύσσῃς τὸ καλὸν στόμα, μηδ' ἐν ὀνείροις.

Et, *idyll.* 28. quod ὀαριστὺς inſcribitur, puella, oſculo a bubulco accepto, ait:

τὸ στόμα μὲν πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλημα.

Illi autem inſtanti reſpondet:

Καλόν σοι δαμάλας φιλέειν, οὐκ ἄζυγα κώραν.

Mæcenati, allium comedenti precatur Horatius, Epod. 3.

Manum puella ſuavio opponat tuo,
Extrema & in ſponda cubet.

Sempronia Gracchorum ſoror, uxor Scipionis Æmiliani, cum eam Senatus, populuſque Romanus cogere vellet, ut Equitio, cui Semproniæ gen-

tis

tis falſam jus quærebatur, tanquam filio fratris ſui, oſculum daret; illum e tenebris protractum, execrabili audacia, ad uſurpandam alienam propinquitatem, tendentem repulit, ut ait Valerius M. *lib.* 3, *cap.* 8. Feſtivum eſt quod narrat Gaſpar Bruſchius, *tom.* 1. *de Epiſcopatibus Germaniæ.* Fridericus Epiſcopus Spirenſis Eliſabetham Rodolphi I. ſive Habsburgenſis, Imperatoris Rom. uxorem e curru excipiens (forma ipſius inductus) oſculatus eſt. Imperatrix vero talis oſculi impatiens, apud Imperatorem de Epiſcopi laſcivia conqueſta eſt. Imperator Epiſcopo nuntiari juſſit: *Se ſibi ſoli hoc pacificale oſculandum comparaſſe, quod ſi ipſe quoque oſculari vellet, proprium ſibi pacificale quæreret, non alienum & ad ſe non pertinens oſcularetur.* Piſiſtratus uxori, moleſte ferenti quod Thraſybulus filiæ oſculum dediſſet, ſuaviter reſpondit: *Si amantes odio proſequimur, quid iis faciemus qui nos oderunt?* Filiam porro Thraſybulo, bonis avibus, uxorem dedit. quæ hujus oſculi dulciſ-

ſima

ſima. & feliciſſima merces. quo etiam tanquam in bono ac fauſto omine hanc de oſculis exercitationem finio.

FINIS DECADIS PRIMÆ.



INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A.

ABaris. pag. 10, 11
Abigail. 153
Abiulom. 393
Achabus. 133, 301
Achan. 234, 235
Æmylius Paulus. 130
Æſchines. 135, 136
Æſopus. 281, 282, 303
Ætates mundi quatuor. 73
Ageſilaus. 372
Aharon. 337
Alanus Charterius. 360
Allium. 374
Alexander M. 78, 93, 140, 347, 397
Alphonſus. 374
Amazonum fabula. 32
Amicitia. 312
Anacharſis. 19, 55, 60, 281
Anaximenes. 217
Ἀνθρωποθυσία Scytharum fabuloſa. 59
Animæ immortalitas. 37, 38
Animalia quatuor Danielis. 63, 65, 82
Anſer avis. 159, 160. Poëta. 161

Aoriſtus pro pluſquam perfecto 237
Apollo. 27
Aqua rerum principium. 38, 39, 296, 297
Aquila inſigne Imp. Germ. 103, 104
—— avis. 163
Archytas. 119
Ariopharnes. 144
Arioviſtus. 96
Arius. 127
Arminius. 96
Aſini nulli in Scythia. 29. Aſinus Æſopicus. 398
Aſtypalæa. 168
Ateas. 45
Attilæ pictura. 6. gladius. 25. extiſpicium. 43. augurium 45. occurrit illi Leo papa. 79.
Auguſtus. 96, 97, 144, 164, 216, 217, 396
Auguſtulus. 97, 98
Auris 377, 378, 379
Autographa Moſis & Prophetarum. 202, 203. Joh. Euang. 202

Baccha-

B.

Bacchanalia.	60
Bacchus.	35
Barba.	374, 375
Barbariſmus.	58
Baſium.	331
Bellum.	272
Beza.	137, 177, 178
Bias.	301
Biblia Hebraïca.	176
Bigod.	370
Bion Boryſthenites.	19
Boëthius.	158
Brutus.	258, 386

C.

Cadmus.	347
Caligula.	362, 366, 368
Calliſthenes.	397
Calumnia.	157
Canis.	162, 371
Cannenſis clades.	249
Carmina.	292, 293

Carolus M. 102

Carolus Stultus. 369

Cato. 302

Ceres. 32, 33

Chilo. 300

Chriſtiani Pellam migrant. 271

Cicero. 136, 154

Ciconiæ augurium. 44

Cinna. 258, 259

Clava. 154, 155

Claudius Imp. 143

Cleobulus. 300

Clepſydræ. 217

Codices vetuſti non vetuſti. 201, 202

Comoſicus. 13

Conſtantinus M. 98, 99

Conſus. 121, 344

Corvus. 171

Cottabus. 387, 388

Cotys. 20, 21, 22, 40

Craſſus orator. 165, 166

Cuniculus. 163

Cuperus. 115, 116

Cupido alatus. 124

Curcellæus. 186

Cyri mors. 48

Da-

D.

DAgon. 344
Daniel. 222
Darius Hyſtaſpis. 45, 46, 92
Democritus. 257
Declamatores. 307
Δέησις. 314. & ſeqq.
Demoſthenes. 135, 136
Deucalion. 8
Diana. 30
Diceneus. 11
Diescivilis. 216. diei diviſio 216
--- 223
Diocles. 372, 373
Diocletianus. 368
Divinatio ex virgis. 42
Dœgus. 157
Druſus. 248, 249, 254

E.

EBrietas Græcorum. 60
Εἶ apud Delphos 281
Ennius. 158

Ἔντυξις. 321. & ſeqq.
Epheſi templum ab Amazonibus conditum. 32
Equi apud Zachariam, 77, 83
—— hinnitus. 46. 47
Equites della banda, 374
Eſavus. 333
Eurydice. 17
Extiſpicium. 43

F.

FAbius Max. 122
Fama. 129, 130
Ferdinandus Epiſcopus Paderborn. & Monaſt. 96
Fortitudo. 47
Franciſcus Philelphus. 105, 106
Fridericus II. Imp. 370
—— Epiſcopus Spirenſis. 399

G.

GAlba. 143, 144
Galilæa prophetas habuit. 5
Gaſpar Vega. 176

rη. 267, 268
Germani. 93
Gladius cultus. 23, 24
Gorgonia. 326
Guilielmus Auriacus. 143
Guſtavus Adolphus. 348

H.

HEbræorum ſtatus. 91
Hedera. 158
Helius Eobanus Heſſus. 152, 158
Henricus VIII. Angl. R. 371
Hephæſtion. 140
Heraclides Ponticus. 19
Heraclitus. 106, 120, 323
Hercules Ogmius. 135, 149, 150
Hippias. 287
Hipponax. 158
Hiſpania. 170
Horæ Judæorum & Romanorum. 215
—— æſtivæ. 216. hybernæ. 217
Horologia. 216

I.

IAcobus I. Magnæ Brit. Rex. 144
Idathyrſus. 54
Ignis rerum principium. 38, 39
Imperii Rom. latitudo. 93, 94, 95
—— Finis. 97, 98, 99
Infantes. 350, 351
Joabus. 374, 393
Joſephus patriarcha. 362, 363
Judas. 387
Julia Cæſaris F. 61
Julius Cæſar. 347, 386

K.

ΚΑταγλώττισμα. 381
Κόσμος. 269
Kus. 333

L.

LAbratum. 364
Leges. 55
Leo Papa. 79

Lepus. 163, 164
Lex tribunitia. 257, 258
Ligarius. 136
Limen. 344, 345
Livius. 151
Longobardia. 101
Lotus. 124
Lullius. 306
Lutherus. 152, 326
Lydia. 133

M.

Magia Abaridis. 11
—— Orphei. 18
Μανδαλωτόν. 382
Mardochæus. 369
Margarita Galliæ Regina. 360
Marcus Manlius. 162
Mars. 23. & ſeqq.
Martinus Schenckius. 159
Martyres. 351
Maſorethæ. 175
Maximinus. 368
Mecænas. 247, 248
Melanchthon. 178

Mendoza. 101, 102
Menenius Agrippa. 153, 154
Mentagra. 356
Meſſus odoratus. 145
Milleſius. 181
Mirjam. 337
Monarchiæ quatuor. 71, 72, 76
— Vox quid notet. 88, 89
Monica. 357
Μωρία Chriſti Euangelium. 270
Μωρὸς, μωρεγίνω. 273, 274
Moſes. 337
Mulieres Romanæ. 357, 358
Muretus. 373
Muſica Scytharum. 45

N.

NAbuchodonoſori ſomnium. 73, 79, 80
Neccus. 34
Necromantia. 17
Nero. 362
Neſtor. 125
Noctis diviſio. 215
Numerus quaternarius. 84, 85. ſeptena-

ptenarius, 284. Octonarius, Novenarius, Denarius. 86, 87
Νύσσω, κατανύσσω. 132, 133

O.

Octavia. 135
Odoacer Rugus. 97, 98
Olla. 375, 376
Origenes. 360
Orpheus. 16, 17, 18
Oſculum. 333, 334

P.

Papæ Rom. Monarchia. 100
—— oſculum pedum. 398
Papyrius prætextatus. 122
Paraſceve. 228. literalis. ibid. myſtica. 230
Pattalorinchitæ. 140
Paulus Apoſtolus. 323
Periander. 300
Pericles. 134
Perſæ. 121
Perſeus. 367

Phi.

Philippus II. Hiſp R. 348
Philoſophi. 277, 278
Pietas in parentes. 53, 54
Piſiſtratus. 399
Piſo. 263
Pittacus. 117, 301
Plato. 125
Poëtæ. 291, 292
Pompejus. 122, 255, 256
Προσδοχή. 317, 318
Προσκυνεῖν. 342
Pruſias. 346
Pythagoras. 9, 84

R.

REgiomontanus. 178
Rolandus. 178
Rollo. 370
Roſa. 126
Roſcius. 154
Rudolphus I. Imp. 144, 399
Rudolphus II. 101. 102

Sal.

S.

SAl. 269
Salluſtius. 305, 310
Salomo. 143, 302, 311
Samuel propheta. 362. Bar Abraham. 176
Sapores Perſarum Rex. 6
Saturnus. 35
Scandalum Judæorum. 270
Scipio Naſica. 217
Scribæ 253, 254
Scriptio per notas. 197, 200
Scythiſmus. 57, 58
Sempronia. 398, 399
Seneca. 307
Sententiæ. 304, 305
Serpens. 145, 146
Sigæum. 140
Sigla. 197, 200
Silentium. 117
Sinenſes. 95
Situla. 141
Smetius (Joh.) 115

Socrates. 118, 288
Solaria. 216, 217
Solimannus. 103
Solon. 56, 292, 301, 324
Sophiſta. 293
Stilpo. 374
Storge. 143, 144

T.

TArentum. 245
Taurus mons. 163
Temperantia. 50
Terentum. 245
Thales. 292, 295, 296, 301
Therſites. 160
Thraces. 9
Thraſybulus. 399
Tiberius. 356, 361
Timotheus. 323
Trajanus. 362
Turcæ. 362
Turnus Rufus. 256
Tyrannus. 151, 152

V.

VAlens. 265
Varro, unde? 248, 259
Varus. 96, 97, 147
Vatinius. 217
Venti. 26. Auſter, Boreas. 40, 41
Veſpa, Veſpillo. 259, 260
Vigiliæ. 215
Virgo Sacerdos. 4
Uxorum communio. 52
—— Multitudo. 53

W.

WEſtfalia. 96
Winfelt. 96

X.

XErxes. 92

Z.

ZAmolxes. 8, 9, 10, 36
Zeutas. 10

ζῆθι. 219, 220
Zutphanienſe Gymnaſium. 63
Zwinglius. 177

FINIS.

ERRATA.

PAg. 16. lin. 14. ὅμαρ πιῖν. pag. 58. lin. 4. Hellenismus. pag. 185[illegible]10. σπήλαιον ληςῶν. pag. 208. lin. 21. & 25. Crucifige. ibid. lin. 22. fuiſſe. pag. 258. lin. 4. pro tala, lege, lata.

JOHANNIS LOMEJERI

Zutphanienſis

DIERUM GENIALIUM,

SIVE

DISSERTATIONUM PHILOLOGICARUM

DECAS SECUNDA.

Cum Indice rerum memorabilium.

ZUTPHANIÆ,

Ex officina JOHANNIS vander SPYK, Ordinum & Civitatis Typographi. A. CIↃ IↃC XCVI.

NOBILISSIMO
ATQUE
AMPLISSIMO
URBIS
ZUTPHANIENSIS
Ordini,
Qua
CONSULARI,
QUA
SENATORIO.

IN publica commoda peccare merito videri poſſem, ſi in hujus libri fronte, longiuſcula oratione tempora veſtra, *Nobiliſſimi atque Ampliſſimi Patres*, morari vellem. Paucis itaque me expediam. Fructus ac fœtus & otii & laboris mei, in urbe veſtra, & ſchola illuſtri nati, quo ſe, patrocinium quæſituri verterent, quibus

 bus

[illegible]e in clientelam darem, niſi vobis? Præſertim cum prima hujus voluminis diſſertatio ſpicilegium habeat rerum ab aliis quidem præteritarum, ad laudem tamen & decus urbis veſtræ facientium. Præterea, fidem meam, priore decade publice obſtrictam, quo pacto rite magis atque ordine liberarem? niſi coram Nobiliſſimo atque Ampliſſimo veſtro conſeſſu, cui faſces Reipublicæ, cujus me membrum eſſe profiteor, Deus, ejus Stator & Vindex ſua providentia conceſſit. Ego quidem in toto hoc innocuæ ſcriptionis genere hoc mihi negotii datum credidi, ut bonis placeam & proſim quam plurimis. Invidis & invitis quis ſatisfaciat? Neque hoc ago. Interim animum ſic occu-

patum

patum a miſeriis hujus mundi, & vanitatibus averto. Mala multa me non ſentiente, atque his ſtudiis intento prætervolant. Atque ſic paulatim

Γηράσκω αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Accipite ergo, *Nob: atque Ampl: Patres*, ſerena fronte, quæ ab animo vobis devoto profecta, debita reverentia offeruntur. Deus Opt: Maximus S. P. Q. Zutphanienſi Aras, Curiam, Forum, Focos clementer ſoſpitet. Sic voveo. Zutphaniæ, Ipſis Nonis Maji. A. C. CIↃ IↃC XCVI.

Veſtr: Nobil: atque Ampl:
devotiſſimus

JOH. LOMEJER.

AMICORUM
AD HORUM
DIERUM GENIALIUM
SCRIPTOREM
ΠΡΟΣΦΩΝΗΣΕΙΣ.

I.

INgenii fœtus profers, dum funere proles,
LOMEJERE, tibi maſcula rapta fuit.
Quod Libitina negat tua maſcula penna replebit,
Sic decuit ſera poſteritate frui.
Vivitur in ſobole, & fama eſt poſt fata ſuperſtes;
Et libris eadem fama perennis erit.
Sint libri docti ſenii tua maſcula proles,
Dum fugiunt ævo deficiente dies.
Applaudens famæ voveo tibi fauſta, per ævum
Vive Gregi, nobis, vivito chare, Deo.

ABRAH. BECKER, *eccleſiæ Zutphanienſis Paſtor.*

II.

II.

LOMEJERE, *tuas pridem ſuſpeximus artes,*
Queîs vitam debet BIBLIOTHECA *ſuam;*
Miratique ſumus, quod Te luſtrante, *vetuſto*
E tumulo audita eſt flere ſuperſtitio:
Tunc ſtudio ſtudium decantabamus, & artem
Tam Doctis ſuavem, tam tibi honorificam.
Nunc Genio *indulges* genialiter; *& tua lautas*
Menſa Tibi ſemper præſtat onuſta dapes:
Quin epulis etiam Doctos Saliaribus omnes
Excipis externos, excipis indigenas:
Promus es in cunctos, in nullos condus; ubique
Prodigus. An nunquam, & nullibi parcus eris?
Innumeros decies *convivas jam ſatiâſti.*
Anne iterum excipies innumeros decies?
Crede mihi; Hæc ſuperant privatam impendia ſortem,
Per quæ vel Cinyræ dilapidentur opes.
Hæc ad egeſtatem via lautè ducit; & ipſum,
Cum Genio atque opibus, deſtruit ingenium.
Aſt quid ago? Hæc (reliquos quæ cogit) regula, ſolum
Liberum ab imperio Te dolet eſſe ſuo.
Nam profundis opes, & opum Tibi copia creſcit;

Et genio indulges, ingeniumque foves:
Neſcio quid ſtatuam. Res prodigioſa videtur;
Quam tamen haud auſim dicere prodigium,
Quid ni inter Doctos liceat Te credere REGEM,
Qui ſine ſupplicio prodigus eſſe queat?
Cujus ab ingenio Genius foveatur; & acre
A Genio ingenio exuberet ingenium?
Euge! age, Doctorum REX; *perge ita prodigus eſſe:*
Ingenio & Genio perge favere tuo.
Non tibi erit damno, nec rebus inutile noſtris
Ingenii hoc ſtudium tam geniale tui.

Sic ad genii ſui placitum minus ingenioſe accinebat

HENR. MEILINGIUS *Eccleſ. Groenloënſis Paſtor.*

III.

Magnus Ahaſverus (a) faciens convivia luxu
Imis regificô Principibusque Viris,

Con-

(a) *Eſth.* 1. 3-8.

Continuanſque *dies geniales*, undique menſas
Quæſitis epulis inſtruit ac onerat,
Et feſtum *geniale* agitans *genialiter*, inquit,
Placetis *genium* victibus atque merô;
Sed mala ſit procul hinc ſententia,(b) quæ jubet omnes,
Atque etiam invitos, aut bibebere, aut fugere;
Namque *dies* hi ſunt *geniales*, cogier ullum
Nolo, bibat quisquis pro *genii* arbitriô;
Sic LOMEJERUS *genialis*, & *ingeniatus*,(c)
Hoſpes, te lepidis accipiens epulis,
Largiùs apponit GENIALIBUS hiſce DIEBUS

Con-

(b) ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι. (c) *Pl. Mil.* III, 1. 136.

Conquiſita ſuum fercula per ſtudium;
Nîl præter ſumtus ſibi vendicat Ahaſuërus,
Sed LOMEJERUS vendicat omne ſibi:
Non, ut Ahaſverus, menſas cerealibus implet
Muneribus, ſtomachum nec novitate cibi;
Non hilarat cyathis ſua nec convivia Bacchô,
Queîs meliorem unquam non facies *genium*:
Sed LOMEJERI *genialis* Muſa dat omne
Oblectamentum deliciasque animo,
Hoſce DIES GENII Dictis *genialibus* implens,
Ingenii ut *genium* cuncta patella (d) probet;

Ceu

(d) *ie, pagella.*

Seu Convivator ſcitus dat grata ſapori
Plurima, multorum pectora queîs ſapiunt;
Apponit vario multum diverſa palato,
Seu te ſacra beent, ſive profana juvent;
Cogit ad aſſenſum nec quenquam; volve, revolve,
Quod placet, hoc capias; quod ſapit, arripias.

JOH. FLENDERUS, *Profeſſor & Rector Zutphanienſis.*

IV.

QVi prodeſt aliis, & publica commoda quærit,
Præ reliquis magno debet honore coli.
Ergo tuum propter meritum, celeberrime Paſtor,
Perpetuum toto nomen in orbe feres.
Nam tua mens, doctum complexa fideliter orbem,

Non

Non ſe continuit deſidioſa domi.
Doctus Alexander, *poſt fata ſuprema ſuperſtes,*
Vivit adhuc genio *clarus ubique* ſuo.
Tu quoque perpetuis modo fortunatior avis
Vives, ingenio *clarus ubique* tuo.
Tu reficis, tu docte foves, lapſasque Camœnas
Erigis: ô Phœbi non pereuntis amor!
Te canet Vranie, nulloque ſilebit in ævo
Ingenium docti Calliopæa ſui.
Optima perdocto tu ſcis mandare libello;
Hinc genii *fuerit non ſatis una* decas.
Non ſatis una decas, Batavo probe cognita Rabo,
Illius hanc celebrat Bibliotheca *Viri.*
Nec ſatis illa fuit veterum luſtratio, *ſcriptis*
Quæ quondam doctis eſt celebrata tuis.
Nam tua ſacra patent, totum diffuſa per orbem,
Et tua per mundum Bibliotheca *patet.*
Da fontes mihi diva *novos, dic* Muſa *repente*
Orbis hic ingenii, Vir venerande, patet.

BERNH. PLEGER.
J. U. D.

IN-

INDEX DISSERTATIONUM.

I.

Zutphania. *pag.* 1

II.

Philopatris. 56

III.

In ſeptem ſigilla Apocalyptica exercitatio prima. 80

IV.

In ſeptem ſigilla Apocalyptica exercitatio ſecunda. 140

V.

In ſeptem ſigilla Apocalyptica exercitatio tertia. 249

VI.

De ultimo J. Chriſti paſchate. 275

VII.

De dimiſſione rei apud Judæos. 299

VIII.

VIII.

De notis quibusdam & ſtigmatibus. 328

IX.

De Scribis. 397

X.

Specimen conatuum poëticorum. 447

FINIS.

JOHAN-

JOHANNIS LOMEJERI DIERUM GENIALIUM

Decas ſecunda.

DISSERTATIO PRIMA.

ZUTPHANIA.

ZUTPHANIÆ *nomen: ut Venetiarum, Lovanii, Lutetiæ. Inſula Dei. Inſigne veterum Uſipiorum facinus. Crudelitas Hiſpanorum immanis. Liberata urbs à Mauritio Naſſovio. Engelbertus Schutte annalibus celebratus. S. Walpurgis, Gerhardus de Zutphania, Gerhardus Zerbolt. Error Joh. Iſ. Pontani. Henricus Zutphanienſis martyrio coronatus. Joh. Voorthuſius.*

 Initia

Initia eccleſiæ reformatæ, ejuſque ſynedrii. Paſtorum catalogus: ut & eorum qui Zutphania oriundi in ſcholis Academicis profeſſi ſunt: Gymnaſiarcharum item ſcriptis clarorum. Anagrammatopægnion in nomen Sutfaniæ.

PRimum in hoc volumine locum jure merito obtinet Zutphania. Hanc enim patriam mihi ſemper exiſtimavi; quamvis enim intra mœnia ejus natus non ſim, ſed in agro vicino, parente in arce, & toparchia *Keppelio* (Strada, de bell. belg. dec. 2. lib. 5. male *Eſpellium* dixit) euangelii miniſtro; tamen cum, eo defuncto, ego poſthumus, & vix pede certo terram pulſans, a matre eo delatus, longe plurimam vitæ meæ partem, adverſis & ſecundis rebus jactatus, ut eſt vita hominum, exegerim, mihique hic conſanguineos, affines, amicos, liberos, imo nepotes Dei O. M. benignitas conceſſerit, eam mihi pro natali ſolo ſemper fuiſſe nemo mirabitur.

Nomen

Nomen a ſitu & ſoli natura ſortita eſt, ſive *Zutphaniam*, ſive *Zutveniam*, ſive *Sutſaniam*, ſcribere malis. Ad plagam enim auſtralem jacet, illique in ſuburbano *Nortvania*, **noortveen**/ oppoſita eſt. Solum autem molle ac paludoſum eſt, quale Germani inferiores, *Veenen*, vocant. Mirum, ni & hinc *Venetiæ*, urbs, quam vidit *Neptunus toto ponere jura mari*, nomen acceperint; Nam illo fere tractu Italia molliſſima eſt, ut ait Florus, *lib*. 3. *cap*. 3. imo & Brabantorum *Lovanium*: teſtis mihi Lipſius, in poſtremo ſuo ſcripto, quod cygneæ cantioni recte comparavit D. Heinſius:

Sic ſua fatalis periturus margine ripæ
Cantat, & ipſe ſibi funera poſcit olor.

„ hic autem, lib 1. cap. 2. ſic ſcribit:
„ Nomen ab ipſo ſitu lingua noſtra in-
„ ditum olim huic tractui. Eſt ad ori-
„ entem, quo nunc imus, ex adverſo
„ ecce, collis & ſylva iſta: quam *Lo* e-
„ tiam nunc vocant, & *Lobergh*, & *Lo-*
„ *boſch*: eſt & ſubjecta illa pulcherrima
„ planicies, ad flumen, quam vetus lin-
„ gua Vên dixit. Inde *Venæ* Batavorum

„ etiam hodie, unde ceſpes ille uſtilis „ eruitur, & ſuperioribus annis, certo „ comperi in pratis hic Martinenſium, „ quæ vocamus, idem genus eductum. „ Ergo *Iovanium*, ſive ut vulgata & ve- „ ra vox eſt, *Loven*: dictum quaſi *Lo-ven*, „ humida planicies iſta *Loa* ſubjecta. quo- modo & *Pariſiorum Lutetia*, a *Luto* qui- buſdam dicta videtur, propter vicinas paludes, quarum apud Cæſarem, *lib*. 7. *de bello Gall*. mentio eſt: earum hodie- que, ut ferunt, memoriam ſervante fo- ro primario, quod *Marchopalus* dictum, q. d. forum paludoſum, teſte Sincero, *Itinerar. Gall. pag*. 194. Non inepte ergo Zutvania noſtra *Notelopolis*, a viro quo- dam docto appellata eſt. Fridericus Sandius, in ſylloge ab Ant. Matthæo edita, *epiſt*. 166. ſcribit Iſ. Pontano. Se opinari Zutphaniam *Inſulam Dei* di- ctam fuiſſe, eo quod clientelæ, quas Herbernus ab Arckel a Comite Gelriæ perpetuo poſſidendas jure *inſulæ Dei* recognoſcit, in ſubſequentibus inveſtituris dicuntur conceſſæ **ten Zutphenſchen rechten**, fatetur tamen Sandius ſe hic

iri-

ἐπέχειν, donec ex aliis rerum & temporum circumſtantiis plenius inſtructus fuerit. Videatur idem Sandius *in conſuet. feudales, tract.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 22.

Non recoquam ea, quæ de noſtræ urbis conditione, ædificiis publicis & privatis, regimine item politico & eccleſiaſtico congeſta ſunt a rerum Belgicarum, & Gelricarum ſcriptoribus obviis: *Guicciardino*, *Laetio*, *Schookio* in Belgio fœderato, *Pontano* in hiſtoria Gelrica, *Lindebornio* in hiſtoria Epiſcopatus Daventrienſis. Utinam lucem videant, quæ longo tempore, exacto judicio, pertinaci diligentia ex archivis & ſcriptis authenticis, indefeſſo labore collegit vir Nobiliſſ. & Ampliſſ. *Gerhardus Kreynck*, per annos, quod rariſſimum, quinquaginta civitatis noſtræ conſul meritiſſimus, μακαρίτης! Sæpe miratus ſum neminem ſcriptorum, qui res Zutphanicas attigerunt, meminiſſe inſignis illius Uſipiorum, quos Zutphanienſes fuiſſe docti plerique omnes judicant, facinoris, quod Corn. Tacitus in vita Julii Agricolæ, cap. 28. enarrat: *Eadem,*

dem, inquit, *æſtate cohors Vſipiorum per Germanias conſcripta, in Britanniam tranſmiſſa, magnum ac memorabile facinus auſa eſt. Occiſo centurione ac militibus, qui ad tradendam diſciplinam immixti manipulis exemplum & rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus aſcendere: & uno remigrante, ſuſpectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum provehebantur. mox hac atque illa rapti, & cum pleriſque Britannorum ſua defenſantium prælio congreſſi, ac ſæpe victores, aliquando pulſi, eo ad extremum inopiæ venere, ut infirmiſſimo ſuorums, mox ſorte ductos veſcerentur. atque ita circumvecti Britanniam, amiſſis per inſcitiam regendi navibus, pro prædonibus habiti, primum a Suevis, mox a Friſiis intercepti ſunt. ac fuere quos per commercia venumdatos, & in noſtram uſque ripam mutatione ementium adductos, indicium tanti caſus illuſtravit.* Res bello Hiſpanico geſtas Everhardus Reidanus, Emmanuel Meteranus, aliique hiſtorici ſcriptis ſuis inſeruerunt. Quam immanem crudelitatem hic exercuerint Hiſpani, anno 1572. ex lib. 2. ſylv. Hug. Grotii, Borrium laudantis, audire juvat: — *Nil*

—— Nil patre mitior Alba
Filius, in pariter trepidos tulit arma Sicambros,
Namque illos etiam, quosque alluit Iſala campos
Traxerat in partes magis imprudentia vulgi
Quam patriæ cordatus amor: didicere quid eſſet
Non bene firmato meditari pectore bellum
Zutphaniæ cives. nusquam crudelius actum.
Ingenii certamen erat, quæ pœna placeret,
Qua ſibi ſemanimes ſupereſſent morte negata.
Heu quot ubique ruunt utriusque cadavera ſexus!
Vxoresque virûm, pueriqne ante ora parentum!
Iſala fert primos, & corpora prima ſecundos;
Credimus, an mendax augendæ fama laboras
Invidiæ, ut ſteterit congeſtis ſtragibus amnis.
An prope vera fuit: niſi (quod puto) gurgite pleno
Prorumpens feciſſet iter ſibi ſanguis, & una
Hærentes traxiſſet aquas, ſecumque tuliſſet.

Dehinc urbs a Mauritio Naſſovio, anno 1591. die. 30. May, recepta, & fœderato Belgio reſtituta, qua de re idem Grotius cecinit:

Acceſſit titulis etiam Zutphania noſtris,
Non niſi Mauritio Principe digna capi.
Spe nihil eſt citius, tamen hanc Victoria vicit;
Obſediſſe grave eſt credere, Victor erat.

Inter bello claros hic nobis recenſendus *Engelbertus Schutte*, qui in bello Germanico, ſub auſpiciis Haſſiæ Lantgravii militans, virtutis ſuæ documenta dedit, ejusque non ſine honorifico elogio meminit Sandius, *hiſt. Belg. lib.* 9. ad annum, 1626. in expugnatione arcis Lechoe, in India Orientali. Et Aitzema, *hiſt. lib.* 6. Hunc ſenem podragricum ſæpius me vidiſſe, & cum eo ſermones familiariter ſeruiſſe memini.

Majores noſtri, ſub tenebris papatus, præcipuam urbis ædem Walpurgi dicarunt, cujus, *in choro virginum*, *lib.* 2. *epigr.* 9. quaſi in tumulo perenne oleum, ſi credere fas eſt, ſudantis, meminit Bidermannus Jeſuita:

Qua Walpurgis habet ſepulta tumbam,
(ô tumbam nimis, ô nimis beatam!)
Illic marmore manat e perenni,
Imo e virgine condita, perennis
Nimbus perpetuæ ſaluber undæ, &c.

Animus nunc eſt catalogum contexere eorum, qui vel voce viva, vel inſuper ſcriptis Eccleſiæ Chriſti, ſcholisque præfuerunt & profuerunt, tum in hac urbe

noſtra,

noſtra, tum extra eam, hinc tamen oriundi. Eccleſiaſticos in duas claſſes diſpeſcimus; In priori claſſe cenſebimus eos, qui ante reformationis tempora, coeleſtis veritatis teſtes, ſub ipſo papatu fuerunt; in ſecunda eos qui poſt exortam euangelii lucem floruerunt. In priori ergo claſſe primum locum tuebitur *Gerhardus de Zutphania.* Ejus autem nominis duo fuerunt, quamvis unius tantum meminerit Joh. Iſacius Pontanus. Confuſionis hujus cauſa eſt tum ὁμωνυμία, tum vitarum συγχρονισμός. Eorum tamen alter cognomento *Zerbolt* inſignitur. Diverſis item locis habitarunt, cum alter Theologus fuerit Colonienſis, & in elencho ſcholaſticorum, qui in Magiſtrum ſententiarum commentati ſunt, recenſeatur ab Ant. Poſſevino, *biblioth. ſelect. lib.* 3. *cap.* 15. Alter autem, contemplativæ vitæ addictior, Daventriæ in domo D. Florentii vixit. Prioris elogium, ex catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum Abbatis Spanheimenſis, hoc eſt: Gerhardus
„ Zutphanienſis, natione Teutonicus,
„ vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & e-

„ ruditus, ſecularium quoque lite-
„ rarum non ignarus, ingenio ſubti-
„ lis & clarus eloquio, nec minus con-
„ verſatione quam ſcientia ſcripturarum
„ præferendus. Edidit quædam ad eru-
„ ditionem devotorum fratrum pertinen-
„ tia opuſcula, quibus nomen ſuum cum
„ gratia tranſmiſit ad notitiam poſterita-
„ tis. Equibus vidi tantum *de reformati-*
„ *one interiori*, *lib.* 1. Homo quidam de-
„ ſcendit. *De aſcenſione ſpirituali*, *lib.* 1.
„ Beatus vir cujus eſt. *Sermones varios*,
„ *lib.* 1. De cæteris nihil reperi. Ex
„ ſcriptis ſuis apparet, eum virum de-
„ votum & religioſum fuiſſe, & alicu-
„ jus ordinis, quanquam ignoretur a no-
„ bis. Sunt vero qui ſcribant eum ca-
„ nonicum fuiſſe regularem, quod ve-
„ riſimile tranſimus. Claruit in Gymna-
„ ſio Clonienſi, & varia ſcripſit. Cre-
„ ditur floruiſſe circa annum Domini
„ 1390. Hæc Spanheimenſis.

De Poſteriori ſcil: Gerhardo Zerbolt ex Jac. Revii hiſtoria Daventriæ, *lib.* 1.
„ *pag.* 36. hæc damus: Is Zutphania or-
„ tus, in adoleſcentia varias ſcholas quam
„ dili-

„ diligenter viſitavit, cumque ſe ſtudiis
„ totum dediſſet, etiam Daventriam ac-
„ ceſſit, ibique inventis fratribus domus
„ D. Florentii, ipſo Florentio firmiter
„ adhærere cœpit, ac in ejus familiam
„ adſcribi, aſſumpto preſbyteri titulo.
„ cumque lectioni bonorum autorum,
„ præſertim ſacrorum voluminum, præ-
„ reliquis ardenter incumberet, præfe-
„ ctus eſt colligendæ & adornandæ bi-
„ bliothecæ, quam in eadem domo ſa-
„ tis pro eo tempore luculentam nobis
„ reliquit, libros haud paucos ſua ma-
„ nu ſcripſit; multos etiam exteris libe-
„ raliter conceſſit, nihil impenſius ur-
„ gens, quam ut ſacræ ſcripturæ inda-
„ gandæ inſudarent, quam plus prædi-
„ care ac docere ajebat, quam ipſe, vel
„ ſui exprimere dicendo poſſent. ****.
„ Scripſit imprimis libellum ſuper modo
„ vivendi devotorum hominum ſimul
„ commorantium. Ex eo quædam poſt-
quam deſcripſit Revius, addit duo ex-
cerpta e membranis bibliothecæ Daven-
trienſis ex libello Gerhardi Zerbolt, de
libris Teutonicalibus, 1. de utilitate le-
ctionis

ctionis ſacrarum literarum in lingua vulgari. 2. de precibus vernaculis. Pergit Revius, pag. 60. *Scripſit hic noſter præter jam dicta, & alia quædam, ſub his titulis:* Tractatus de veſtibus pretioſis. In quendam inordinate gradus eccleſiaſticos, & prædicationis officium affectantem, cujus initium: *Conſulit quidam Clericus.* Deinde addit duos illos tractatis, quos Spanheimenſis alteri Gerhardo de Zutphania adſcripſit, ſcil: *de ſpirituali aſcenſione, Et de reformatione virium animæ.*
„ Subdit tandem Revius: Meminit ejus
„ præter Kempenſem Trithemius, &
„ ex eo H. Hamelmannus de illuſt. Vi-
„ ris Weſtphaliæ, lib. 1. item Chriſti-
„ anus Maſſæus, in Chronico, ad an-
„ num 1397. & Valerius Andreas Deſſe-
„ lius, I. C. Biblioth. Belg. obiit anno
„ Chriſti, 1398. ætatis ſuæ 31. Cum
„ miſſus ad Abbatem in Dickeninge,
„ decretorum doctorem, cum quo ſæ-
„ pius de caſibus juris agere conſueverat
„ revertens de via Winſemi pernoctaret,
„ ubi & vitæ finem & ſepulchrum inve-
„ nit. Atque hactenus quoque Revius.

Poſt

Poſt hos Gerhardos, qui ante reformationis tempora vixerunt ſequitur claſſis ſecunda, inde a παλιγγενεσία doctrinæ cœleſtis exordium ducens. Ubi imprimis occurrit *Henricus Zutphanienſis*. Interfuit hic conventui Anabaptiſtarum, celebrato in ea Weſtphaliæ parte, in qua eſt oppidum Boeckholt, ubi de concordia inter ipſos ſtatuenda actum fuit, multum hic laborante, & ſcribæ munere fungente Davide Georgio, ut in vitæ hujus hiſtoria, a Jacobo Revio edita, *pag.* 14. 15. narrat Nicolaus Blesdikius. Henricum autem horum fanaticorum erroribus nuntium miſiſſe, facile colligere eſt, tum ex martyrio, quo, apud Ditmarſos propter teſtimonium Euangelicæ veritatis coronatus eſt, quare a Foxo & Gyſio in martyrologiis, a Sleidano in *lib.* 4. commentariorum celebratur; tum ex honorificentiſſimo teſtimonio, quo ab orthodoxis ornatus eſt. Forte huic applicari poſſit judicium quod de Caroloſtadio pronunciat Giſb. Voetius,
„ *diſp. ſelect. tom.* 2. *p.* 1136. 1137. In-
„ venio illum nimia & imprudente cum
„ Anaba-

„ Anabaptiſtis quibusdam, forte tunc
„ ipſi non ſatis notis, familiaritate, κακοζηλίᾳ
„ Anabaptiſtica, in nonnullis ex-
„ ternis, occaſionem ſiniſtræ huic ſu-
„ ſpicioni dediſſe; poſtea, Dei gratia,
„ prudentius egiſſe & ſe purgaſſe.

Quia autem apud Bremenſes Henricus primus fuit Euangelii inſtaurator, labores ejus & martyrium commemorat David Paræus, epiſtola dedicatoria ad Senatum Bremenſem, præfixa commentario ſuo in priorem epiſtolam ad Corinthios. Itidem Wilhelmus Zepperus, Theologus Herbornæus, dedicatione Sylvæ Homiliarum in textus Dominicales, ad eundem Senatum Bremenſem. Imprimis David Chytræus in Chronico Saxoniæ, part. 1. lib. 7. ex quo quædam deſcribere non piget: *Prima*, inquit, *inter cæteras Saxoniæ inferioris urbes, Pontificiæ religionis mutationem, Bremenſis civitas admiſit. ubi rogatu quorundam piorum, ac nominatim Henrici Eſichii Senatoris*, Henricus Zutphanienſis, *monachus Auguſtinianus, recens Antwerpia ex carcere elapſus, Wittebergam ad Lutherum directo itinere,*

Bremam

Bremam tranſiens, primum in ſacello prope S. Anſgarium, deinde in templo Anſgarii biennium concionatus eſt. Eo autore Jacobus Præpoſitus, Theologiæ Licentiatus, Auguſtinianus Antwerpienſis, qui itidem ad Lutherum ex Belgico ſe contulerat, & quem toto vitæ tempore poſtea Lutherus inter præcipuos amicos coluit, Bremam vocatus in templo Mariano, & paulo poſt Johannes Timannus Amſterdamus, vir eloquens, in æde Martini paſtor conſtitutus eſt, qui anno 1525. *demum Pontificias Miſſas, in omnibus parochiarum & monaſteriorum templis, ſolo cathedrali excepto, aboleverant.* Sutfanienſis *vero, audiens in Dietmarſis januam Euangelio apertam, & a paſtore Nicolao Boro, & parochianis in Meldorp, ſinceræ doctrinæ cupidis, vocatus, iter illuc inſtituit. Quod cum Archiepiſcopi officialis, vafer & impius, per proditores ſuos, exploraſſet, captum in Dietmarſia crudeli ſupplicio Heidæ affecit. cujus martyrii hiſtoriam Bremenſibus inſcriptam, Lutherus edidit: & memoriam ipſius, in carmine de impoſitione manuum Phil. Melanchthon honorifice celebravit.* Hujus carminis partem, quæ de *Henrico* noſtro agit,

quia

quia in paucorum manibus eſt, ſubjiciam. legitur inter ſcripta publica in Academia Wittebergenſi propoſita, tom. 3. in anno 1559.

Noſtra etiam vidit, quanquam infœliciter, ætas
Qui vitæ Chriſtum præpoſuere ſuæ.
Hic ubi diviſo Batavorum eſt inſula Rheno,
Sudvaniam *in ripa, dure Sicamber, habes.*
Hæc tulit Henricum civem, *quem vidimus ipſi,*
Florentem ſtudiis, ingeniisque bonis.
Hic toto Chriſti ſpirabat pectore amorem,
Cui ſtuduit vera reddere vota fide.
Eximiaque ſuos mores pietate regebat,
Virtutum exemplum poſſet ut unde capi.
Quicquid id eſt, quod de natura Græcia ſcripſit,
Artibus excultus norat & ille bonis:
Quas teneat metas dum totum perficit annum,
Aureus obliquo Phœbus in orbe means.
Longius a terra cum ſummo tardus in axe,
Volvitur, arentes cur premit æſtus agros.
Cur quoties imo velocior ibit in axe,
Et propior terræ frigida bruma venit.
Hæc ita contemplans autorem agnoſcere juſſit,
Et pura grates dicere mente Deo.
Hæc, ait, oſtendunt nobis illuſtria ſigna,
Æterna mundum non ſine mente regi.
Altera ſed potior fuit illi cura, tenere
Extant quæ nobis tradita voce Dei.
Hoc Doctore iterum Bremenſi inclaruit urbi

Unius

Vnius Chriſti munere parta ſalus.
At quia divinos ſtatuis detraxit honores,
Exitium Monachi qualibet arte ſtruunt.
His furiis mitra ornatus dedit arma Tyrannus,
Qui tandem oppreſſum non procul urbe necat.
Hei cur tam ſubito orbata eſt eccleſia tali
Lumine, quo poſthac debuit illa frui!
O dilecte mihi ante alios, Henrice, *laboris*
Nunc partem noſtri te tolerare velim.
Talia præconum quamvis ſint fata piorum,
Membra jacent ſævis & lacerata modis:
Non periere tamen, ſed habent commercia læti
Cum Chriſto, vivis agminibusque Patrum.

Coronatus eſt martyr noſter A.C. 1524. quando crudeliſſimo ignis ſupplicio per biduum cruciatus, animam Deo reddidit die x, vel ut alii xi. die Decembris, *Bucholc.* Ind. Chronol. & *Eberus* in Calendario hiſtorico. Memorabile autem, quomodo ad hujus facinoris vindictam divina ira proceſſerit; Nam in illo ipſo loco, quo Henricus igne crematus eſt, deinde Dietmarienſes, triſti clade affectos eſſe, ex Simone Pauli notavit Richterus, *axiom. eccleſiaſt.* 128. Locum peccati locum pœnæ juſtiſſima fecit divina providentia in pugna Leuctrica apud Pau-

ſaniam; & ingenti gemitu Ariſtobulus ſuum ſanguinem, in ipſis cædis fraternæ veſtigiis effuſum eſſe intellexit, teſte Joſepho, *antiq. Judaic. lib.* 13. *cap.* 19. Interim

Diſcite juſtitiam moniti, nec tangite Vates.

De Johanne Voerthuſio nihil addam, videatur Revii hiſtoria Daventriæ, lib. 3. pag. 327. 328. de hoc etiam, & aliis Pontanus in hiſtoria Gelrica. Poſt pulſos, auſpiciis Principis Mauritii Naſſovii, urbe noſtra Hiſpanos, anno 1591. die 28. Novembris, eccleſiæ juxta normam veri Dei reformatæ Senatus, ſive ſynedrium primo conſtitutum fuit. Ejus membra tum fuerunt *Gerhardus Keppelius*, & *Hermannus Averkampius* Paſtores, quorum prior deinde Wilpam ab ampliſſimo magiſtratu *Daventrienſi invitatus* 1592. diſceſſit; *alter, anno* 1595. *diem obiit.* Herm. Averkampii nomen, tum in claſſe Doccumana Paſtoris, legitur inter eos, qui legationi, ad Eliſabetam Angliæ Reginam, nomine eccleſiarum Belgicarum, mittendæ ſubſcripſerunt. *Borr. hiſtor. Belg. ad annum* 1588. In locum Gerhardi Keppelii Anno 1592. ſucceſſit *Petrus*

trus Gellius Faber de Bouma, Cæterum hic *Petrus Gellius Faber*, natus fuit Gellio Fabro, Bouma cognominato, qui Jelſumi in Friſia occidentali verbi divini miniſterio functus eſt, etiam ante Lutherum, ut Eccleſiarum Belgicarum miniſtri, in literis, anno 1580. ad Patres concordiæ datis, teſtantur, Poſtea Nordanæ in Friſia orientali, tandem eccleſiæ Embdanæ inſervivit, ubi & anno 1564. diem obiit. Atque hic multum una cum Johanne a Laſco, contra Pontificios, David-Georgianos, Mennonitas, etiam ſcriptis laboravit. Hic autem Petrus noſter ſacro verbi miniſterio functus eſt primo in Germania, ſub Electoribus Palatinis Frederico III. & Caſimiro. Inde in Belgium vocatus Neomagi, aliisque in locis docuit, tandem annitente Johanne Comite Naſſovio, Ducatus Gelriæ, & Comitatus Zutphaniæ Gubernatore, anno 1580. quinto die Maji, eccleſiæ Zutphanienſis Paſtor conſtitutus, atque a *Bernhardo Weſekio*, eccleſiæ Daventrienſis Paſtore, miniſterio publice inauguratus fuit.

Anno autem 1583. cum Zutphania noſtra per inſidias a Joh. Baptiſta Taxiſio capta eſſet, Petrus noſter, ſed non ſolus, ſeptem hebdomadarum duriſſima vincula ſuſtinuit; unde liberatus in Friſiam Orientalem vocatus, donec urbe a Mauritio recepta, ad noſtram eccleſiam, quaſi poſtliminii jure, invitatus rediit, ſtrenue rem eccleſiaſticam geſſit, usque ad annum 1604. quando tertio die Auguſti, vitam cum morte commutavit. Hæc de eo ſcribit filius in dedicatoria ad inſtitutiones ſuas catecheticas, Belgice editas. Paſtores deinceps hi ſecuti ſunt; *Guilielmus Baudartius* Deynſanus Flander, Snecanæ primo in Friſia Eccleſiæ Paſtor, hinc ab anno 1604. usque ad annum 1640. noſtræ præfuit. Scripſit annales rerum tum politicarum, tum eccleſiaſticarum, ab anno 1609. quousque Emmanuel Meteranus ſuos produxerat, usque ad annum 1624. incluſive, ut loquuntur. Collegit præterea apophthegmata Chriſtiana, lingua vernacula, ex omnium ſeculorum, a nato Chriſto, hiſtoriis, flores, apis inſtar, delibans.

Emiſit

Emiſit Prodromum ad verſionem Bibliorum Belgicam novam. Edidit & alia quædam minoris momenti, imprimis Horologium Belgicum, & Speculum juventutis, exempla tyrannidis Hiſpanicæ exhibens, de quibus judicat celeb. Theologus Gisb. Voetius, ſelect. diſpp. t. 3. p. 933. *eos libellos eſſe egregios & utiliſſimos, additque turbulentum & ſeditioſum quendam Jeſuitam, auſum fuiſſe autorem, tanquam amneſtiæ, induciarum & pacis publicæ hoſtem ac turbatorem traducere, & hoc prætextu horologium ejus Belgicum impugnare. Sed peculiari apologia ita ei os obſtruxit laudatus modo præſtantiſſimus Theologus & Hiſtoricus, ut poſtea, quod ſciam, mutire auſus non fuerit.* Annales autem a malignis Utenbogardi cavillationibus, vindicavit Triglandius in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica. Præterea concinnavit Baudartius noſter indices, vocum Latinarum, Hebræarum, & Græcarum; autorum item, quæ & qui in notis Junii & Tremellii ad vetus teſtamentum, explicantur & illuſtrantur. qui indices illi verſioni & notis ſubjici ſolent. Deinde in Synodo nationali

Dordracena, habita 1618. 1619. electus fuit una cum Joh. Bogermanno, qui ejus Synodi Præſes fuit, & Gerſone Bucero, ut junctis operis libros V. T. ex lingua Hebraica, in vernaculam transfunderent, in quod opus laudatiſſimum, Gerſone Bucero, dum hoc ageret, rebus humanis exempto, una cum Bogermanno, magna cum diligentia per ſexennium incubuit. Videatur Leusdeni Philologus Hebræo mixtus *diſput. xi.* Baudartii pinacothecam laudat Jonſtonus, *thaumatogr. natur. claſſ.* 7. *cap.* 26. Symbolum ejus, *Labor mihi quies.* Et: *Jehova protector meus*, ita illuſtravit parens meus Joh. Lomejer:

Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo,
Atque labore alitur mens pia, magna, capax.
Et quoniam audentes Deus adjuvat, hoc ego fidens
Pergo, & me Dominus protegit atque juvat.
Hoc Duce ego Herculeos ſubiique, tulique labores,
Hiſtorias, linguas, Biblia ſacra, Deum.

De *Sebaſtiano Dammanno*, Bardartii fidiſſimo Paraſtate, & Achate (qui ut in vita ſua conjunctiſſimi, ita in morte quoque

que non ſeparati ſunt, intra enim hebdomadæ ſpatium, prior Dammannus, deinde Baudartius diem obierunt.) hæc tum ex actis ſynedrii, tum ex Joh. Frederici Bokelmanni laudatione funebri, in obitum Georgii Conradi Cruſii J. U. Doctoris, & in Academia Lugduno Batava Profeſſoris, Dammanni noſtri ex filia nepotis, excerpta damus: Dammannæ gentis authores cum principio civitatis ſimul & arcis Gandavenſis, mox altera ejusdem dignitatis parte in Principes Flandriæ tranſlata, unius arcis Præfecti jure hæreditario eſſent, quos noſtrates Ammannos appellant, gentem ejus nominis, inſignibus quoque arcis ornatam, condiderunt. Extitere ex illa viri pacis bellique artibus clari, domi honoribus, opibus, connubiis: militiæ rebus præclare geſtis, tum vero fide & officiis in Principem inſignes. Præſunt ex veteri inſtituto Reip. Gandavenſi ordine bipartito xxvi. viri, quos Princeps populusque per quaternos quisque legatos, quotannis legere ſoliti fuere, quod à Carolo V. poſtea immutatum.

Dammanni vero per trecentos, & amplius annos, in ampliſſimum illum ordinem, vel ipſi lecti fuerunt, vel alios legerunt. Eſt inter gentis hujus familias cui Biſterveldiæ nomen, ex qua *Hadrianus* ille *Dammannus* fuit, ſociorum nominis Belgici, ad Jacobum Scotorum Regem hoc ſeculo ineunte, legatione celebris, cujus legitur *Bartaſias* ſive de mundi creatione libri ſeptem, ex ſeptimana Guil. Salluſtii de Bartas. Ex hac gente deſcendit Joh. Dammannus, qui ex uxore Beatrice Haſtenia ſuſtulit Gothofredum & filiam Lucretiam. Sæviente interim per Belgium Hiſpanici belli tempeſtate, Lucretiam in matrimonium accipit Cornelius de Bruin Colonienſis. Gothofredus vero uxorem duxit Margaretam van den Hove, Sebaſtiani van den Hove, & Catarinæ Bootiæ filiam, ex qua Antverpiæ, anno 1578. V. Id. Martias ſuſcepit *Sebaſtianum* noſtrum, qui cum unicus eſſet patri filius, primum ſtudiis liberalibus, tum vero medicinæ deſtinabatur. qua tandem deſerta, animum ad ſacra applicuit.

Græcas

Græcas Hebraicasque literas, præceptore Druſio ſupra vulgarem modum excoluit: in Theologicis autem maximos progreſſus fecit: quibus cum inſigni gravitate, erectoque judicio, ſummum eloquentiæ decus ſubſerviit. Anno 1604. ad miniſterium eccleſiæ Zutphanienſis vocatus fuit. Arminii quidem auditor fuerat, ſed integer: calumnias de ſe a Bernh. Forkenbeekio ſparſas diluit, edita *refutatione tractatus Petri Bertii de apoſtaſia ſanctorum*, & libro *de Concordia Reformatæ Eccleſiæ cum Remonſtrantibus*. Celeberrimo concilio Dordraceno, una cum Feſto Hommio, ab actis fuit. Idem concilium Dammannum noſtrum inter VII. viros novæ novi fœderis verſioni recenſendæ nominavit. quid hic præſtiterit, doctæ ejus & accuratæ in nonnullos novi, & qui illis contributi erant Apocryphos libros omnes animadverſiones mss. teſtantur. Inde a Neomagenſibus, etiam ab Amſtelodamenſibus vocatus fuit, in Zutphanienſi autem miniſterio manere maluit. Fervente autem bello Hiſpanico,

 cum

cum Princeps Arauſionenſis in illa Gelriæ parte, quam a reliquo corpore revulſam adhuc tenent Hiſpani, nonnullas expugnaſſet urbes, Dammannus ad eccleſias ibidem conſtituendas adhibetur. quod negotium dum apud Venloënſes exequitur, cum Romanorum ſacrorum propugnatoribus collhiditur, quos tam oratione quam ſcriptis dextre confutavit, *Bernhardo Cruſio* collega, qui poſtea & gener fuit, vicariam operam præſtante. Deinde inſidiis militis Hiſpani correptus, & Gelros veluti in triumphum ductus in vincula conjicitur, indignisque modis excipitur. quam rem cum fœderati Belgii ordines graviſſime ferrent, carcere quidem liberatus, humanius habitus, & aliquando ære ſuo redemptus, ſuis redditus eſt; ſed tamen ab injuriis tam atrocibus nunquam ita convaluit, quin tandem infirmitate corporis ſolutus, anno 1640. III. Non. Dec. & vitæ & malorum diem ſupremum clauſerit. Uxorem habuit Theodoram, Henrici Op ten Noortii Conſulis Zutphanienſis filiam, ex quo conjugio nata eſt

Lucre-

Lucretia, quæ *Bernhardo Cruſio* nupta, præter filias Theodoram, & Gerardam Catharinam, etiam filios Sebaſtianum, & Georgium Cunradum nobis dedit, de quibus paulo poſt dicendum. Hæc de Dammanno paulo latius, in cæteris breviores erimus.

Bernardus Stedemejerus, Brema oriundus, Anno 1600. Daventriæ Rectoris loco Scholam moderatus eſt, teſte Revio, *Dav. illuſtr. p.* 567. deinde ad miniſterium Eccleſiæ Zutphanienſis vocatus, in eo tandem, anno 1619. vitam clauſit. *Henricus Fabricius* hinc ad Leidenſem eccleſiam vocatus, anno 1621.

Gellius de Bouma, Petri de quo ſupra diximus filius, in agro Zutphanienſi, in Hollandia, tandem in ipſa urbe noſtra ſacro miniſterio functus annos quinquaginta quinque, obiit 1658. Ex Germanica lingua in Belgicam tranſtulit Abrahami Schulteti, Poſtillam, ut vocant, Pſalmicam. Maxime autem inclaruit Inſtitutionibus catecheticis, Latine & Belgice editis, quæ in noſtris eccleſiis paſſim manibus juventutis non ſine fru-

ctu

ctu teruntur. *Johannes Bouillet*, cum Warnsfeldenſis Eccleſiæ prope Zutphaniam paſtor eſſet, concilio Dordraceno interfuit, deinde in urbem vocatus, obiit anno 1632. die 24 Auguſti.

Bernardus Cruſius Bremenſis, Georgio Cruſio, & Catharina Nutzhornia, Senatoris Bremenſis filia, natus; cum utroque parente orbatus eſſet, inter tres liberos unus fuit qui patriam & orthodoxam religionem tueretur, duobus fratribus reliquis diverſa ſecutis educatorum quibus traditi erant, ſacra; altero Auguſtanis, Romanis altero ſe addicente: & hic quidem eo progreſſus fuit, ut inter Jeſuitas Agrippinenſes facile princeps habitus fuerit. *Bernardus* noſter mature animum ad ſtudia liberalia appulit. Primum adoleſcentiæ quinquennium philoſophiæ & philologiæ dedit, theologiæ reliquos annos totos, in celebrioribus Germaniæ lyceis Paræos, Altingios, Martinios, Crocios, Crellios ſedulo audivit. Candidatus in Belgium profectus Patres Dordracenos convenit, quorum fere omnium, cujusque manu

in

in albo ſuo exarata nomina, aliaque favoris ſigna abſtulit. Haud multo poſt eccleſiæ Keſtranæ in agro Batavorum præficitur. Hinc Zutphaniam vocatus, uxorem duxit Lucretiam Sebaſtiani Dammanni filiam, ut modo diximus. Obiit anno 1651. 14. Kal. Mart. Lucretia eandem leti viam calcavit pridie Kal. Mart. itaque ſimul illud conjugum par terræ mandatum. *Abrahamus de Roy*, hinc Amſtelodamum vocatus abiit, obiit. *Cornelius Lambergius*, tandem annis morbisque fractus, rude donatus, obiit. *Abrahamus de Matter*, Leidam vocatus abiit, obiit. *Johannes Viſſcherus*, ultra quinquaginta annos tum alibi, tum Zutphaniæ, tandem Amſtelodami miniſterio functus, obiit 1694. Varia edidit ſermone vernaculo, quæ conjunctim Amſtelodami excuſa ſunt. *Burchardus Lomejer*, peſte obiit, 1656. edidit parentis ſui Alberti Lomejeri ſymbola Heroica, cum aliis ejusdem opuſculis poëticis. *Martinus Leo a Coolwijck*, obiit, 1673. *Petrus Ardinois*, Leidam vocatus abiit, obiit. *Henricus de Roy*, Abrahami filius, Hagam comitum vocatus

catus abiit, obiit. *Petrus Plancius*, Rotterodamum vocatus abiit, obiit.

Abrahamus Beckerus, patriâ Veſalienſis ab ineunte ætate ſtudiis humanioribus deditus, cum nondum egreſſus eſſet annum 15. ſtudia in trivialibus ſcholis abſolverat, quocirca Sedanum ad eminentiorem ſcientiæ gradum ablegatus fuit, ubi ſeniorem D. Petrum Molinæum adhuc audivit, cujus ſuaſu, cum per annum illic ſubſtitiſſet, Ultrajectum ſeceſſit, inibique per biennium Philoſophicis & Theologicis ſtudiis intentus fuit. Habitis nonnullis publicis diſputationibus cupiditate allectus alias Academias viſendi, ad Franequeranam & Groninganam ſe contulit. Dein meditans iter in Britanniam, impeditus bello inter Anglos & Belgas exorto, in Germaniam profectus, Heidelbergam adiit, ubi D. Hottingerum, Theologum & Hiſtoricum ſummum Hoſpitem habuit, cum quo familiariter vixit, qui & eum in Theologiâ, hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, & linguis orientalibus maximo cum fructu erudivit. Cujus commendatione porrò

Ba-

Baſileam ſe tranſtulit, ubi more ſolito ſæpe lectiones publicas in Auditorio Theologico dixit. Baſileâ Genevam itum, ibi aliquanto tempore doctorum Profeſſorum collegia Theologica aſſiduè frequentavit. Poſtea denuo ſuſcipiens iter in Angliam, naufragium paſſus. Redux, per Sabaudiæ & Galliæ partes Lugdunum Batavorum pervenit, ubi cum præter propter annum moratus eſſet, lues peſtifera ingruebat, quamobrem deſideratus a ſuis, cum per ſeptennium abfuiſſet, in patriam revertitur. Mox communibus ſuffragiis nemine Presbyterorum Reſſenſium diſſentiente, & unanimiter aſſentiente Magiſtratu, in defuncti Joh. Wilh. Netheni ſenioris Paſtoris locum ſurrogatus fuit. Intra iſtud miniſterii tempus a sereniſſ: Electore Brandenb. Clivos acceſſitur, ut inviċtiſſ: Principis Friderici Henrici quondam honor: Viduæ p. m. concionando inſerviret. Quod dum præſtitum, Illa Hagam Comitis abitum parans, voluit eum Comitem ut Aulicum Paſtorem. Hoc cum percrebuerat, Eccleſiæ Reſſenſis

ſenſis petitionibus defatigatus & inſuper rationibus aliis adductus, ab eâ quàm officioſiſſimè reditum petijt. Quo vix ægrè impetrato cum honorifico donario Reſam dimittitur. Aſt brevi poſt Embricenſis urbis Paſtor eligitur & flagitatur. Quod quidem primò detrectavit, attamen iteratis petitis morem geſſit: & cum aliquandiu miniſterio V. D. ibidem fûnctus eſſet, 19. Januàry 1673. Zutphaniàm evocatus, ubi huc usque eum iſtius ædificandæ Eccleſiæ partes ſuſtinere divinæ gratiæ libuit.

Johannes Vlack, Theodori filius, in Hollandia apud Soetermerianos, deinde apud Purmerendanos ſacro miniſterio functus, hinc anno 1674. Zutphaniam vocatus, obiit 1690. ſcripſit lingua vernacula, *Euangelium æternum: Benedictioinem & Maledictionem: De Sabbatho & die Dominico. Exercitationem ſapientiæ ad ſobrietatem: Calculum album, ſive de juſtificatione: παῤῥησίαν innocentiæ.* Latine autem *dedit Triadem diſſertationum de Dei operum & Pacis fœderibus, atque de juſtificatione.*

Joh. Lomejer, anno 1636. ipſis idibus Sept.

Sept. natus patre Johanne, Euangelii in agro Zutphanienſi miniſtro: Avo Alberto, qui itidem Euangelii primum in Germania, deinde in Belgio, & in comitatu Zutphanico miniſter, varia, lingua Latina & Germanica, ſoluta & ligata oratione, ſcripta edidit. Zutfaniæ prima literarum tyrocinia fecit, Hinc Daventriæ, Ultrajecti, Groningæ, ſcholis Academicis tum illis in locis florentibus, bonis literis imprimis SS. Theologiæ operatus, anno 1656. Zutfaniæ in catalogum SS. miniſterii candidatorum relatus eſt. In gymnaſio Zutphanienſi, tertiæ diſcentium claſſi, anno 1661. præfectus, ſequenti ad conrectoratum, ut vocant, promotus, linguas & artes quæ ad humanitatem ſpectant docuit. hinc ad eccleſiam Dotechemienſem vocatus, triennium illi præfuit. Rurſus ad ſcholaſticum pulverem invitatus, ſcholæ Zutphanienſis Rector difficillimo tumultus Gallici tempore, ab anno 1670. ad finem anni 1674. ejus habenas flexit, quo anno ad miniſterium Euangelii in eadem urbe obeundum legitime voca-

tus, ſtationem hanc pro viribus jam ſexagenarius tuetur. Præterea in ſchola illuſtri bonas literas, & Philoſophiam practicam jam decenium profitetur. Scripſit

De bibliothecis librum ſingularem, editum Daventriæ, deinde Ultrajecti, apud Joh. Ribbium. 1680.

De luſtrationibus veterum gentilium ſyntagma. Ultraj. apud Franc. Halma, 1681.

Obſervationes Analytico-didacticas in cap. xvi. Evangelii ſecundum Lucam, quibus fatum ſynagogæ Judaïcæ ſub Novo teſtamento τυπωδῶς deſcribitur. quæ primo Ultrajecti a Franciſco Halma, deinde auctiores ab Arnoldo Curteniæ Daventriæ typis deſcriptæ, hoc anno 1695. vernaculo ſermone in lucem prodierunt.

Dierum genialium decadem primam, 1694. Et quam nunc legis *ſecundam*.

Johannes Altius, ad Zwollanam eccleſiam vocatus abiit, 1680.

Sebaſtianus Damman Cruſius, filius Bernhardi Cruſii, nepos Seb. Dammanni, de quibus paulo ante diximus, obiit. 1680.

Antonius

Antonius Hoppenbrouwer, ſic ipſe narrat VIII. *Kal. Octob.* A. C. 1646. Arnheimi in Gelria natus, Patre Johanne, territorii Rhedani in Velavia Prætore & quæſtore, qui Theologiæ ſacris cum juvenis operatus eſſet, bellicos propter tumultus, id ſtudium deſerere coactus eſt: Matre Geertruide van Eſſen, ex honeſta & antiqua apud Zutphanienſes familia. Literarum tyrocinia poſuit in urbe & ſchola patria ſub Rectore Philippo Munckero, a quo ad ſubſellia Academica promotus, ad novam Academiam Neomagenſem ſe recepit. Schultingium in literis humanioribus, Wittichium Philoſophiam & Theologiam docentem ſedulo audivit. Hinc Groningam profectus Tobiam Andreæ, Philoſophum, Jac. Altingium, Hebr. Linguæ Profeſſorem, Theologos Abdiam Widmarium, imprimis autem Samuelem Mareſium ſectatus eſt, ſub cujus præſidio publice defendit diſputationem *de S. Matthæo Evangeliſtarum primo*. Dehinc Lugduni Batavorum audivit Abr. Heidanum, Joh. Coccejum, Joh. Valkenerium. Examini præparatorio, ut

vocant, ſe obtulit in Claſſe Zutphanienſi, 23. Oct. 1670. ubi ordini Candidatorum SS. miniſterii adſcriptus eſt. A Bredefordiana Eccleſia tentatus modeſte ſe excuſavit. Poſt migrationem in Hollandiam propter bellum Gallicum, Anno 1676. 26. Septemb. autoritate Synodali ad eccleſiam Lunterenſem in Velavia vocatus, hinc in Hollandiam Borealem ad eccleſiam Wormerverianam tranſlatus eſt. atque hinc A. C. 1680. eum accerſiverunt Zutphanienſes, inter quos adhuc vivit.

Hieronymus ab Alphen, Amſtelodamum vocatus abiit, 1693.

Nicolaus vander Meer, Batavus, (ab ipſius manu hæc ſunt) in tractus Hollandiæ Borealis pago, qui Wervershove appellatur, & Medenblico uno, altero ferè lapide Enkhuſâ diſtat, natus, anno χειϛογονίας CIↃ. IↃ. C. LVI. X. Kal. Novemb. ſtylo Gregor. patre Huberto, dum viveret, demum Vollenhoæ (eſt id Tranſiſulaniæ oppidum) Verbi divini Miniſtro, & Matre Gertrude Maria Bailly. à parentibus Deo dica-

dicatus, & in eam ſpem ſollicito affectu educatus, à teneris animum ſeriis ſtudiis applicuit. Enkhuſam miſſus προπαιδεύματα ſub ductu Pauli Bimanni, Gymnaſii moderatoris indefeſſi, abſolvit; deinde ſub initium anni LXXIII. Lugdunum Batavorum profectus eſt; erat illic eo tempore Lyceum frequentiâ ſtudioſorum florentiſſimum, at quod, partium ſtudio & inteſtinis Fratrum (proh dolor!) diſſidiis fervens, intenſum ejus ad veram ſapientiam proficiendi deſiderium fermè ſufflaminaſſet, ni providum Numen ipſum Hadriano Junio, p. m. viro profundè docto, pio, & in ſ. literis, præſertim propheticis, exercitatiſſimo, Eccleſiaſtæ Leidenſi deſideratiſſimo innoteſcere voluiſſet; qui languentem animum incitavit, hærenti viam monſtrans ad τὴν ἄνωθεν ζοφίαν ἐιρηνικὴν, quæ etianmum ſola placet: in philoſophicis Theodorum Cranen, Gerhardum de Vries, Wilhelmium, Senguerdium audivit: Linguas ſacras & Theologiam ſub Abrahamo Heidano, Spanhemio, Wittichio, Hulſio, & Le Moyne coluit;

luit; donec, abſoluto iſto ſtadio, quantum per turbas Academicas licuit, ineunte anno LXXVII. Zuollæ Canditatorum Miniſterii numero adſcriptus eſt. Mox à ſenatu Archithalaſſico Friſiæ occidentalis publicis litteris petitus, verba Divina pro concione dicendi munus in navi prætoriâ ſibi imponi paſſus eſt, quo ritè per ſesqui-annum, & quod ultra eſt, defunctus, redux, in Gelriam planè præter ſpem & vota, unanimi tamen Eccleſiæ conſenſu & voto Otterloam, vulgò **den aanſtoot** / qui pagus in ſuperiori Velaviæ parte tribus ferè leucis Arenacô diſtat, evocatus, publico Miniſterio inauguratus eſt menſe Martio anni LXXIX. ubi per quadriennium, & quod minus eſt, λόγον ζωῆς ἐπέχων, à Neocleſianis deſideratus, & legitimè vocatus, exeunte anno LXXXII. vocationi paruit; illinc, altero quadriennio, & quod excedit, ſtadii ſui publici decurſo, Agonothetes eum dimiſit Druſiburgum, (eſt id oppidum in Comitatu Zutphanienſi) unde poſt biennium in munere Eccleſiaſtico peractum, menſe Majo

anni

anni LXXXVIII. Veſaliam Clivorum tranſlatus eſt, ubi per quinquennium ferè ſtationem ſacram obivit; interea primò à Dordracenâ anno XCI. deinde ab Amſtelodamenſi Eccleſiâ anno XCIII. deſideratus, & ab utroque ſynedrio legitimè electus fuit; at, Magiſtratu haud annuente, utrobique ſine ulteriori ſucceſſu: donec, ita monſtrante rerum noſtrarum arbitro, Zutphaniam, iſtius Comitatûs Metropolin, vocatus, nutui divino morem geſſit, eoque ſe contulit ineunte anno XCIV. ubi etiamnum σὺν Θεῷ vineam Domini inter ſymmyſtas pro viribus excolit.

Placuit ampliſſimis Magiſtratibus noſtris, ex diſperſione & naufragio Eccleſiarum Gallicarum tabulas colligere, & anno 1686. in urbe noſtra fundare eccleſiam Gallicanam, cujus primus miniſter

Samuel Baſnagius, Flottemanvilleus (*ipſius verba legis*) natus Bajocæ, qui inſignis eſt inferioris Neuſtriæ Epiſcopatus. a teneris unguiculis a parentibus ſuis ſacro miniſterio dicatus, operam Theologiæ dedit. Salmurii clariſſimis docto-

ribus uſus eſt Ludovico Capello, & Moſe Amyraldo. Relicta Salmurio Genevam ſe contulit, ubi ſe eruditiſſimis viris Philippo Meztrezatio, Antonio Legerio, Franciſco Turretino excolendum tradidit. Hinc in Angliam profectus, Oxoniæ ſex circiter menſes verſatus eſt. Reverſus in Galliam parenti ſuo Antonio Baſnagio collega datus Bajocenſem adminiſtravit eccleſiam. Quæ, cum, regio mandato, everſa fuiſſet, urbe patria ejectus, bis in Gallia exilium paſſus, tandem revocato edicto Nannetenſi, quod reformatis totius Galliæ eccleſiis præſidio erat, ſolum vertere coactus eſt, ne religionis conſcientiæque ſuæ proditor fieret. Anno 1685. reparatæ ſalutis, octobris die xiii. Rotterodamum appulit cum uxore, binisque filiabus, parteque librorum, quæ fortunæ lautæ ſatis triſtes fuere reliquiæ. Cum autem venerando pioque Zutphanienſi Magiſtratui, anno 1686. Gallicam placuiſſet in urbe ſua condere eccleſiam, ejus adminiſtrandæ provincia ipſi mandata eſt. quo munere dum fungitur,

ſcriptis quoque ſuis utilitati publicæ inſervire voluit. De rebus ergo ſacris & eccleſiaſticis exercitationes condidit adverſus Baronium, quæ Ultrajecti excuſæ ſunt, anno 1692. Deinde ab eruditis invitatus onus ſibi impoſuit Latine ſcribendi annales politico-eccleſiaſticos, quibus quæ in imperio & eccleſia notatu digniora ſunt ſubjicientur oculis, erroresque evellentur Baronio. Duobus tomis in folio ſexcentos & quadraginta tres annos abſolvit. alia daturus ſi Deus ipſi dederit.

In ſcholaſtico vitæ genere claruerunt Zutphanienſes ſequentes:

Thomas Gyſe, L. A. M. Philoſophiæ in gymnaſio Steinfurtenſi ad paucos annos Profeſſor. Magiſterii gradum ei contulit Jacobus Altingius, habita oratione de promotionibus Academicis apud Hebræos, quæ in Heptade octava, ſecunda eſt.

Engelbertus Engelen, Med. D. filius Gerhardi Engelen, & Aſſueræ Opten Noortiæ. apud Stenovicenſes in Tranſiſalania poliatrum egit, hinc Hammonam Weſt-

phalorum vocatus in ſchola Academica Philoſophiam theoreticam profeſſus eſt, ibidemque obiit anno 1662. Cui Adrianus Pauli Theologiæ in eadem ſchola profeſſor oratione funebri parentavit. Ex idiomate Germanico in Belgicum traduxit *Raimundi Mindereri animi & corporis armaturam, ſive πανοπλίαν bellicam.*

Wilhelmus Wilhelmius, Philoſ. & Theologiæ Doctor, primo in gymnaſio Hammonenſi Philoſophiam & bonas literas, deinde in Academia Gelro-Zutphanica, quæ Harderovici eſt, Theologiam, tandem in Academia Lugduno-Batava Philoſophiam profeſſus eſt. Collegio item Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ Proregens præfuit. Obiit anno 1677. ipſis Idibus Novemb. In Lucem edidit *Διατριβὴν Δεκάφυλον*, ſive, *diſſertationem Hiſtorico Theologicam, de decem tribubus Iſraëliticis ab Aſſyriis in exilium abductis*, diſputationibus aliquot in academia Gelro-Zutphanica, publice ventilatam.

Georgius Conradus Cruſius, Bernardi ſupra memorati filius, J.U.D. in Academia Lugduno Batava Anteceſſor ordina-

na-

narius, in ipſo ætatis flore extinctus, Anno 1676. cui laudatione funebri parentavit Joh. Fredericus Bockelmannus J.C. & in eadem Academia Anteceſſor.

Inter Scholæ Zutphanienſis moderatores ſcriptis nomen ſuum æternitati conſecrarunt Samuel Pitiſcus, & Joh. Flenderus, quorum vitam, ipſis ita deſcribentibus, accipe:

Samuel Pitiſcus, patrem habuit *Samuelem* in Palatinatu inferiore, & ex illo Imperatoris Romani & regis Hiſpani dira immanitate, anno hujus ſeculi ſeptimo & viceſimo profugum in agro Zutphanienſi verbi divini miniſtrum: avum *Georgium* Gymnaſii, quod illo tempore Grunbergæ Sileſiorum erat, Rectorem: patruum magnum *Bartholomæum* Friderico quarto Electori Palatino ab orationibus ſacris & mathematicum inſignem. Poſt patris acerbum exceſſum ſolo, quod a. d. xii. Kalend. Mart. anni ſeptimi & trigeſimi naſcens attigerat, levatus, alteris matris votis Gronloam, ejusdem agri oppidum, infans eſt tranſlatus, ibidemque ſtudiorum ſub Wilhelmo Wolfio ſun-

ſundamentis jactis duodecimum cum explevisſet annum, illorum continuandorum gratia, Zutphaniam miſſus, cum & illic tres & ſi quid amplius exegiſſet annos a Johanne Antonio Bibero Gymnaſii moderatore ad Academica ſubſellia dimiſſus Daventriam properavit, Rutgero Lœnio Philoſopho, Johanni Friderico Gronovio Philologo, Henrico Dieſtio Theologo operam dedit, ibidemque biennio exacto Groningam Friſiorum altiora ſtudia percepturus ſe contulit, & Samueli Mareſio, Abdiæ Widmario, Matthiæ Paſori Theologis clariſſimis per tres ferme annos adhæſit. Illorum ductum ſequutus in re Theologica tantum habuit proceſſum, ut Daventriæ tyrocinio artis iſtius poſito SS. Miniſterii Candidatus ſit renuntiatus. Hoc honore oneratus in Palatinatum ad matrem iterum viduam inviſurus pranſus paratus abiit, & Johanne Henrico Hottingero Senatus Eccleſiaſtici, qui Electoris Palatini juſſu Heidelbergæ cogi ſolet, præſide annitente, Sereniſſimi Caroli Ludovici nomine ad ſacrum miniſterium eſt vocatus. Hanc

con-

conditionem, quia ei, dum continuis fere bellorum motibus Palatinatus concutitur, ad animum non reſpondebat, cum rejeciſſet, Zutphaniam rurſus rediit. Tantum quod urbem ingreſſo claſſem Gymnaſii ſui tertiam, qua homo octogenarius, emeritæ hujus militiæ commoda ut caperet, abierat, D. Scholarcharum opera illi ultro obtulerunt Ampliſſimi Magiſtratus. Sed & hujus procurationem detrectavit, tum quia inviſi illi erant mores diſſolutorum adoleſcentulorum, quos nec mordet objurgatio, nec excitat honor, ſed quos, illiberali quia ſunt mente, ut peſſima quæque mancipia pronus pendens in verbera flagris admonere debet præceptor; tum quia blandæ ſpei acquieſcebat, ſe ad miniſterium ſacrum, ad quod totus ferri videbatur, producendum eſſe. Et ad illud productus fuiſſet, niſi effuſiores largitionis ambitus, quibus illa tempeſtate tranſitum ad illud ſibi parabant plerique, & a quibus ſemper alienus fuit, aliquoties illum repuliſſent, & prodeuntibus etiam temporibus iterum iterumque fortaſſis repellendum eſſe dictitaſſent.

dictitaſſent. Ea de cauſa vitæ genus mutavit, Theologiam deſiit, & ad munus ſcholaſticum a jam dictæ urbis ordine ampliſſimo iterum vocatus ſtudium Philologicum, quod leviori tantum brachio antea tractaverat, repetivit, & ita excoluit, ut cui ipſe Gymnaſii Rectoratus committeretur, dignus viſus fuerit. Quem induſtrie dum agit, nominis ejus fama percrebruit, & ut juvenum in Gymnaſio Hieronymiano literis humanioribus operam dantium ſtudia formaret, illum vocarunt Reipublicæ Trajectinæ Proceres Ampliſſimi. Quæ dum format, ſenſim ſine ſenſu inter Trajectinos ejus ſeneſcit ætas, & ipſe, qui cogat agmen & conſummet atque expleat vitam, diem ſine ſolicitudine exſpectat. interim Groningani Gymnaſii ſui Rectoratum Mobacchii, morte ceſſantem, bis terve ipſi obtulerunt, quos tamen rejecit. Scripſit

Fundamenta Chriſtianæ Religionis in uſum Gymnaſii Zutphanienſis.

Commentarium, cujus jam altera prodiit editio, in *Q. Curtium Rufum*, in

quo

quo Perſarum, Macedonum, Phœnicum, Carthaginenſium, Romanorum, Babyloniorum, Indorum, Athenienſium explicantur antiquitates.

Commentarium in *C. Suetonium Tranquillum*, in quo Romanorum antiquitates perpetuo tenore denarrantur.

Prælo paratum diu habuit *Lexicon Catullo-Tibullo-Propertianum*, quod ut ederet ſæpe numero privatim & publice rogatus brevi edere conſtituit.

Prælo parat *Dictionarium Guidonis Tachardi Latino-Gallicum Belgicæ conſuetudini tradendum*. In illo viri, licet eruditi, nævos quam plurimos fideliter ſublaturum ſe promittit.

Johannes. Flenderus, natus, annô hujus ſeculi LIII. ineunte, Sigenæ Naſſoviorum, Patre *Tilemanno*, Matre *Eliſabetâ Klaſeri*, tirocinia ſtudiorum in Schola patria poſuit, Rectoribus *Herm. Hildebrand*, & *Did. Sagittario*, nunc Cl. Profeſſoribus, annoque 1669. inſigni teſtimoniô (pro laudabili Germaniæ more) ornatus

tus à *Sagittario* ad ſubſellia academica provectus eſt, defunctisque jam Parentibus primùm Hammonam Weſtphalorum ſe contulit, utensque domô Profeſſ. *Niſij* audiit Cl. *Adr. Pauli*, & acutiſſ. *Ab. Gulichium*: Hinc, ſub hoc defenſâ publicè de *accidente* diſputatione, & luculentô diligentiæ & probitatis ab optumo hoſpite *Niſio*, tunc Senatûs Scholaſtici præſide, inſtructus teſtimoniô, ex conſilio ampliſſ. & affinitate juncti *Walrabii* (quondam jur. Profeſſoris, tunc dicaſterii Sigenenſis pro Celſiſſ. Princ. Mauritio directoris) & *Sagittarii*, Bremenſium, menſe Sept. a. 1670. Bremam (cùm in itinere Caſſellis, & Rintelæ academiâ claræ volens commoratus eſſet) profectus eſt, ubi per quinquennium audiit Prof. Theol. *Meierum*, *Flockenium*, *Köhne*, paſtoresque imprimis *Coccejum*, *Unterreichium*, atque etiam *Hipſtedium*, hiſtoricum, & *Alerſium*, hebræa Altingii methodô profitentem, præcipuè verò *Swelingium*, ſaniorem Philoſophum, ſub quo ſtudia philoſophica tantâ diligentiâ provexit, ut ibid. menſe

oct.

oct. a. 1673. eruditiſſimum *Lud. de la Forge de mente humanâ Tractatum Notis* ſeu Summariis *Marginalibus* à ſe illuſtratum, & *indicibus* auctum typis Weſſeli ederet. A. 1675. menſe Aprili, Bremâ, editis publiceque defenſis *problematibus phyſiologicis*, à Rect. magn. *Meiero* rite ornatus teſtimoniô (cùm priùs integrum regio-ſuecicum ducatum Bremenſem, Hamburgum &c. luſtraſſet) Embdam petiit, ubi per trimeſtre è ſuggeſtu egregiè dicentem audiit *Alardinium*: Hinc, ut porro ingenium doctorum virorum colloquiis poliret, Groninganam, Leidenſem (ubi imprimis Doct. *Wittichio* plus vice ſimplici locutus) Ultrajectinam, Teutopolitanam, item Herbornenſem & Marpurgenſem obiter viſit Academias, tandemque denuo adiit Hammonam, iterum auditum *Gulichium*, huicque eruditione ſimillimum *Mommam*, apud quos tam carus atque jucundus fuit, ut intimæ ſemper apud utrumque eſſet admiſſionis: Inde a. 1677. à Perilluſtri ducatûs Cliviæ Elect. Regimine evocatus Clivos, quò altiori, ſc:

eccleſiaſticæ aut profeſſoriæ, cathedræ latorem, deſtinante ceu fatidicô *Gulichii* teſtimoniô ornatus venit, &, oratione in aula Electorali de *Scholarum Studiis* dictâ, cùm annum Gymnaſii egiſſet (ut barbarè dicunt) Conrectorem, 20. Sept. a. ſeq. 1678. per Electorales novas, ut loquuntur, patentes literas cum Adjuncti Rectoris nomine accepit poteſtatem omnes Rectorales exercendi functiones, & poſtea à Dnis Curatoribus ceu Scholarum Rector Præceptoribus & diſcipulis præfectus eſt: Cum jam inſuper Kalendis ejusdem a. 1678. Januariis Illuſtriſſimo Naſſoviæ Principi *Johanni Mauritio* (tum temporis Cliviæ &c. pro Potentiſſ. Electore Gubernatori) invitatus annuô in literis Principis manu & ſigillô corroboratis oblatô ſalariô, omnibus Dominicis aliisque feſtis diebus, in *Bergendael*, tunc amœniſſimâ prope Clivos ſede, aut potiùs jam ſenis Principis quiete, à ſacris eſſe cœpiſſet, ea peragere ſacra continuavit per quadriennium, donec ſc. Celſiſſ. Princeps inter ipſius preces ibidem obiiſſet, & pro

piis

piis gratisque ſedulò præſtitis officiis voluntatem in ipſum gratam & benevolentiam moriens in ſua teſtamentariâ diſpoſitione conceptis verbis ſignificâſſet, præterque datam veſtem lugubrem ducentos imperiales legâſſet. Cùm jam ferè per decennium omnem ſibi Clivis creditam ita ornâſſet ſpartam, ut bis ei ab Elector. Regimine ultro decreta eſſent præmia, in iisque alterum annuum, 10. Nov. a. 1685. à Nobiliſſ. & Ampliſſ. inclutæ Reip. Zutphanienſis Conſulibus ad Rectoratum Zutphan. Scholarum (cum annexa Bibliothecæ publicæ cuſtodiâ) gerendum omnium Procerum ſuffragiis vocatus eſt, Scholarumque harum Moderamen demum 3. Febr. 1686, acceptô ab Elect. Cliviæ Regimine rei bene geſtæ teſtimoniô, in frequenti panegyri de *Boni Rectoris Exemplo* oratione habitâ, ſuſcepit: Kalendis verò Julii ejusdem a. 1686. Perilluſtres & Præpot. Comitatûs & Civitatis Ordines publicam illi primæ Philoſophiæ, ſeu verioris Logicæ & Metaphyſicæ Profeſſionem in illuſtri Zutphaniæ tunc recens erectô A-

 thenæ-

thenæô publicô, annuô decretô ſalariô, obtulerunt, quam, habitâ in auditorio oratione de *Virtutibus Veri Metaphyſici*, xi. Kal. Octob. St. vet. ſolenni eodem inaugurationis die & actu cum Dn. Lomeiero ſuſcepit. xvii. Nov. a. 1691. à Nobiliſſ. inclutæ Groningæ Magiſtratu per literas Civitatis ſigillô manuque Conſ. munitas luculentis conditionibus evocatus eſt ad Groninganas regendas Scholas, quam tamen provinciam, Nobiliſſ. Zutphaniæ Procerum magnâ erga ipſum humanitate & liberalitate, Profeſſionisque philoſophicæ & veritatum in ea contemplandarum amore detentus, non ſuſcepit, ſed, debitis pro præſtito hôc honore & oblato munere Nobiliſſ. Groningæ Proceribus gratiſſimâ mente gratiis actis, manſit Zutphaniæ, ubi etiam nunc primam Philoſophiam (in qua docenda ſoli veritati dixit ſacramentum, ſolamque rationem ſanam ſequitur ducem) profitetur, & ad ſex Scholarum clavum ſedet. Præter primum antea memoratum juvenilis ingenii fœtum philoſophicum, Amſtelodami ty-

pis

pis Blauianis a. 1688. denuò editum, variaque *Carmina*, & *problemata phyſiologica, Ethicam*que Geulingii plurimis à ſe erratis emendatam, *argumentis*que & *ſerie rerum* ornatam, itemque cum eâ *Corn. Bontekoe tractatum Ethico-phyſicum de animi & corporis paſſionibus, earumque certiſſimis remediis*, ex mſ. à ſe in lucem protractum, *Sectionibus*que, & *argumentis*, ac *Serie rerum* auctum, ab ipſo editus hôc annô eſt *Phosphorus Philoſophicus, ſeu Commentarius Logico-Metaphyſicus in Logicam Contractam Claubergianam, continens præter Dialectica Pneumaticam, Theologiam naturalem, & Phyſicam generalem, cum Vocum & Rerum indice, ceu Lexico Logico-Metaphyſicô*, Amſtelodami, apud Janſonio-Waesbergios, in octonis.

Petrus Gakelius, Juliacenſis, ſcholæ Pro-rector, Poëta inſignis ſcripſit *Lachrimas Eccleſiæ, Reip. & ſcholæ Zutphanienſis, ſive Epitaphia virorum, matronarum, virginum, itemque juvenum ſtudioſorum, qui anno* 1626. *peſte in hac urbe interierunt.* Item *Threnodiam funebrem in obitum* Gerlaci vander Capellen, *Gelriæ Cancellarii*,

quam Joh. Iſacius Pontanus ſuo etiam elogio ornavit anno eodem. Leidam vocatus obiit.

De horum βιογραφία hactenus, coronidis loco ſit pro bellariis

ANAGRAMMATOPÆGNION

in florentiſſimam urbem

SUTFANIAM.

SUTFANIA.

1. FIAT ANUS.

FIAT ANUS, teneris ſenſim quæ crevit ab annis
Sutfana: felici ſidere FIAT ANUS!

2. INFAUSTA.

Si tibi peccandi veniat tam dira cupido,
INFAUSTA, o regio *Sutfanienſis*, eris.

3. IN FAUSTA.

Gallorum rabie infelix oppreſſa fuiſti: *a*.
IN tua mutavit, *b*. mœnia FAUSTA Deus.
a. 1672. *b*. 1674.

4. FATIS UNA.

Pacis amor faciet FATIS concordibus UNA
Ut ſis, & maneas, pacis amor faciet.

5. FUIT

5. FUIT SANA

Sutſana SANA FUIT: ſed *Sutſana* ſana manebis,
Si tibi ſit cordi relligionis amor.

6. FAS IT UNA.

Virtuti & Chariti comes IT FAS omnibus UNA
Mens, idem illis relligionis amor.

7. FATA SINU.

Fata regunt homines, fatum divina voluntas:
Ergo fove caſto condita FATA SINU.

8. FAS UNIAT.

UNIAT mentes populi Sicambri
FAS, pias leges pietas, fidesque
Muniant, cives vigeant, genusque
Uſipiorum.

9. FATA UNIS.

Dum tua cum ſociis Belgarum fœdere dextris
FATA UNIS, felix *Sutſana* ſemper eris.

10. SI TU FANA.

SI TU FANA Deum, ſi cures fasque piumque,
Et tua curabit mœnia, ſana Deus.

11. FIANT SUA.

Munere mandato fungaris, & ut SUA FIANT
Ceu peſtem fugito τὴν πολυπραγμοσύνην.

12. AN FASTUI?

FASTUI fœdo propria AN ſacrabis

Quæ tibi cœli Dominus fruenda
Dona conceſſit? procul hinc recedant
Uſque ſuperbi.

13. NATA FUSI.

An NATA es tenui Parcarum ſtamine FUSI?
An te produxit provida cura Dei?
Aut an tanta tibi laus eſt & gratia nendi,
Ut tam præluſtri nomen ab arte geras?

DISSERTATIO SECUNDA.

PHILOPATRIS.

Patria duplex, una naturæ, altera civitatis, ut Catonis, Theſei, Jeſu Chriſti Domini noſtri, Auguſti Imp. Q. Cæcilii Epirotæ. Patriæ definitio. de Paulo Apoſtolo, Deſiderio Eraſmo, Tencteris, Anaxagora, Ulyſſe. Vibius Rufus. Silius Italicus. Lyra Orphei. Lucerna Epicteti. Veſpaſianus Imp. Senex Veronenſis. Iſraëlitæ Cananæam amantes. Locorum Genii ſalutati. De Ænea, Sertorio. Conſtantino

ſtantino M. Lacædemoniorum ἀστοργία. *Odium civium in patriam, & patriæ in cives, Romanorum, Athenienſium in bello & eruditione claros. Anacharſis, Socrates, Stilpo, Demetrius Phalereus, Hermolaus Barbarus, Jacobus Cujacius, Homerus, Zevecotius, Alciatus. Mala Perſica. Trebatius. Prophetæ in patria inviſi, & quare?*

DUm hæc de Zutphania noſtra meditor, ſæpius mihi in mentem venit colloquium T. Pomponii Attici cum Cicerone, quod legere eſt *lib. 2. de legg.* Cum enim Cicero Arpinas eſſet, inter cives tamen Romanos cenſebatur, Romamque patriam ſuam dicebat, pro cujus ſalute tantos ſe labores exhauſiſſe ſæpius gloriabatur. Quærit ergo Atticus: nunquid vos duas habetis patrias, an eſt una illa patria communis? niſi forte ſapienti illi Catoni fuit patria non Roma, ſed Tuſculum. Reſpondet Cicero: *Ego me hercule & illi, & omnibus municipibus*

duas eſſe cenſeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis: ut ille Cato, cum eſſet Tuſculi natus, in populi Rom. civitatem ſuſceptus eſt: itaque cum ortu Tuſculanus eſſet, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris: ut veſtri Attici, priusquam Theſeus eosdem migrare ex agris, & in aſtu quod appellatur, omnes ſe conferre juſſit, & ſymphradas ex atticis: Sic nos & eam patriam dicimus ubi nati, & illam, qua excepti ſumus. qua ratione etiam Servatori noſtro Jeſu Chriſto duplex aſſignatur patria, Bethlehemum, & Nazaretha: quia Bethlehemi, tanquam in metropoli Davidica natus, Nazarethæ autem educatus, quam & parentes ejus incolebant. Sic Virgilius, 1. Æn. v. 290.

Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar.

quod Troja majores ipſius veniſſent. Auguſto cognomen *Thurino* fuiſſe narrat Suetonius, *cap.* 7. in memoriam majorum originis. Idem inter illuſtres Grammaticos, *cap.* 16. Quintum Cæcilium Epirotam Tuſculi natum refert; cognomine non a loco ortus, ſed a loco orginis indito. Euſtathius Homeri interpres eam eſſe

eſſe patriam ait, non in qua natus quis ſit, ſed in qua educatus. Verba ejus: ὁ δὲ πατρίδος ἐστὶν ὁρισμός. πατρὶς γὰρ πόλις τις περὶ ἣν ἐτράφη τις γεννηθείς. ὡς ὅγε μὲν τοιοῦτος, ἀλλ' ἅμα τῷ γεννηθῆναι τῆς πατρίδος ἀποστερηθεὶς, ἔκθετός τίς ἐστι τῆς τοιαύτης πόλεως. καὶ οὐχ' οὕτως ἐκείνην ἐντυγχεῖ πατρίδα, ὡς τὴν μετὰ ταῦτα θρεψαμένην. *Hæc patriæ definitio: Patria enim urbs eſt quædam, in qua quis poſt ortum eductus eſt. Adeo ut qui talis non ſit, ſed poſt ortum patria ſit privatus, is urbe hujusmodi exciderit, neque eam habeat patriam, ac illam quæ ipſum deinceps aluit.* Eodem ſenſu Poëta:

Illa mihi patria eſt ubi paſcor, non ubi naſcor:
Hic ubi ſum notus, non ubi natus ego.

Ulpianus quidem *ff.* lib. L. tit. I. leg. 30. ſcripſit: *qui ex vico natus eſt eam patriam intelligitur habere, cui Reip. vicus ille reſpondet.* Et parentium reſpectu *qui ex duobus Campanis parentibus natus eſt, Campanus eſt*, ibid. l. I. Sed juris reſpectu, ex Antonini conſtitutione, *Roma communis noſtra patria eſt.* ibid. l. 33. De Paulo Apoſtolo idem judicium, qui ipſe ſe Tarſi in Cilicia natum pronunciat, *Act. cap. xvii. v.* 3. Hieronymus tamen, in catalogo

logo ſcriptorum eccleſiaſticorum, ait eum fuiſſe de oppido Judææ Geſchalis, quo a Romanis capto, cum parentibus ſuis Tarſum Ciliciæ commigraverit. Deſiderius item Eraſmus Rotterodami quidem natus eſt, cum tamen parentibus ortus fuerit Gaudanis. De jure civitatis ejus, ut de Homero ſeptem Græciæ urbes, utroſque certare videmus in *Amœnitatibus Gaudanis* amici noſtri *Theodori Janſſonii ab Almeloveen*, *pag.* 38-60. Recte Ovidius, 1. Faſtor.

Omne ſolum forti patria eſt ut piſcibus æquor,
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Sic Tencteri Germani, apud Tacitum, lib. 4. hiſt. cap. 64. *quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.* Et Nabarzares, *patriam eſſe, ubicunque vir fortis ſedem elegerit.* Curt. lib 6. cap. 4. Quæ quidem pulchre & ſapienter dicta videntur, & ab animo excelſo, omneſque acerbitates deſpiciente, quas homini fortuna objicere poſſet, profectæ: ſi tamen penitius intueamur, ſententia eſt hominis de ſuis tantum commodis ſoliciti,

neque

neque ad civilem communionem apti, non enim valde laborabit quid patria ſua fiat, quicunque eo erit animo, ut illius caritatem opportunitatibus ſuis metiatur. ſolum ipſum cui primum inſtitit, & cœlum ipſum, unde primum ſpiritum duxit, diligat oportet qui ſe bonum civem perhiberi vult; aut ſi forte, cum alibi natus eſſet, civitate donatus ſit, eam imbibat opinionem: ut niſi civitati bene ſit, ne ſibi quidem putet bene eſſe poſſe. qualia ex Lyſia oratore docet Muretus, *var. lect. lib.* 2. *c.* 3. Recte ergo Anaxagoras, narrante Plutarcho, cuidam roganti, an ulla ipſi patriæ cura eſſet? digito in cœlum intento, quaſi Deum teſtem advocaret, reſpondit: εὐφήμει, ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος. *Mihi vero patriæ cura, & quidem ſumma eſt.* Ulyſſes, ut eſt in fabulis, cum apud Calypſonem poſſet in omnibus delitiis vivere, tamen illam aſperam & lapidoſam patriam ſuam antepoſuit etjam immortalitati, ſcilicet

Non dubia eſt Ithaci prudentia, ſed tamen optat
Fumum de patriis poſſe videre focis.

Multos

Multos ita movet magnorum virorum memoria, ut non ſine ingenti voluptate monumenta eorum viſant atque tractent. Vibius Rufus, teſte Dione. *lib.* 57. ſellam habebat, qua Cæſar ſemper ſederat, atque etiam occiſus fuerat; ac Ciceronis uxorem in matrimonio habebat, utroque gloriabundus. Silius Italicus villam Ciceronis poſſedit, quam ipſe Cicero Academiam æmulatione Athenienſis Academiæ appellaverat. Martial. lib. xi. ep. 49.

Jugera facundi qui Ciceronis habet.

Merito ridentur a Luciano (πρὸς ἀπαίδευτον, καὶ πολλὰ βιβλία ὀνούμενον) Neanthus Orphei lyra ſuperbus, & ille qui fictilem Epicteti lucernam tribus drachmarum millibus emerat; & alius qui Protei Cynici baculum, quem in flammam inſiliens reliquerat, talento emerat, & inter κειμήλια ſervabat. Atticum apud Ciceronem, 2. *de ll.* ipſæ Athenæ non tam operibus magnificis, exquiſitisque antiquorum artibus delectabant, quam recordatione ſummorum virorum, ubi quisque habitare, ubi ſedere, ubi diſputare

ſputare eſſet ſolitus, ſtudioſeque eorum etiam ſepulcra contemplabatur. Inſignis eſt Piſonis oratio apud eundem, initio libri 5. de finibus: *Naturane hoc nobis datum dicam an errore quodam, ut, cum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multos verſatos, magis moveamur, &c.*

Quanto magis affici credimus illos, qui ſæpius, quoad longiſſime mens reſpicere poteſt ſpatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, ſimul etiam repetunt eorum locorum faciem ubi in infantia ludentes repebant. Veſpaſianus, (teſte Suetonio, *cap.* 2.) non tantum aviæ memoriam tantopere dilexit, ut ſolennibus, ac feſtis diebus pocillo quoque ejus argenteo potare perſeveraverit, ſed etiam jam ad principatum provectus locum incunabulorum aſſidue frequentaverit, manente villa, qualis fuerat olim, ne quid ſcilicet oculorum conſuetudini deperiret. vide notas *Cl. Pitiſci noſtri* ad hunc locum. Senis Veronenſis felicitatem eleganti carmine laudavit Claudianus, namque

Hic

Hic baculo nitens in qua reptavit arena
Vnius numerat ſecula longa caſa.

Si Iſraëlitas reſpiciamus mirum videri non debet, quod in Cananæa libenter vixerint, ibidemque mori & ſepeliri vehementer optaverint, ut in ipſius Iſraelis & Joſephi exemplis videre eſt: Majus enim quid & ſublimius ſpectabat eorum fides. Sicut enim tota lex ceremonialis umbra ipſis erat futurorum bonorum: *ſic* etiam ipſa terra Cananæa typus erat non tantum illius quietis a jugo ſervitutis legalis ſub novo teſt. Sed etiam cœleſtis quam Jeſus Chriſtus ſuis meruit, & in gloriam in greſſus jam paravit. Fabuloſa ſunt quæ de animarum revolutione per abditos terræ meatus, usque ad terram Canaan, ut ibi reſurgant, narrant Rabbini. *Hoornb. contra Jud. lib.* 8. *cap.* 3. Hoc etiam curabant Judæi, ut oſſa illius, qui imprudenter aliquem occidiſſet, ſi quidem ante obitum Pontificis Max. in urbe refugii ſui deceſſiſſet, illo defuncto, in patriam, avitosque tumulos referrentur. *Cun. de Republ. Hebr. lib.* 1. *cap.* 7. Gentiles autem penatium ſuorum adſpe-

ctus

ctus mirabili modo affecit, ideoque & diſcedentes, loco quem relinquebant valedicebant, & revertentes eum ſalutabant. Demipho, apud Terentium, Phorm. act. 2. ſc. 1. v. 18. *Ego deos penates hinc ſalutatum domum devortar.* Ovid. 1. Triſt. eleg. 3.

Dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,
Eſſe ſalutati tempus in omne mihi.

quod idem faciebant primum in regionem quampiam ingredientes, propter *Genios* quos locis adeſſe credebant. Virg. 7. Æneid.

Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, & Geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem, nymphasque & ad huc ignota precatur
Flumina. vid. Briſſon. formul. pag. 35. Abſentis patriæ deſiderio flagrarunt non tantum delicatuli, ut Ovidius, in elegiis Ponticis, & triſtibus; ſed etiam illi qui quaſi ære triplici animum fortem obfirmaverant, ut Æneas 4. Æneid.

Me ſi fata meis paterentur ducere vitam

Auſpiciis, & ſponte mea componere curas,
Urbem Trojanam primum, dulcesque meorum
Relliquias colerem, & Priami tecta alta
manerent.

Q. Sertorius patriæ amantiſſimus fuit, magnoque in eam redeundi tenebatur deſiderio, in ipſis victoriis legatos ad Metellum & Pompejum miſit, paratum ſe oſtendens arma ponere, & reditu conceſſo privatam vitam agere. Malle enim ſe civem Romæ eſſe obſcuriſſimum, quam exulem cunctorum aliorum declarari Imperatorem: quod in vita ejus Plutarchus ſcripſit. Hæc ratio eſt quare coloniis in alienas terras deductis matricium urbium nomina impoſita ſint, quod vel ex Anglorum & Batavorum conſuetudine, in pluribus novi orbis Americani locis, manifeſtum eſt. Æneas in Epiro, de urbe ab Heleno Trojano conſtructa, ait, 3. Æneid.

Procedo, & parvam Trojam, ſimulataque magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum
Agnoſco, Scææque amplector limina portæ.

Con-

Conſtantinus M. ut Romanorum primores patriam ipſam majori cum lubentia relinquerent, novamque Romam colerent, uxores eorum & liberos & uxores evocavit: conſtituitque opifices, ut domos ipſorum & loca ſingula, ubi & quomodo ſitæ eſſent, in orane maritima vel continente, ut formam ſtructuræ, & quales gradus eſſent tortuoſi obſervarent. Aſſumtis ergo ſecum familiis vocatorum Byzantium redierunt, ibique ſingula ſimili modo condiderunt, in iisque familias ipſorum habitare juſſerunt. Viros Victores ex Perſia reduces Imperator convivio excepit, atque eadem veſpera in ædibus quemque ſuis futurum promiſit. Ut autem viderunt portas, atria, gradus, menſuram & formam, altitudinem & proſpectum feneſtrarum Romanis ſimiles, putabant ſe per ſomnium eſſe Romæ. cum vero & famimilias ſuas invenirent, obſtupeſcentes Imperatoris prudentiam laudabant, quod eos etiam invitos hic degere juſſiſſet, Locum ex Codino habet Kirchmannus de annulis, *cap.* 14.

Prodigii inſtar eſt, ſi parentes abnegata omni στοργῇ liberos ſuos aut infantes exponant atque abjiciant, qua in re Lacedemoniorum apparuit immanitas, quibus ſtatutum erat μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν. Aut adultiores crudeliter interficiant, quibus hanc apud Ægyptios pœnam conſtitutam eſſe ait Alexander ab Alexandro, *lib.* 3. *cap.* 5. ut continuo triduo circa defuncti corpus genitor aſſiduus filii ſpectator eſſet. ſcilicet nulla juſtiore pœna quam facinoris conſcientia ipſum puniri arbitrabantur. Nec minus prodigium eſt, ſi liberi illis vitam eripiant, quorum opera lucis & vitæ uſuram habent.

φίλτρον γὰρ συνέδησε θεὸς τοκέασι γονῆσι.

Prodigioſum quoque eſt illud odium quo ingrati cives patriam proſecuti ſunt, quod eo majus eſſe ſolet, quo magis ad patriæ amorem tales obſtricti ſunt, ut hic locum habeat illud monachale: *Omnis apoſtata eſt oſor ſui ordinis.* Exemplo eſt Alcibiades apud Græcos: Coriolanus, Catilina apud Romanos.

Nec minus deteſtanda eſt talis patria, quæ

quæ cives bene meritos male habet, & quaſi in horum ignominiam, peregrinos, quorum noverca tantum eſt, ſtulte præfert. Audiamus Pindarum Pyth. od. 3.

Ἐςι δὲ φῦλον ἐν ἀν-
θρώποισι ματαιότατον,
ὅςις αἰσχύνων ἐπιχώ-
ρια παπταίνει τὰ πόρσω,
μεταμώνια θη-
ρεύων ἀκράντοις ἐλπίσιν.

Eſt autem hominum genus ſtultiſſimum eorum qui vituperantes quæ ſunt indigena, circumſpiciunt quæ ſunt ulterius, vana conſectantes irrita ſpe.

Sic fieri amat, quod cecinit Horatius, lib. 3. od. 23.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Non ſine ratione Plato ex vicini puteo aquam peti ita demum permittit, ſi quis in ſuo ad cretam usque foderit ad aquam exquirendam: & Solon, ſi in ſuo foderit ad quadraginta cubitos: ubi addit Plutarchus: ἀπορίᾳ γὰρ ᾤετο δεῖν βοηθεῖν, οὐκ ἀργίαν ἐφοδιάζειν. *arbitrabatur ſubveniendum neceſſitati, non inſtruendum pigritiam.* Peregrinitatis amatores mulieribus

 pica

pica laborantibus, & abſurdos cibos petentibus ſimillimi. Lycurgus, teſte Plutarcho, Spartanos peregrinari vetuit, ne peregrinos mores induerent. Ipſa Roma quantum damni, propter hoc peregrinitatis ſtudium fecit? Juven. ſat. 3. *Non poſſum ferre, Quirites,*
Græcam urbem, quamvis quota portio fæcis Achææ?
Jampridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes,
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit, & ad circum juſſas proſtare puellas.

Vile eſt quod licet, quod obvium eſt, & animus errore lentus injurias diligit.

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato,
Quod non ſint faciles. at albus anſer
Et pictis anas enovata pennis,
Plebejum ſapit, ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis eſt: amica vincit
Vxorem: roſa cinnamum veretur.
Quicquid quæritur optimum videtur.

Hinc faſtidium illud quod in proprios cives, belli ac pacis artibus excellentes,

quique

quique ſibi nominis claritatem virtute pepererant, ſeſe exeruit in rebuſpublicis, ubi ignavi, invidia concitati, ſæpiſſime alios ſe meliores ejecerunt, quod vel ſolus Athenienſium oſtracismus liquido probat. Et hoc modo locuti Epheſii, *Nemo de nobis unus excellat, ſed, ſi quis exſtiterit alio in loco, & apud alios ſit.* Cic. lib. 5. Tuſcul. Apud Romanos oſtracismus aliquis, ſi non legibus, ſaltem uſu receptus fuit. Tarquinius enim Collatinus, vita innocentiſſimus, exactis Regibus, confeſtim civitate prohibitus. Cæſonis Quintii damnationem a Lucio Lucretio improbatam ex eadem ratione apparet profectam eſſe. *Liv. lib.* 3. *cap.* 12. 13. 14. Q. Cæcilius Metellus Numidicus, quia in legem Apulejam per vim latam jurare noluit, in exilium actus eſt. Nec diſſimile accidit Scipioni Africano, qui per invidiam repetundarum accuſatus in exilium voluntarium conceſſit. ſed nec diſſimile Ciceroni & aliis accidit. vide *Val. Max. lib.* 5. *cap.* 3. & in recentioribus Richteri *axioma politicum* 46. & 339. Imprimis hic conſu-

lendus Ariſtoteles, *politic. lib.* 3. *cap.* 9.

Nec tantum tale invidiæ fulmen fulmina belli tetigit, ſed & eruditi in patria contemti odioque habiti. Enimvero gentis Scythicæ Princeps Anacharſis, idemque Philoſophus ſubactiſſimus, per invidiam in patria periit, poſtquam ſermonis ac diſciplinæ gratia in Græcia conſervatus eſſet. Socratem, humanæ ſapientiæ compendium, ad bibendam cicutam adegerunt Athenienſes ejus populares. Stilpo Megarenſis in Ægypto apud Ptolemæum conſecutus eſt honores, quibus domi inter ſuos indignus cenſebatur. Demetrius Phalereus de Athenienſibus optime meritus, tandem usque adeo invidia flagravit, ut ſolum vertere coactus Alexandriam fugerit, ubi inter amicos Regis Ptolemæi principe loco fuit. Hermodorum urbe ſua ejecerunt Epheſii, quod nefas eſſe crederent, eum cives ſuos virtute præcellere. Hermolaus Barbarus ab Innocentio VIII. admiratione virtutis, Aquilejenſis Patriarcha renuntiatus, non probante Senatu Veneto, morbum contraxit, & ex eo

mortem

mortem celerrimam. ſcilicet, ut nimis ſevera patria optimi civis oſſa non haberet, ut ſcribit, in ejus elogio, Paulus Jovius, qui & ipſe in patria ſua repulſam tulit, viditque Comenſi Epiſcopatui hominem ſine tribu, & literis præfici. Jacobum Cujacium Toloſa ingrata patria in exilium miſit, &, quaſi Marſyæ ſidere nata fuiſſet, in petitione cathedræ Midæ aures Apollini prætulit. Homerum mortuum ſeptem civitates civem petierunt, vivum curavit nemo. De Ganda ſua ita queritur Zevecotius, lib. 2. eleg. 9.

Ganda meo veterem proſcripſit corde vigorem,
O nimis ingeniis Ganda noverca ſuis!
Quis ferat? indignis ſummi tribuuntur honores,
Publica quos poterant furta citare reos.
Quis ferat? indoctis tribuuntur præmia, nullus
Aonidum ſtudiis reſtat in urbe favor.
Incipe, Ganda, tuas melius cognoſcere dotes,
Quoque decet cives ulcere paſce tuos:
Sic poteris magnæ ſimul æmula ſurgere Romæ,
Pulſus & è noſtro pectore languor erit.

Scitum eſt illud Arabum adagium, *Eruditus in patria ſua, eſt ut aurum in fodina*

 ſua:

ſua: ubi latet ut gemma in fimeto, unde ſi erueretur, & favore digno expoliretur, neque invidia premeretur, ſplendore ſuo patriæ ornamento eſſe poſſet: aurum enim aurum eſt. De malis Perſicis multi, aliis quamvis contradicentibus, ſcribunt, ea in nativo ſolo, hoc eſt, in Perſide, venenata poma proferre, quæ ſoli mutatione mitigata, vim nocendi cum cœlo mutaſſe creduntur. Noxia eſſe indicat epigramma 14. ἀνθολογ. cap. 20. quod eſt in quendam ſatietate horum mortuum:

Ἐκ φονίων περσῶν φόνιον φυτόν ἤγαγε περσεὺς,
Παιδί θεογνώςου τοῦ θανάτου πρόφασιν.

Attulit e Perſis mortem cum ſtipite Perſeus,
Inde Theognoſtæ cauſa rogi puero.

Mutatam teſtatur Columella de re ruſt. lib. 10.

——Pomis quæ barbara Perſis
Miſerat, ut fama eſt, patriis armata venenis:
At nunc expoſiti parvo diſcrimine leti
Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi.
Quinetiam ejusdem gentis de nomine dicta
Exiguo properant miteſcere Perſica malo.

Hac eleganti ſimilitudine Albutius Alciatum Ictum monuit, ut relicta patria

alibi

alibi ſedes quærat, extra eam in majori æſtimatione futurus.

Quæ dedit hos fructus arbor, cœlo advena noſtro,
Venit ab Eoo Perſidis axe prius:
Tranſlatus facta eſt melior, quæ noxia quondam
In patria, hic nobis dulcia poma gerit.
Fert folium linguæ, fert poma ſimillima cordi,
Alciate, *hinc vitam degere diſce tuam.*
Tu procul a patria in pretio es majore futurus,
Multum corde ſapis, nec minus ore vales.

In eandem ſententiam Trebatio itidem Icto ſcripſit Cicero, lib. 7. famil. epiſt. 6. *Tu modo ineptias iſtas & deſideria urbis & urbanitatis depone; & quo conſilio profectus es, id aſſiduitate, & virtute aſſequere. hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quam ignoverunt Medeæ, quæ Corinthum, arcem altam habebant matronæ opulentæ optimates; quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi vitio verterent, quod ab eſſet a patria. Nam multi ſuam rem bene geſſere, & publicam patria procul;*

Multi qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati.

Arabes, notante ad Abulfarajum Pocockio, ſolennibus non utebantur gratula-

tulationibus, niſi cum puer eſſet natus, cum equa pullum generoſum peperiſſet, tandem autem ſi Poëta inter illos inclareſceret. pudorem hi barbari Græcis humanitatem jactantibus incutiunt, qui mortuo Homero jus civitatis certatim concesſerunt, quem tamen vivum riſerunt. Quomodo & Judæi ſepulchra ſtruxerunt Prophetis, quos patres eorum odio proſecuti acerba morte interfecerunt: quod eis Servator exprobravit, *Matth. cap.* 23. *v.* 29, 30, 31.

Prophetas ſane civibus ſuis inviſos eſſe idem Servator pronuntiavit, *Matt. cap.* 13. *v.* 57. *Luc. cap* 4. *v.* 24. David a ſua domo contemtus. Elias ab Iſraële rejectus, a Sareptana exceptus eſt. Eliſæus propter calvitiem parvis pueris ludibrio erat, cui tamen Naaman Syrus credidit. Apoſtoli non recepti a Judæis, abierunt ad gentes. Multi abſentis Pauli epiſtolas graves eſſe & validas confitebantur, ſed præſentiam corporis infirmam, & ſermones eſſe nihili dictitabant. 2. *Corinth. cap.* 10. *v.* 11. neque hic

hic Tarſi in patria ſua Euangelium prædicaſſe legitur. Jeremias civibus ſuis Anathotanis, nec minus Hieroſolymitanis odio fuit, quem tamen curavit Ebedmelech peregrinus. Contemtum hunc eleganti ſorite delineavit Hieronymus, epiſtola ad Heliodorum: *Nemo*, inquit, *Propheta in patria ſua honorem habet, at ubi honos non eſt, ibi contemtus, ibi frequens injuria: ubi injuria, ibi & indignatio, ibi quies nulla: ubi quies non eſt, ibi mens a propoſito ſæpius deducitur: ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur, ex ſtudio minus fit ab eo quod tollitur: &, ubi minus eſt, perfectum non poteſt dici.*

Cauſam hujus contemtus triplicem mihi obſervaſſe videor, quarum prima in ipſis Prophetis, ſecunda in eorum officio, tertia in ipſis civibus verſatur. In prophetis ipſa præſentia & familiaritas. Sicut enim ex longinquo major reverentia, quam ut conſervarent Perſarum Reges rariſſime ſe videndos præbebant, & per internuncios agebant: Sic contra *minuit præſentia famam*, quæ ſimilem in Prophetis

Prophetis faciem, ut in aliis hominibus agnoſcit, ſimiles item infirmitates in forma contemtibili. Saul e Samuele ipſo percunctabatur 1. *Sam. cap.* 9. *v.* 10. ubi eſſet videns, ſeu Propheta, neſcius illum ipſum eſſe quem quærebat, quia nihil in ejus perſona extraordinarium obſervabat. Si autem accedat familiaritas, & hæc contemtum auget. Vulpecula leonis tertium occurrentis conſpectum non horret amplius. Protogenes, ait Plinius. *lib.* 35. *cap.* 10. ſordebat ſuis, ut plerumque domeſtica. Feſtivum eſt illud Scopeliani ſophiſtæ: τὴν ἀηδόνα ἐν οἰκίσκῳ μὴ ᾄδειν. Secunda cauſa hujus contemtus eſt illud ad quod vocati ſunt officium. Cum enim Veritas odium pariat, quis miretur Prophetas univerſi orbis odium ſuſtinere, & velut purgamenta concculcari ab iis qui animum adverſus cœleſtem doctrinam obfirmarunt? Alterius ordinis eruditis fortuitum eſt contemni, his ſolis proprium atque neceſſarium. Exempla ex ſacris literis & hiſtoriis eccleſiaſticis infinita in hanc rem produci poſſent. Unus Lothus ſufficiat.

cujus

cujus reprehenſionem quamvis lenem, ægerrime tulerunt Sodomitæ cives ejus. *Gen. cap.* 19. *v.* 7, 8, 9.

Tertia denique cauſa Invidia eſt, quia cives ipſa etiam ornamenta patriæ ſuæ dolentibus & malignis oculis intuentur, & quod ipſis negatum eſt aliis a Deo O. M. conceſſum eſſe ferre nequeunt; ideoque ut præſentibus ægre faciant, præterita & peregrina veneratione proſequuntur. Sic vitio malignitatis humanæ vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio ſunt, ut ait autor dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ, *cap.* 18. Egregie Sophocles, Ajace maſtigophoro:

> Οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν
> Ἔχοντες οὐκ ἴσασι, πρίν τις ἐκβάλῃ.
>
> *Nam homines ſtulti bonum in manibus*
> *Cum habent non ſentiunt, priusquam quis eripiat.*

DIS-

DISSERT. TERTIA.

Continens

In ſeptem ſigilla Apacalyptica Exercitationem primam.

Deus prædicit pœnas hominibus infligendas, ut: diluvium Noachicum, captivitatem Babylonicam, excidium Hieroſolymitanum, quod hic præcinitur. Apocalypſis non ſcripta tempore Domitiani, ſed ante excidium hic prædictum. Locus Apoc. 1. v. 7. *explicatus. Viſiones propheticæ extra ordinem. Jeſus Agnus. Typi ejus tum agni quotidie oblati: tum paſchalis. Analogia typi & antitypi. Verbum Dei aliquando obſignatum per Prophetas reſignatur.*

Sigillum primum.

Quatuor animalia hieroglyphice notant Doctores eccleſiæ: Equus Dei potentiam.

eſt.

eſt. Jeſus Chriſtus triumphans verbo Euangelii orbem terrarum ſubigit, de Dominico & Franciſco blaſphemia. Arcu & ſagittis feriuntur & amici & hoſtes Chriſti, cujus gloriam corona ſignificat, quam non rapuit, ſed a Patre accepit. Victor totius mundi.

Sigillum ſecundum..

Color equi ruber ſanguinis ſignum. quo ſpectat & gladius. Bellum tremendum Dei judicium: In Judæa fuit externum a Romanis illatum, & inteſtinum inter gentis illius factiones.

Sigillum tertium.

Equus niger famem apportat, quæ & acerbiſſima in manu Dei virga eſt. Cujus magnitudo exigua ſtateræ & chœnicis menſura indicatur.

Sigillum quartum.

Color equi ex virore pallens peſtis ſymbolum eſt, quæ bellum & famem fere ſequitur. quid θάνατος, & ᾅδης. Incredibilis Judæorum multitudo variis caſibus morti data.

Sigillum quintum.

Quomodo Johannes viderit animas? contra earum immortalitatem negantes. Martyres. Chriſtus altare. Animæ infra illud, ut ſanguine Chriſti tinctæ intelligantur. Clamorem ad Dominum dirigentes vindictam petunt. An hæc licita? Veſtes candidæ merita Chriſti deſignant. Patientia ſanctorum, Pars eccleſiæ in terris militat.

DEus O. M. judicia ſua in terris exerenda prædicere ſolet. non facit quicquam, niſi quum revelaverit ſecretum ſuum ſervis ſuis Prophetis. *Amos, cap.* 3. *v.* 7. qua ratione benignitatem ſuam

ſuam manifeſte oſtendit, quod nolit mortem peccatoris, ſed ejus converſionem & vitam. Non opprimit ex improviſo, ſed hac præmonitione piis ſpatium evadendi largitur, ut Lothum ex Sodomæo incendio eripuit: & prudenter ſervi Pharaonis, grandinem a Moſe prædictam metuentes, ſe, ſuos, & ſua ſervarunt. *Exod. cap.* 9. *v.* 20. Impiis autem ἀπωλογία eripitur.

Sic per Noachum juſtitiæ præconem denuntiavit venturum diluvium: per Jeremiam captivitatem Babylonicam; per Jonam excidium Ninives, matura reſipiſcentia evitatum. Inſignis fuit πανωλεθρία urbis Hieroſolymæ, & totius gentis Judaicæ diſperſio per arma Romanorum ſub Tito Veſpaſiano. hanc ipſe Chriſtus clariſſime prædixit, *Matth. cap.* 24. *Marc. cap.* 13. *Luc.* 21. ut, ſi Judæorum mens non læva fuiſſet, vel manibus res futuras palpare potuiſſent. Sicut autem Ezechiel, in ipſa Babylone, cladem Hieroſolymæ a Nebucadnezare illatam, cum jam in limine eſſet, vaticinatus eſt: Sic & Johannes in Patmo

exortis jam tumultibus & bello Judaïco, ultimam hanc gentis ſuæ internecionem, ſpiritu Dei actus prædixit. hanc, in hiſtoria Euangelica poſt hoc excidium ſcripta, non habet: hoc autem ſexto Apocalypſeos capite graphice admodum deſcribit. Non enim liber hic a Johanne demum ſcriptus eſt imperante Domitiano; quæ vulgaris ex Irenæo & Euſebio hauſta opinio eſt. his enim oppono Epiphanium, qui, *hæreſi* 51. *ſect.* 12. *&* 33. ſub Claudio (qui Judæos, quorum nomine & Chriſtiani tum cenſebantur, perſecutus eſt, *Act. cap.* 18. *v.* 2.) Johannem in Patmo fuiſſe, & has viſiones ſcripſiſſe teſtatur. Ita humanum teſtimonium humano opponitur. Unde autem confirmabitur Johannem fuiſſe in illa inſula, tanquam exulem aut deportatum? Ipſe narrat ſe illic loci fuiſſe διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ χριστοῦ. Sicut nempe alii Apoſtoli abierunt εἰς τόπους ἰδίους, Petrus ad circumciſionem, Paulus ad gentes. Sic Johannes in alia loca, etiam in Patmon, ad prædicandum Euangelium; exilii in

ver-

verbis Johannis nulla fit mentio. Exilii quidem in Patmo, ſed tempore Neronis, meminit Syrus interpres, a Ludovico de Dieu editus: qui etiam illo tempore Apocalypſin ſcriptam eſſe pronunciat.

Daniel quatuor Monarchias, in quibus eccleſia inde a temporibus Nebucadnezaris domicilium ſuum habuit, depinxerat; regnum Chriſti reliqua omnia conſumturum depingit Iohannes, cujus nec minimum, nec poſtremum ſane, ſed maxime palpabile indicium fuit pœna Judaicæ genti per Romanos inflicta, quam indicat Vates noſter, *cap.* 1. *v.* 7. ἰδὼ, ἔρχεται μετὰ τῶν νεφελῶν, καὶ ὄψεται αὐτὸν πᾶς ὀφθαλμὸς, καὶ οἵτινες αὐτὸν ἐξεκέντησαν. καὶ κόψονται ἐπ᾽ αὐτὸν πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς. Venerat Jeſus in forma ſervi, venturus Regis inſtar ad extremum judicium: Sed etiam venit in nubibus cœli tanquam curribus regiis ad ſumendam de hoſtibus ſuis ultionem, qualis phraſis occurrit, *Pſ.* 104: 3. *Jeſ.* 19: 1. *Ezech.* 1: 4. *Dan.* 7: 13. Hoc Chriſtus de excidio Hieroſolymitano vaticinans prædixerat, *Matth. cap.* 24. *v.* 30. & in ſynedrio pro-

feſſus erat, *Matth cap.* 26. *v.* 64. utrobique ut & hoc loco provocans ad teſtes oculatos, qui ipſum viſuri eſſent, etiam qui eum transfixerant, quorum quidam procul omni dubio tum victuri & viſuri erant eccleſiæ & politiæ Judaïcæ funus, prædicente Chriſto, *Matth. cap.* 24. *v.* 34. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται. Johannes Zachariæ locum reſpicit, cujus & verba promit, ex *cap.* 12. *v.* 10. ſed hic de ultimo Chriſti adventu capi nequit, quia ſpiritus gratiæ & precum in noviſſimum illum adventum non quadrant. Impii enim tum judicandi hoc ſpiritu carent: Pii autem tum ſane non plangent. πᾶσαι φυλαὶ τῆς γῆς, de ſola gente Judaïca intelligendæ videntur: cui in Novo teſtam. φυλαὶ, ut & ſolo ejus γῆ fere tribui ſolet, quod in decadis primæ diſſertatione ſeptima, ad locum Matthæi, *cap.* 5. *v.* 13. obſervatum eſt. Præterea cum hoc ſexto apocalypſeos capite in ſex ſigillorum apertione tota excidii Hieroſolymitani ſcena ob oculos ponatur, ut in explicatione demonſtrabitur,

quis

quis ultra librum hunc ante illud excidium, adeoque non tempore Domitiani, ſcriptum eſſe ambiget? niſi qui Johannem non Prophetam futura præcinentem, ſed hiſtoricum potius ea, quæ facta jam ſunt, narrantem facere malit.

Horum ergo ſeptem ſigillorum primo convenientiam, deinde differentiam penitius inſpicere operæ erit pretium.

Convenientia eſt tum in modo ἀποκαλύψεως, tum in revelante, denique in reipſa revelata.

Modus ἀποκαλύψεως non fuit ordinarius in prædicatione verbi, quo, tanquam ſalutis organo, Dei ſpiritus in propagatione doctrinæ cœleſtis uti ſolet: Sed extraordinarius, isque non per Urim & Tummim, quo, inde a Salomonis temporibus, nihil quicquam revelatum legimus: Saltem illis in ulla S. Scripturæ parte, ad fidem & mores dirigendos canonica, dictanda nusquam uſus eſt. Sed placuit Deo hæc docere Vatem noſtrum per duos illos ſenſus externos, quibus fere omnia diſcere ſolemus: viſum ſcilicet & auditum, utrumque autem valde glo-

rioſum, quomodo non ſemel Deus videntibus ſive Prophetis extra ordinem ſe revelavit Abrahamo, Moſi, Jeſaiæ, Jeremiæ Ezechieli, Danieli, Apoſtolis. *Matth.* 17. Paulo. *Act. cap.* 26. *v.* 13. Ut hac ratione in Prophetis ipſis πληροφορίαν de ſuarum viſionum divinitate excitaret, adeoque eos in munere ſuo prophetico alacriter exequendo confirmaret, & contra hoſtiles improborum inſultus roboraret: quod Moſi, *Exod.* 3. *&* 4. Jeremiæ *cap.* 1. aliisque ab ipſo Deo inculcatum eſt. præterea ut tanto major eſſet prophetarum autoritas apud eos ad quos miſſi erant, ut ſcirent illi verbum quod in ore ipſorum erat, eſſe verbum Dei, & Prophetam inter ipſos eſſe *Exod. cap.* 4. *v.* 5. 8, 9. hoc audita voce *illa* cœleſti teſtatus eſt Jeſus noſter, Joh. cap. 12. v. 30. *Non propter me hæc vox extitit: ſed propter vos.*

Perſona revelans hic non vocatur Angelus, ut *cap.* 1. *&* 19. neque aliquis eſt ex quatuor animalibus, aut viginti quinque ſenioribus. Sed eſt *Agnus*, qui idem & *Leo.* Apoc. cap. 5. v. 5. Suaviſſimum ſane

ſane emblema, quo Jeſus noſter Agni figura exprimitur. Elegans eſt quod ex voce Ἰησοῦς anagramma fecit Auratus, primus Galliæ anagrammatiſtes: σὺ ἦ ὄϊς, *Tu es ille agnus.* Vicies novies in una Apocalypſi denominatur Servator hoc nomine. Ratio ex ſacrificiis Vet. teſt. typicis petenda eſt, ubi tum alii, tum imprimis agnus paſchalis contemplandus. Agnus quotidianum erat ſacrificium, tum mane, tum inter duas veſperas immolandum. numerus ſabbato duplicandus. Præterea in novilunio, aliiſque feſtis hæc maxime ſolennis victima. *Num. cap.* 28. *&* 29. Nec ἀναλογία inepta eſt, ſive officium Chriſti mediatorium, ſive ſtatus ejus ſpectes. Officium illud quod attinet, Chriſtus hic tanquam agnus apparet: Sicut enim agnorum utilitas multiplex; ſic ſane & meritorum hujus Agni Dei: *I.* Utiles ſunt ad cibum. quo gaudebant & luxurioſi in Sione & Samaria. *Amos, cap.* 6. Et Jeſus Chriſtus cibus eſt animæ noſtræ. *Joh. cap.* 6. *II.* Utiles ſunt ad veſtitum, dicente Salomone; *Prov. cap.* 27. *v.* 26.

Agni erunt ad vèſtitum tuum, & gloriante Jobo: cap. 31. v. 20. *Benedixerunt mihi lumbi pauperis, quod de vellere agnorum meorum incaleſceret.*

Sic & Jeſus noſter, qui conſulit nobis, ut ab eo emamus veſtimenta alba, quibus tecti ſimus ne manifeſta fiat nuditas noſtra. *Apoc. cap.* 3. *v.* 28. Chriſtiani eo induti. *Gal.* 3. *v.* 27. *Rom.* 13. *v.* 14.

III. Utiles ad tributorum ſolutionem. Meſa Rex Moabitarúm pendebat Regi Iſraëlis centena millia agnorum, & centena millia arietum lanatorum. 2. *Reg. cap.* 3. *v.* 4. quo pertinet Jeſaiæ, *cap.* 16. *v.* 1. admonitio: *Mittite agnum dominatoris terræ, ad montem filiæ Sionis.* Annon & Chriſtus tributum ſolvit quod nos debebamus? factus λύτρον pro peccatis noſtris, agnus ille Dei qui tollit peccata mundi. *Joh. cap.* 1. *v.* 29. 1. *Pet. cap.* 1. *v.* 18, 19

IV. Utiles agni, adhibiti ab Abrahamo ad confirmationem fœderis quod feriebat cum Abimelecho. *Gen. cap.* 20. *v.* 29, 30, 31. Jeſus Chriſtus ſua morte ratum fecit fœdus & teſtamentum Dei,

docen-

docente Apoſtolo: *Hebr. cap.* 9. *v.* 15, 16, 17.

Nec minus in ſtatibus Chriſti ἀναλογία notanda eſt. De humilitate ejus dixit Jeſaïas, cap. 53. *ut agnus ad mactationem ductus eſt, & velut ovis coram tonſoribus ſuis obmuteſcens.* In exaltatione idem agnus eſt agnus, atque ita poſt aſcenſionem in cœlum glorioſus paſſim in hac Apocalypſi a Johanne viſus eſt.

Dulciſſima porro eſt ſpecialis illa ἀναλογία, quæ eſt Chriſtum inter & agnum paſchalem, innuente Paulo, 1. Cor. 5:7. *Paſcha noſtrum pro nobis immolatum Chriſtus.* hanc adjicere fert animus. Spectabimus primo Chriſtum agni ἀντίτυπον, deinde fideles veram cum eo communionem habentes. Chriſtus typum hunc implevit, tum quoad perſonam tum quoad ſtatum ſuum. In perſona conſideratur natura primo Divina, qua vere eſt agnus Dei, non tantum a Deo datus, ordinatus, in mundum miſſus, ſed etiam ipſe Deus & vita æterna: Deinde humana, cujus veritatem & ſanctitatem agnus typice referebat. Veritatem quidem tum in ſpecie,

cie, tum in ſexu. Speciem quod attinet; ſicut agnus ex ipſo grege ſumebatur, qui agnus erat ut alii; Sic Jeſus hominibus per omnia ſimilis, excepto peccato, ex ſemine Davidis, ſemen mulieris. quod ad ſexum, agnus requirebatur maſculus: Jeſus puer nobis natus, filius nobis datus, filius Mariæ primogenitus, maſculus vulvam aperiens. *Luc.* 2. *v.* 23. ut Angelus prædixerat Mariæ, *Luc.* 1. *v.* 31. Joſepho, *Matth.* 1. *v.* 21. Sanctitatem agnus referebat ſua tum integritate reſpectu & membrorum, & temporis, non intra ſeptimum diem, qualem Deus abominabatur, *Lev.* 22. *v.* 27. ſed anniculus: tum ſeparatione ab aliis: Talis & Chriſtus ἀμνὸς ἄμωμος καὶ ἄσπιλος. 1. *Pet.* 1. *v.* 18. Talis enim nos decebat Pontifex, ſanctus, ſine vitio, ſine labe, ſegregatus a peccatoribus. *Heb. cap.* 7. *v.* 26.

In ſtatu vero humilitatis & paſſionis Chriſtus ἐμφατικωτάτως hunc typum expreſſit. Si enim tempus mactationis agni paſchalis conſideres, erat illud inter duas veſperas, ſive a meridie, ſive ſole ad

occaſum

occaſum jam propius vergente: eodem temporis articulo Jeſus noſter in cruce ſtetit, animamque Deo Patri ſuo reddidit victima pro nobis piacularis. Si ipſum mactationis modum ſpectes, mors crucis nobis clariſſime depingitur. Forma quidem hæc erat, teſte Juſtino Philoſopho & Martyre, in dialogo cum Tryphone Judæo, τὸ ὀπτώμενον πρόβατον σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται. εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβέλισκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτων μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. hoc eſt: *Agnus namque aſſus, in figuram cruci ſimilem conformatus, ad ignem torretur. nam veru unum ab infimis partibus adactum perfigitur, & aliud rurſus ſecundum ſcapulas ad quod ſuſpenduntur manus agni.* Legatur Cl. Vitringa, *obſerv. lib.* 2. *cap.* 10.

Ipſa etiam ad ignem aſſatio quid aliud nobis niſi iram Dei, ignem illum conſumentem figurat? qua Chriſtus de ſiti ſua morti vicinus conquerebatur, ſicut in Pſalmo 22. deſcribitur lingua ejus palato adhæreſcens, cum ipſe teſtulæ inſtar eſſet arefactus, & omnia inteſtina

ejus,

ejus, tanquam cera eſſent liquefacta, ita quaſi in mortis pulverem redactus erat. Nec omittendum quod ſpeciali Dei providentia factum Johannes notavit, cum crurifragium in duobus aliis cruciariis fieret, oſſa agni noſtri fracta non ſunt, ut impleretur ſcriptura, quæ ab agno typico crurifragium abeſſe voluerat. Tranſimus ad fideles κοινωνοῦντες, ubi ſive homines ipſos conſideres, ſive beneficia Dei in illos collata, in agni typo Chriſtus undique eluceſcet. Homines admittebantur non omnes, ſed ſoli fœderati, adeoque circumciſi, aliis accedere nefas: Et Chriſtus ſolis regenitis corde circumciſis περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ, utilis eſt: Niſi quis regenitus aqua & igne non ingreditur regnum Dei. *Joh.* 3. Omnis tamen circumciſa familia agnum comedebat, ſervis etiam non exceptis. Et Chriſtus omnibus datur credentibus, cum in eo diſcrimen Judæi & Græci, ſervi & liberi ſublatum ſit. *Sic Deus dilexit mundum, &c. Venite ad me omnes qui &c.*

Beneficiorum copia deſignabatur, quod

quod totus agnus comedendus, adeo ut nullæ in craſtinum reliquiæ ſupereſſent: ita ne minimum quidem Chriſti beneficium fruſtraneum eſt, cum omnia ſint maxima, & indiſſolubili vinculo cohæreant, factus enim nobis eſt σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε, καὶ ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις. 1. *Cor. cap.* 1. *v.* 30. Et ſtatus Chriſti, eorumque gradus Paulus connectit. 1. *Tim.* 3. *v.* 16. Horum autem bonorum natura tum in juſtificatione, tum in ſanctificatione apparet. In juſtificatione tum medium, tum beneficium ipſum deſignatur. Medium quidem tum in nobis, tum ipſo Chriſto. In nobis eſt ipſa agni manducatio, quæ eſt ipſa Fides docente Chriſto, *Joh. cap.* 6. *v.* 53, *&* 54. Sicut autem tum ſuperliminare, tum poſtes agni intra parietes mactati ſanguine linebantur. *Exod. cap.* 12. *v.* 7. *&* 13. Sic animæ noſtræ inficiuntur ῥαντισμῷ ſanguinis novi teſtamenti, ipſius Chriſti. 1. *Pet. cap.* 1. *v.* 2. *Hebr.* 9. *v.* 13, 14. *&* 12. *v.* 34. Beneficium ipſum in typo erat liberatio a morte, ab Angelo Ægyptum tranſeunte, inferenda. In antitypo Chri-

ſtus

ſtus Angelus fœderis nos liberat a metu mortis, imo ab ipſa morte, quam abſorpſit in victoriam.

In ſanctificatione mortificatio veteris hominis figuratur 1. abjectione fermenti, id eſt, 1. falſæ doctrinæ. *Matth.* 16. *v.* 12. 2. hypocriſeos & impietatis. *Luc.* 12. *v.* 1. 3. conſortio impiorum. 1. *Cor.* 5. 11. Uſu azymorum, id eſt, εἰλικρινείᾳ καὶ ἀληθείᾳ. 1. *Cor.* 5. *v.* 8. cui adjunctæ herbæ amaræ, quia amara ſunt carni, ſuipſius abnegatio, crux, Chriſti imitatio. Vivificatio autem novi hominis feſtinatione, & amictu indicatur. Non enim ſedentes agnum manducabant, ſed ad iter parati: Sic & fideles decet quaſi ad curſum, certamen & luctam eſſe promptos, non reſpicientes quæ a tergo ſunt, ne in judicium uxoris Loti incidant. Quid autem amictus ille, baculus, calcei, lumbi ſuccincti voluerint, Paulus, *Eph.* 6. *v.* 14, 15, 16. luculentiſſime explicavit.

Fruſtra ergo hodieque Judæi agnum paſchalem mactant, quo ipſo Jeſum agni paſchalis antitypum negant: quibus

Socini-

Socinianos jure merito adjungimus. Neque hic agnus paſchalis typus fuit Euchariſtiæ, quod docere vult Bellarminus, *de ſacram. Euchar. lib.* 1. *cap.* 7. cum typus fuerit Chriſti, cujus beneficia itidem nobis in S. cœna obſignantur. Idem fruſtra contra Caranzam circa concilium VI. Conſtantinopolitanum diſputat, *de reliquiis* 5. *cap.* 8. de agnis Dei, quos vocant; ubi inexcuſabilis eſt Romanæ Eccleſiæ idolatria & gentilium ſuperſtitionum, circa amuleta. κακοζηλία.

Atque hæc de perſona revelante: Res ipſa, ſigillorum apertione figuratur. Liber ille ſine dubio liber ἀποκαλύψεως eſt, qui in dextra agni, *Apoc. cap.* 5. *v.* 1. intus & a tergo ſcriptus. Sigilla autem hæc non confirmantia, ut in literis regiis Ahaſueri. *Eſt. cap.* 3. *v.* 12. ac Jeſabelis. 1. *Reg. cap.* 21. *v.* 8. ut & Sacramenta ſigilla dicuntur. *Rom. cap.* 4. *v.* 11. Sed Claudentia, adeoque profanos arcentia: quali ſigillo obſignatum fuit Dominicum ſepulchrum, *Matt.* 27. *v.* 66. quali & literæ muniri ſolebant ne legerentur ab illis ad quos non pertinebant.

vide Kirchm. de annulis, *cap.* 6. & Longum, *cap.* 8. Deus juſto ſuo judicio ſæpe ſic agit, verbum ſuum obſignat, nec omnibus manifeſtat, ut *viſio ſimilis ſit verbis literarum obſignatarum; quæ dantur ſcienti literas, dicendo; lege, quæſo, hoc; dicit autem non poſſum, quia obſignatum eſt. Sin autem dentur literæ ei qui neſcit literas, dicendo: lege, quæſo, hoc; dicit, neſcio literas.* Jeſ. cap. 29. v. 11, 12. Hoc modo Deus contemtoribus verbi ſui cor indurat, *Jeſ. cap.* 6. *Joh. cap.* 12. *Act. cap.* 28. Agnus circa ſigilla hæc occupatur non illa cognoſcendo tum in materia an ſint ex auro, argento, ferro; tum in forma, quæ illis inſculpta ſit imago, cum enim ab ipſo omnia hæc proficiſcantur hac cognitione non indiget: Sed aperiendo, non inſtar alicujus lectoris, ut fecit Ezras lecturus legem. *Nehem. cap.* 8. *v.* 6. & ipſe Jeſus in ſynagoga Nazarethana. *Luc.* 4. *v.* 17. Sed arcana illa manifeſtando, ſcripturam per viſiones aperiendo, ut ea, quæ futura erant cito, clare intelligerentur. hæc enim pars eſt officii Prophetici, quo agnus hic fungitur, non

tantum

tantum in carne, ſed etiam exaltatus ad dextram Patris ſpiritu ſuo Prophetas futura præcinentes ad eccleſiæ ædificationem inſtruxit, Paulum, Agabum, Johannem noſtrum, & alios. De convenientia horum ſigillorum hactenus.

SIGILLUM PRIMUM.

Apocal. cap. VI. v. 1, 2.

1. Καὶ εἶδον ὅτε ἤνοιξε τὸ ἀρνίον μίαν ἐκ τῶν σφραγίδων, καὶ ἤκουσα ἑνὸς ἐκ τῶν τεσσάρων ζώων λέγοντος, ὡς φωνῆς βροντῆς, ἔρχου καὶ βλέπε.

2. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος λευκὸς καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτῷ, ἔχων τόξον. καὶ ἐδόθη αὐτῷ στέφανος, καὶ ἐξῆλθε νικῶν, καὶ ἵνα νικήσῃ.

1. *Et vidi cum aperuiſſet agnus primum ex ſigillis, & audivi unum ex quatuor illis animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui, veni & vide.*

2. *Aſpexi igitur, & ecce aderat equus albus; & qui inſidebat ei habebat arcum: & data eſt ei corona, & prodiit vincens, & ut vinceret.*

Differentia porro harum viſionum, quatuor priores a tribus poſterioribus diſcernit, eo quod quatuor illæ peculiarem habent præmonitionem, & animalis viſionem, quæ in reliquis non occurrunt. Præmonitio perſonam loquentem, ejusque verba enuntiat.

Perſona loquens non agnus eſt, neque Angelus: ſed quatuor animalia, de quibus ſupra *cap. 4. v.* 6, 7, 8. dixerat: quorum unumquodque ſuo loco & ordine Johannem alloquitur. Neque tamen hic de eorum loco quicquam determinatur, quaſi locus primi animalis ſit oriens, ſecundi occidens, tertii auſter, quarti ſeptentrio, quæ otioſi cerebri figmenta ſunt, cum eorum ne γϱὺ quidem hic appareat. Tantum abeſt ut ad viſionum explicationem vel tantillum facere poſſint. Angelos non eſſe arguit ipſorum confeſſio, cap. 5. v. 9. *redemiſti nos ſanguine tuo, ex omni lingua, & tribu, populo & natione*, quod beneficium angelis datum non eſt. Eccleſiæ Doctores figurari putamus qui coram throno Dei verſantes ejus nomine legatione

tione funguntur, in quatuor orbis partes emittendi, quod quaternione hoc indigitatur. Ipſa εἰκονογραφία eorum proprietates indicat: *Leo* animi fortitudinem; *Vitulus* laborum tolerantiam: *Homo* prudentiam; *Aquila*, tum rerum terrenarum deſpicientiam, tum cœleſtium perſpicientiam. *Alæ* celeritatem. Ut autem totus oculeus & vigilans ſit, *oculorum* in his animalibus *multitudo* requirit. Vox quoque illis tribuitur efficaciſſima ὡς φωνῆς βροντῆς, ut ſint Boanerges; *Marc. cap.* 3. *v.* 17. inſtent εὐκαίρως, ἀκαίρως. Nec ſimul verba faciunt & confuſe, verum ordine: nec loquitur ſecundus, niſi poſtquam tacuit primus, ex lege Apoſtolica. 1. *Cor. cap.* 14. *v.* 29, 30, 31, 32, 33.

Verba pronuntiat non terribilia, ut illud Abite, *Matth*, 25. *v.* 41. Sed invitantia ἔρχου, καὶ βλέπε. Non corporis tantum, ſed animi maxime præſentiam & attentionem poſtulat. Nihil videre potuiſſet Johannes niſi acceſſiſſet propius: fruſtraneus item ſine viſione aditus.

Animal in quatuor prioribus viſioni-

 bus

bus apparens, quoad ſpeciem idem eſt. Non agnus, Ovis, Lupus, Sed Equus cum Seſſore, Hoc Prophetis non inſolens, ut apparet *Zachar. cap.* 1. *v.* 8. *&* *cap.* 6. *v.* 1, 2, 3. Notat Dei efficaciſſimam ac velociſſimam in exequendo potentiam: huc facit ipſius Dei ad Jobum oratio, cap. 39. *v.* 22-28. *Dares-ne equo robur? an indueres collum ejus tonitru? An tremefaceres eum ſicut locuſtam? gloriam ronchi ejus terrore? Fodiunt pedes in convalle, & lætatur præ virtute, prodiens obviam armis. Ridet pavorem, neque conſternatur, neque revertitur metu gladii. Contra ſe ſonante pharetra, ſplendente haſta & lancea. In fremitu & commotione fodit terram, neque conſiſtit firmus, quum ſonus tubæ editur. Ad ſonum tubæ dicit, Ha, ha, he, quum e longinquo odoratur bellum, tonitru principum & vociferationem.* Scilicet *Bello armantur equi.* Sic poëtarum Princeps, 3. Georg.

——Si qua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit, micat auribus, ac tremit artus,
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.

Propter

Propter velocitatem Perſæ Soli equum mactarunt,

Ne detur celeri victima tarda Deo.

Equi caput repertum, *bellicoſum potentemque* populum futurum ſignificans, Carthagini auſpicatam ſedem dedit, inquit Juſtinus *lib.* 18. *cap.* 5. Adoranda & tremenda ſummi Dei potentia, absque qua nec Deus eſſet; Eam in creatione & providentia tum conſervando tum gubernando exerit, præſertim circa eccleſiam, ipſam quidem defendendo, hoſtes autem variis modis puniendo, vincendo.

Diſcrimen inter hos quatuor equos in diverſo tum colore, tum equite videre eſt. Primi quidem color lætitiam notat, Albus enim eſt, qualis triumphantium: hoc ornati apparuerunt Angeli Chriſto glorioſo in reſurrectione, & in cælum aſcenſione. Victores ex afflictionibus prodeuntes non tantum palmati, ſed & candidati apparent. *Apoc. cap.* 7. *v.* 9. 14. Jeſus ergo poſt paſſiones ſuas in gloriam ingreſſus miſſo Spiritu S. inſedit Equo albo, ideſt, verbo euangelii lætiſſimi per

per totum terrarum orbem annuntianti reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum cuivis credenti: ut prædictum, Pſ. 45. v. 5. *Decore tuo proſpere equita cum verbo veritatis, & proloquere juſtitiam.* Noſtrum eſt læto vultu & animo eum excipere, ne forte color hic albus in nigrum vertat.

Equitis apparet primo gloria, deinde Actio. Gloria tum armis, tum inſigni ſigno deſcribitur.

Armatus procedit Dominus non fulmine, ut eum ſuperſtitioſa depinxit blaſphemia, ex ſomnio ſanguinolenti Dominici, qui Romæ nocte quadam orationi incumbens, vidit ad Patris dexteram exurgere Filium in ira ſua, ut interficeret omnes peccatores terræ. cum nemo ei reſiſteret, occurrit ſcilicet Virgo mater oſtentans Dominicum & Franciſcum, ad meliorem mentem reducturos homines, *vid. Hoſpin. de Orig. Monach. lib.* 6. *cap.* 3. Andreas Rivetus hanc fabulam delineatam ipſe vidit in ambulacro Archiepiſcopi Burdigalenſis, ut teſtatur in commentario ad *Pſal.* 45. cum his verſibus adſcriptis: *Na-*

Nate, manum flammasque tene, melioribus illi
Ignibus accendent lumina, corda, manus.

Arcu autem armatus procedit bellator noſter: Dominus vere ἑκατηβόλος, vel ἑκατηβελέτης, majore jure quam vel Apollo, vel Parthus, *vid. Sueton. Ner. cap.* 39. qui ſagittis ſuis populos proſternit, etiam inimicos. *Pſal.* 45. *v.* 6. Hæc enim vis eſt verbi Euangelici, ut compungat κατανύγῃ corda non tantum fidelium verbum illud recipientium, *Act.* 2. *v.* 37. ſed etiam inimicorum; cum Spiritus S. per verbi miniſterium etiam redarguat mundum de peccato, de juſtitia, de „ judicio. *Joh.* 16. Egregia hic ſunt ver„ ba Forbeſii: Eques hic perpetuo tri„ umphat, tum quantum ad eos qui „ ſalvantur, tum etiam quoad eos qui „ pereunt. Sagittis his feriuntur omnes, „ ſed diverſimode; nonnulli occidun„ tur ut vivant, & interemti ſalvantur, „ qui volunt ſanari, & audire vocem „ ejus, dum eſt dies hodiernus; alii oc„ ciduntur ad internecionem, quorum „ obſtinatis animis juſtæ ſuæ condemna-

„ tionis & terroris Chriſti ſigillum im-
„ primitur. Eſt enim validus hic ſagit-
„ tarius, non quales illi ex poſteris E-
„ phraimi, qui armati, jaculantes arcu,
„ verterunt terga tempore prælii; ſed
„ verus ille Joſephus, paſtor Iſraëlis,
„ quamvis amaritudine affecerint eum,
„ & jaculati ſint in eum, quamvis inte-
„ ſtino odio proſequuti ſint eum ſagit-
„ tarii, permanſit tamen in robore ar-
„ cus ejus, roborataque ſunt brachia
„ manuum ejus, a manibus robuſti Dei
„ Jacobi; unde fuit paſtor, & lapis
„ Iſraëlis.

Inſigne porro eſt ſignum illud inſigne, quo ornatus eſt Eques noſter, ſive naturam ejus ſpectes, ſive communicandi modum. Corona eſt, regium inſigne, quod ſumere privatis capitale eſt. Notis quibusdam hominum ordines diſtinguuntur, Diogeni & Antiſtheni, inquit Apulejus in Apologia, pera & baculus, quod Regibus diadema, Imperatoribus paludamentum, quod Pontificibus galerum, quod lituus Auguribus. Egregie autem Tertullianus obſervavit nul-

lum

lum hominem, Deo commendatum, inveniri coronatum. Sic ſcribit, *cap.* 9. de corona militis: *Quis Patriarches; quis Prophetes, quis Levites, aut Sacerdos, aut ἄρχων; quis vel poſtea aut Apoſtolus, aut Euangelizator, aut Epiſcopus invenitur coronatus? Puto nec ipſum Dei templum, nec arca teſtamenti, nec tabernaculum martyrii, nec altare, nec candelabrum: quibus utique & in prima dedicationis ſolennitate, & in ſecunda reſtitutionis gratulatione competiſſet coronari, ſi Deo dignum eſſet.* Quas Chriſtiani aut habent aut habebunt coronas, ut Paulus de corona juſtitiæ loquitur, 2. *Tim cap.* 4. *v.* 8. eas cum viginti quatuor ſenioribus coram throno Dei & Agni, quibus eas acceptas referunt, dejectas videmus. *Apoc. cap.* 4. *v.* 4. & 10. Hic autem videmus Jeſum Chriſtum δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, *Heb. cap.* 2. *v.* 9. quam ſicut Pater ei promiſerat, ipſe etiam paſſionibus ſuis & corpori ſuo, & ſibi, ut capiti, meritus erat; Sic & oraverat, *Joh. cap.* 17. *v.* 5. Καὶ νῦν δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί. Quam gloriam deterere conan-

nantur, qui eum quotidie in miſſa mactant. Nobis vero tutum refugium quæramus, quod & inveniemus apud eum qui hac gloria coronatus eſt.

Coronam hanc non impoſuerunt illi hoſtes, ut ſpineam illam; non eam ſibi uſurpavit, non enim rapinam duxit parem eſſe Deo. *Phil. cap.* 2. Sed data eſt ei. Nemo enim ſibi ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur a Deo, ut Aharon. *Heb. cap.* 5. *v.* 4. Jeſu Chriſto ſub novo imprimis teſtamento datum eſt regnum, quod ante promiſſum, adumbratum, in ipſo etiam Iſraële, pro illius temporis œconomia, adminiſtratum, inde a diebus Johannis Baptiſtæ quaſi vi erupit, maxima cum copia donorum Spiritus S. etiam inter gentes & loca remotiſſima propagatum eſt, juxta illud Pſal. 2. *Vnxi regem in Sionem montem ſanctitatis meæ. Pete à me, & donabo gentes in poſſeſſionem tuam: & fines terræ ſius poſſeſſionis tuæ.* Qui ſe eccleſiæ Regem præter eum jactat, & ſi triplici corona oneratus ſit, perduellionis reus eſt. Miſeri autem Regis noſtri hoſtes qualeſcunque quos virga

ga ferrea, inſtar vaſis teſtacei conteret, juxta ſententiam etiam in Judæos latam. Luc. cap. 19. v. 27. *Inimicos meos, qui noluerunt me regnare ſupra ſe, adducite huc, & jugulate coram me.* Regem hunc coronatum a Patre agnoſcamus, juſtum, potentem, ſapientem, ut ab hoſtibus noſtris ſecuri, ipſi in æternum perpetua obedientia ſerviamus.

Actio hujus Regis in eo eſt, quod non reverſus ſit cum pudore, abjecto non bene arcu, non ſteterit immotus ſuo loco; Sed velut Imperator paludatus auſpicato tanquam ad bellum egreſſus, fauſtis avibus tam in præſens, quam in futurum. Victor eſt mortis quam abſorpſit in victoriam; victor eſt Principis mundi, qui non poteſt in eum quicquam: Sed maxima eſt ejus victoria, qua prædicatione Euangelii totius mundi victor eſt, & vincet in æternum, quia nemo ei potis eſt reſiſtere. Manifeſta hæc victoria quando per os Petri arcus hic tenſus, ejaculatus eſt ſagittas in feſto Pentecoſtes, cum tria Judæorum ac proſelytorum millia Hieroſolymis κατενύγησαν τῇ

καρ-

καρδίᾳ. compuncti ſunt corde. Hinc, juxta vaticinium Jeſaïæ, *cap.* 2. & Chriſti, *Act. cap.* 1. *v.* 8. progreſſus eſt hic Eques in Judæam, deinde vicit Samaram, *Act.* 8. ubi convicit etiam Simonem. de hinc Cornelium, *Act.* 10. Eunuchum Reginæ Candaces. *ibid.* Philippus delatus Azotum, inde profectus Cæſaream, διερχόμενος εὐηγγελίζετο τὰς πόλεις πάσας. *Act. cap.* 8. *v.* 4. Dum autem Petrus, ut miniſter circumciſionis, ſingulas Judæorum eccleſias curabat, *Act.* 9. *v.* 32. Lyddam & Saronam Judææ urbes Chriſto vincit. Apud Joppen Tabitham vitæ reſtituit; quo miraculo multi in illa urbe vincuntur, & ad fidem adducuntur: Interim Paulus miraculo factus Chriſtianus & Apoſtolus, Damaſci Chriſtum in ſynagogis docet. Cæſaream & Tarſum concedit. Eccleſiæ autem per totam Judæam, & Galilæam, & Samariam pace fruebantur, ædificantur, & incedentes in timore Domini, & conſolatione Spiritus S. multiplicabantur. *Act. cap.* 9. *v.* 30, 31. Dehinc erectum eſt equitis noſtri Victoris vexillum poſt Stephani martyrium,

quan-

quando οἱ διασπαρέντες ἀπὸ τῆς θλίψεως τῆς γενομένης ἐπὶ στεφάνῳ, διῆλθον ἕως φοινίκης καὶ κύπρου, καὶ Ἀντιοχείας, nulli locuti ſunt niſi Judæis: *Act.* 11. *v.* 19. Interim & gentes ab Equite noſtro victæ, imprimis poſtquam Judæi rejecerunt verbum, & ſe indignos eo fecerunt, cum, excuſſo calceorum pulvere, ad gentes ſe verterunt Paulus & Barnabas. Inſigne hoc Equitis noſtri Victoris tropæum eſt, *Act.* 13. *v.* 48, 49. Ἀκούοντα δὲ τὰ ἔθνη ἔχαιρον, καὶ ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ κυρίου, καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Διεφέρετο δὲ ὁ λόγος τοῦ κυρίου δι' ὅλης τῆς χώρας. Hinc Paulus inde ab Hieroſolymis, usque ad Illyricum implevit Euangelium Chriſti. *Rom.* 15. *v.* 19. Et Romæ ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ vincula ejus manifeſtata ſunt. *Phil.* 1. *v.* 13.

Quomodo Atticæ illæ Athenæ, quomodo Epheſus νεωκόρος τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτεμίδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς, quomodo Corinthus Græciæ ocellus, quomodo tandem aliæ urbes & gentes victæ ſint tum a Paulo tum a reliquis Apoſtolis Eccleſiaſtica tradit hiſtoria. Sequitur

SIGIL-

SIGILLUM SECUNDUM.

Apoc. cap. VI. v. 3. & 4.

3. Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν δευτέραν σφραγῖδα, ἤκουσα τοῦ δευτέρου ζώου λέγοντος, ἔρχου καὶ βλέπε.

4. Καὶ ἐξῆλθεν ἄλλος ἵππος πυῤῥός. καὶ τῷ καθημένῳ ἐπ' αὐτῷ ἐδόθη αὐτῷ λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἵνα ἀλλήλους σφάξωσι καὶ ἐδόθη αὐτῷ μάχαιρα μεγάλη.

3. *Quumque aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum animal, dicens: Veni, & vide.*

4. *Et prodiit alius equus rufus, & ſedenti in eo datum eſt, ut tollat pacem e terra, ut alii alios mactent: datusque eſt ei gladius magnus.*

Regum ars πολιτικωτάτη eſt
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Læti coloris albi equum vidimus, Euangelium annunciantis: ſequuntur triſtes illi, quibus ſuperbos verbi ſui ac ſagittarum duros contemtores contuderunt ac debellarunt Equites alii. qui quidem ſi-

gillatim primo producuntur, deinde communis eorum poteſtas deſcribitur.

Sigillatim horrenda Dei judicia præſeferunt: Bellum, Famem, mortem. Bellum in apertione ſecundi ſigilli prodit.

Color Equi rufus eſt, qui & ſanguinis, adeoque belli. Ex colore aquæ ſanguineo bellum inteſtinum, inter Reges Judæ & Iſraëlis colligebant Moabitæ. 2. *Reg. cap.* 3. *v.* 22, 23. Mulier ebria ſanguine ſanctorum, & ſanguine Martyrum Jeſu beſtiæ inſidet coccineæ. *Apoc. cap.* 17. *v.* 3. *&* 6. Equiti vero poteſtas datur, ejusque ſignum. Poteſtas eſt tollendi pacem e terra, ſcil. Judaica, ut de voce γῆ ante diximus, itaque *bella, horrida bella,*

Judæam & multo ſpumantem ſanguine
cerno.

Bellum non tantum externum a Romanis, ſed & inteſtinum, *ἵνα ἀλλήλους σφάξωσι.* Judæorum enim factiones in ipſo bello multæ. Ipſa Hieroſolyma carnificina erat ſuorum incolarum, legatur tantum Joſephus de bello Judaico, qui *αὐτόπτης* narrat quomodo in viſcera ſua ſævierint ipſi Judæi. Signum hujus poteſtatis gla-

 dius

dius eſt, non ille ſpiritualis, qui eſt verbum Dei. *Epheſ. cap.* 6. *v.* 17. ex ore Chriſti prodiens. *Apoc. cap.* 1. *v.* 16. Sicut enim hic Eques alius : ſic & alia arma; Ut apud Judæos Clavis inſigne poteſtatis quo κυροπαλάται ornabantur, *Jeſ.* 22. *v.* 22. ſic aliis gladius. celebre eſt dictum Trajani, apud Dionem, *lib.* 68. prætorianorum præfecto gladium tradentis: *Accipe gladium, quem pro me, ſi bene imperavero, diſtringes : ſin minus eo ad interitum meum uteris.* Gladius ergo belli organum & ſymbolum. Tremendum hoc Dei judicium eſt, quod abominatus David, 2. *Sam.* 24. quamvis heros fortiſſimus, cui cor erat leonis. Inter graviſſimas pœnas hoc minatur Deus. *Lev. cap.* 26. *Deut.* 28. *&c.* Immanitatem ejus ac vaſtitatem Italiæ in ſomnis Hannibalem vidiſſe narrat Livius, *lib.* 21. *cap.* 22. ſerpentem ſcilicet mira magnitudine, cum ingenti arborum ac virgultorum ſtrage ferri, ac poſt inſequi cum fragore cœli nimbum. Hoc horrendo modo Deus apud Judæos verbi Euangelii contemtum ultus eſt, ut Jeſus *Matth.* 23. *&* 24.

& 24. prædixerat: ſed & alias ſic egit. Cum Iſraël Deos novos eligeret, debellator fuit in portis. *Jud.* 5. *v.* 8. Verbi contemtus inter primarias captivitatis Babylonicæ cauſas recenſetur. 2. *Chron. cap.* 36. *v.* 16.

SIGILLUM TERTIUM.

Apoc. cap. VI. v. 5. & 6.

5. Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν τρίτην σφραγῖδα,
ἤκουσα τοῦ τρίτου ζώου λέγοντος· ἔρχου καὶ
βλέπε. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος μέ-
λας, καὶ ὁ καθήμενος ἐπ' αὐτοῦ, ἔχων
ζυγὸν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ.
6. Καὶ ἤκουσα φωνὴν ἐν μέσῳ τῶν τεσσάρων
ζώων λέγουσαν. Χοῖνιξ σίτου δηναρίου,
καὶ τρεῖς χοίνικες κριθῆς δηναρίου. καὶ τὸ
ἔλαιον, καὶ τὸν οἶνον μὴ ἀδικήσῃς.

5. *Et quum aperuiſſet ſigillum tertium, audivi tertium animal, dicens: Veni & vide. Vidi igitur, & equus niger aderat, & qui inſidebat ei habebat ſtateram in manu ſua.*
6. *Et audivi vocem inter illa quatuor animalia dicentem: Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario: & vinum & oleum ne læſeris.*

Sequitur ſecundum judicium, quo Deus Judæos in obſidione Hieroſolymitana afflixit, ubi Equi color Niger Famem indicat, ſtylo ſcripturæ. Thren. cap. 4. v. 7, 8, 9, 10. *Puriores erant Nazirei ejus nive, nitidiores lacte: rubebant corpore magis quam carbunculi, Sapphirina polities eorum. Quomodo obſcurior eſt nigredine forma eorum? non agnoſcuntur in vicis: concreta eſt cutis eorum cum oſſe ipſorum., aret, eſt ſimilis ligno. Quomodo melius habent confoſſi gladio quam confoſſi fame: melius qui perfluunt transfixi, quam deſtituti proventibus agrorum meorum? quomodo manus mulierum miſericordium coquunt natos ipſarum, ſunt alimento ipſis in contritione populi mei?* Et cap. 5. v. 10. *Pelles noſtræ ut furnus atratæ ſunt, propter procellas famis.* Sic Jobus conqueritur, cap. 30. *v.* 30. *Cutis mea denigrata eſt ſuper me: & oſſa mea exarſerunt præ ſiccitate.* Et hic Eques ſigno inſignitus eſt cui & poteſtas addita. Signum hoc non modius, quo hordeum & triticum menſurari ſolent; ſed vero multo minus, ut famem & annonæ caritatem doceat: Statera eſt, qua aromata & pre-

& precioſa quævis appenduntur. Hæc legis maledictio *Levit. cap.* 26. *v.* 26. ut homines panem ad pondus comedant. Poteſtas ejus autoritate nititur, Non unius ex quatuor animalibus, quorum vox tantum eſt: ἔρχου, καὶ βλέπε. Sed hæc vox prodiit e medio eorum, ſcilicet ab Agno ſtante in medio throni, animalium & ſeniorum, cujus nutu hæc omnia diriguntur. Hujus autem poteſtatis magnitudo in maxima apparet penuria, ſed limitata. Penuria eſt in tritico & hordeo. Tritici menſura χοῖνιξ modica menſura qua ſervis diaria ſua veteres admetiebantur, ἡ χοῖνιξ ἡμερήσιος τροφή. *Laërt. in* Pythagoræ *vita*, qui Philoſophus inter ſymbola ſua habuit, ἐπὶ χοίνικος μὴ καθίζειν, quod ſic exponit: ἐν ἴσῳ τοῦ ἐνεστῶτος φροντίδα ποιεῖσθαι, καὶ τοῦ μέλλοντος. In emblematis vero ſic explicat Alciatus:

Quisquis iners abeat: in chœnice figere ſedem
Nos prohibent Samii dogmata ſancta ſenis.
Surge igitur, duroque manus adſueſce labori,
Det tibi dimenſos craſtina ut hora cibos.

Menſuræ hujus tantillæ, quæ uni diei ſufficit, merces etiam diurna pretium ad

ſignatur, *Δηνάριος*. **een ſchellinck.** hic enim operantibus in vinea, *Matth.* 20. pro diurno labore numeratur. Hordei vero ut vilioris tres chœnices eodem pretio æſtimantur, nempe denario. Acerbiſſima hæc virga in manu Dei, quam & experti Samaritani. 2. *Reg.* 6. In proverbium abiit fames Numantina, Saguntina, Melia. his merito addas Hieroſolymitanam, quam hoc ſigillum minatur. Fames etiam ſub Claudio fuerat quam prædixerat Agabus. *Act.* 11. *v.* 28. Alia vero hæc & immaniſſima in obſidione Hieroſolymæ. quam vix quis ſine horrore legat apud Joſephum, de bello Jud. *lib.* 6. *cap.* 14. *& lib.* 7. *cap.* 7. *&* 8. ex qua inmumeri homines perierunt, & matres quamvis miſericordes liberos mactarunt, coxerunt, aſſarunt & in propria viſcera condiderunt. Limitationem tamen aliquam & mitigationem deprehendimus, non circa triticum & hordeum, ita ut plane hæc defecerint quorum uſus omnibus hominibus ordinarie alendis inſervit, eoque defectus eorum intolerabilis. Verum circa vinum

& ole-

& oleum quæ potentioribus ac delicati-
oribus adſervari, & ſuperfluis magis
quam neceſſariis uſibus, abſumi ſolent.
Itaque hæc Dei clementia, quam in me-
diis malis adhibuit, maledictioni ipſis
fuit, ut ait Malachias, *cap.* 2. *v.* 2.

SIGILLUM QUARTUM.

Apoc. cap. VI. v. 7, 8.

7. Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγίδα τὴν τετάρτην,
ἤκουσα φωνὴν τοῦ τετάρτου ζώου λέγουσαν.
Ἔρχου καὶ βλέπε.
8. Καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος χλωρὸς, καὶ ὁ
καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ ὄνομα αὐτῷ Θά-
νατος. καὶ ὁ ᾅδης ἀκολουθεῖ μετ᾽ αὐτοῦ. Καὶ
ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία ἀποκτεῖναι ἐπὶ τὸ τέ-
ταρτον τῆς γῆς ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ἐν λιμῷ,
καὶ ἐν θανάτῳ, καὶ ὑπὸ θηρίων τῆς γῆς.

7. *Quumque aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentem: Veni & vide.*

8. *Tum vidi, & ecce aderat equus pallidus, & ejus, qui inſidebat ei, nomen erat mors: & infernus ſequebatur eam: dataque eſt eis poteſtas in quadrantem terræ trucidan-*

di gladio, & fame, & morte, & per terreſtres feras.

Quartum ſigillum tertiam indicat plagam, Peſtilitatem, quæ bellum & famem fere ſequi ſolet. Poſt cladem & fugam Xerxis, quotidiano exercitus labori fames acceſſerat: Multorum deinde dierum inopia contraxerat & peſtem; tantaque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus implerentur, alitesque & beſtiæ, illecebris ſollicitatæ, exercitum ſequerentur. *Juſtin. lib.* 2. *cap.* 13. Anno ſecundo belli Peloponneſiaci idem fatum Athenis graviſſime incubuit, quod Thucydides *lib.* 2. & Lucretius *lib.* 6. graphice admodum deſcripſerunt: exempla quædam ſimilia collegit Richterus, *axiom. œcon.* 84. & Danæus, *aphor. polit. p.* 336. 337. Nos in Judæam redimus. Color equi χλωρὸς: color ex virore pallens, qualis eſt rerum marceſcentium, ut graminis, *Apoc. cap.* 8. *v.* 7. πᾶς χόρτος χλωρὸς κατεκάη. Videſis ſis Clariſſ. Grævii Heſiodeas lectiones ad *ſcut. Herc. v.* 232. Equitis porro tum nomen tum ſatelles deſcribitur. Nomen

θάνατος, Mors, hic imprimis peſtem notat, ut Chaldæis מותא. Mortem peſte tacti vix effugiunt. Cum Iſraël, ex voto Davidis incidiſſet in manus Dei clementiſſimi, ſeptuaginta tamen millia uno triduo peſte interemti ſunt. 2. *Sam. cap.* 24. *v.* 13, 14, 15. Satelles hujus Equitis Ἅδης, quod an infernum an ſepulchrum notet disquirendum aliis damus, ſaltem ſtatum illum qui mortem ſequitur, quo defuncti ex conſortio viventium exterminantur quin notet nemo negabit, qui Sanfordum ac Parkerum, Windetum, Schotanum aliosque de hac re diſſerentes legerit. Omnibus quidem viventibus ſemel eſt calcanda via lethi, & Pallida mors ſceptra ligonibus æquat, ejus tamen vis in talibus judiciis, peſte autem imprimis ſeſe exerit. In ſola Judæa poſt aſcenſionem Jeſu Chriſti in cœlum, quid in civilibus externisque bellis paſſi ſint Judæi Lipſius aliquo modo rationem iniit, *lib.* 2. *de Conſtantia, cap.* 21. innumeris omiſſis, hanc ſummam, quæ quaſi ſolenni ritu in libitinæ tabulas relata eſt, cujus apud probatos ſcriptores

 me-

memoria eſt, colligit duodecies centenorum & quadraginta millium. Hæc judicia Dei ſigillatim in Judæos exercita, in fine verſus 8. quaſi per ἀνακεφαλαιώσιν junguntur, quorum vaſta latitudo ad quartam terræ Judaicæ partem extenſa, etiam τὸ τέταρτον τῶν θηρίων τῆς γῆς, juxta quorundam codicum lectionem complectitur. Hanc autem poteſtatem non ſibi arrogarunt, ſed ἐδόθη αὐτοῖς juſtiſſima & ſapientiſſima Dei providentia, quid enim mali in civitate ſine Deo, ex cujus ore & bonum & malum egreditur. *Amos, cap. 3. v. 6. Thren. cap. 3. v. 37, 38. Jeſ. cap. 45. v. 7.*

Horum opus non parcere ferro, juxta dictum Annibalis, ſed occidere. Inſtrumenta vero terribilia, in bello quidem gladius, cui comites junguntur Fames, Mors, &, juxta alios codd. etiam Feræ, Ubi peccata creſcunt, creſcunt & poenæ, ideoque juſtiſſimo judicio Deus judicia ſua accumulat: qualia recenſet Ezechiel, *cap.* 14. *v.* 21. quatuor illa peſſima, gladium ac famem, beſtias malas & peſtem. Decem plagis Ægyptios

& in-

& induratum Pharaonem afflixit Deus. Cum enim minoribus illis pœnis nihil promovet, graviores addit, ut *Amos, cap.* 4. & Lev. cap. 26. v. 27, 28. *Quod ſi hac ratione non auſcultaveritis mihi, ſed ambulaveritis mecum temere, utique ambulabo vobiſcum excandeſcens, temere; & caſtigabo vos ego quoque ſeptuplo propter peccata veſtra.* Quod ſane in ultima hac Judæorum πανωλεθρίᾳ impletum.

SIGILLUM QUINTUM.

Apoc. cap. VI. v. 9, 10, 11.

9. Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν πέμπτην σφραγῖδα, εἶδον ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου τὰς ψυχὰς τῶν ἐσφαγμένων διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, καὶ διὰ τὴν μαρτυρίαν, ἣν εἶχον.

10. Καὶ ἔκραζον φωνῇ μεγάλῃ, λέγοντες· ἕως πότε ὁ δεσπότης ὁ ἅγιος καὶ ὁ ἀληθινὸς οὐ κρίνεις καὶ ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν ἀπὸ τῶν κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς;

11. Καὶ ἐδόθησαν ἑκάστοις στολαὶ λευκαὶ, καὶ ἐρρήθη αὐτοῖς, ἵνα ἀναπαύσωνται ἔτι χρόνον μικρὸν, ἕως οὗ πληρώσωνται καὶ οἱ σύνδουλοι αὐτῶν, καὶ οἱ μέλλοντες ἀποκτείνεσθαι ὡς καὶ αὐτοί.

9. *Quum*

9. *Quum vero aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſub altari animas eorum qui mactati erant propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod tuebantur.*

10. *Clamabant autem voce magna, dicentes: Vſquequo, Domine, qui ſanctus es & verax, non judicas, & vindicas ſanguinem noſtrum, eum repoſcendo ab iis qui habitant in terra?*

11. *Tum datæ ſunt ſingulis ſtolæ albæ, & dictum eſt iis ut requieſcerent adhuc paululum temporis, uſquequo compleantur etiam conſervi eorum, & fratres eorum, qui occidendi ſunt, ſicut & ipſi.*

Tria poſtrema ſigilla hoc proprium habent, quo & a prioribus differunt, quod hic non audiatur vox animalis ad veniendum & audiendum excitantis. quintum enim voce animarum loquitur: in ſexto evidentiſſimum Dei judicium oculis & auribus ſeſe ingerit: In ſeptimo vero ipſum venerabile ſilentium attentionem poſtulat.

In apertione quinti ſigilli Johannes quid viderit, quid audiverit narrat. In viſione res viſas eorumque ſtatum deſcribit.

Vidit

Vidit non Jeſum, ut *cap.* 1. Non Angelum, Agnum, Animalia, ſed Animas. Dixerit licet Lactantius, de opificio Dei, cap. 17. *Quid ſit anima nondum inter philoſophos convenit, nec unquam fortaſſe conveniet.* Nemo tamen cui ſanum ſinciput negaverit, ſcriptura & recta ratione dictante, eas eſſe ſpiritualis, adeoque incorporeæ atque inviſibilis naturæ. Quomodo ergo Johannes eas hic videre potuit? Verum nonne & Angeli ſæpe viſi apparentes in aſſumtis corporibus, tum in Vet. tum in novo teſtamento. Cum autem hominis partem eamque nobiliſſimam conſtituant, quis tam vecors, ut eam pro toto compoſito ſæpe apud probatos ſcriptores ſumi ignoret? adeo ut illis ſanguinem tribuat Æneas Virgilianus. Æneid. xi. v. 25.

Ite, ait, egregias animas, quæ ſanguine nobis
Hanc patriam peperere ſuo, decorate ſupremis Muneribus.

Viſio ſane hæc fuit non naturalis, ſed ἐκστατική, qualis ſæpe Prophetarum extra ſe raptorum, quam illi ipſi quibus contigit vix explicare poſſunt, ut de ſe Paulus

lus ſcripſit; 2. *Cor. cap.* 12. cum in tertio cœlo ineffabilia audiviſſet. Quid? cum mundi corde ipſum Deum qui lucem habitat inacceſſam viſuri ſint. *Matt.* 5. *v.* 8. quis animarum viſionem hic Johanni neget? Vidit eas ſicut vidit altare ſub quo jacebant: ſicut nos videmus cadaver cum videmus loculum, cui hoc impoſitum. Si cui abſurda ergo videtur hæc viſio, abſurdus quoque illi erat animarum clamor, abſurdæ veſtes albæ illis donatæ, abſurda illis propoſita conſolatio. Viſio hæc ad ſilentium redigat Sadducæorum ſententiæ partiarios, ut cum Tertulliano, *cap.* 2. *de reſurr. carn.* loquar, qui animam poſt animal remanere negant, quas morte carere & lux ſcripturæ, & ipſa humana ratio gentiles docuit. Solus Cicero, *in lib.* 1. *quæſt. Tuſc.* eos in ruborem dabit. quæ autem & qualis animæ a corpore ſeparatæ ſcientia ſit; & an in vita futura beati ſe mutuo cogniturі ſint? ego quidem non determinabo, determinantes autem quo modo a levitatis crimine immunes ſint, non video. Sicut autem immortalitate indigni ſunt, qui

qui ita ſe abjiciunt atque proſternunt, ut nihil inter ſe atque inter quadrupedem intereſſe putent: Sic noſtrum eſt, ut tanquam immortalitatis candidati animam noſtram ſanguine Chriſti lotam, ad illud faſtigium veræ virtutis exercitio ſubvehamus, & contra mortis terrorem muniamus, metuentes non homines qui corpus quidem, animam autem interficere non poſſunt, ſed eum potius, qui animam ſimul cum corpore poteſt perdere in gehenna. *Matth.* 10. *v.* 28.

Status harum animarum hic duplex occurrit, *præteritus* qui fuerat in hac terra, ſane Miſer. Non enim fato, merita nec morte perierunt, ſed ἐσφαγμένοι, ut oves ad mactationem ductæ. hæc martyrum ſors eſt, non enim ut homicidæ, fures, malefici, aut aliarum rerum inſpectores, ſed ut Chriſtiani morte affecti ſunt, propter verbum Dei, quod crediderunt, profeſſi coram mundo, propter μαρτύριον, ſive activum quia prædicatione ſua teſtati veritatem Euangelii. ἡ γὰρ μαρτυρία τοῦ Ἰησοῦ ἐστὶ τὸ πνεῦμα τῆς προφητείας. *Apoc. cap.* 19. *v.* 10. Sive etiam paſſivum,

ſivum, quod & alii de ipſis teſtati ſint, bonum teſtimonium, mundo ringente, de eis perhibentes: quale teſtimonium ab extraneis in Epiſcopo Paulus requirit. 1. *Tim. cap.* 3. *v.* 7. Talia obvenerunt pluribus fidelibus inde ab Abele, usque ad Zachariam, deinde Apoſtolis, aliisque teſtibus.

In præſenti harum animarum ſtatu locus primo accurrit *Altare*, Non illud in templo Hieroſolymitano, qui animarum locus nullo modo eſt, nec locus quietis, ſed ſacrificiorum legalium: Sed Jeſus Chriſtus altare eſt. *Heb. cap.* 13. *v.* 10. tum per metaphoram, tum per metonymiam. In metaphora eſt ἀναλογία. Altare factum non inſtinctu humano, ut illud Damaſcenum. 1. *Reg. cap.* 16. *v.* 10-15. Sed Dei ipſius juſſu. *Exod. cap.* 27. Jeſus Chriſtus factus mediator ex decreto æterno, promiſſionibus, operatione Spiritus S. adornato ejus corpore, *Heb. cap.* 10. *v.* 5. imo juſſu. nemo enim ſibi ſumit hunc honorem ſed qui vocatur a Deo, ut Aharon: Ita & Chriſtus, &c. *Heb.* 5. *v.* 4, 5. Altare factum

ex

ex ligno terra naſcente, Chriſtus induit humanam naturam quæ & primitus ex terra formata; ſed idem altare conſtabat opere retiario æneo, quod igni in altari accenſo reſiſtere poſſet: Chriſtus idem Deus erat; ut ferre poſſet ignem iræ Divinæ, contra peccata accenſæ.

Altare cornibus ornatum quibus ab accedentibus prehendi poſſet, 1. *Reg. cap.* 2. *v.* 28. annulis item & vectibus quibus portabatur; Chriſtus beneficia ſua ſalutaria omnibus fidelibus fide apprehendenda exhibet. *Venite ad me omnes. Matt.* 11. Altare quadratum erat, quæ forma reliquis perfectior, qualem in τετραχτὺ *quaternione* vidit Pythagoras, & *quadrigas* virtutum coronam ſtatuebant Stoici. Sic Chriſtus undiquaque perfectus & juſtus, ſanctus ille ex Maria natus. *Luc. cap.* 1. *v.* 35. quem nemo de peccato arguit. *Joh. cap.* 8. *v.* 46. Elevatum erat altare ſupra reliquum terræ ſolum, cœlum verſus: Chriſtus ſublimior etiam cœlis factus, & nos e terra elevat, elevabit. Situm vero erat altare in tabernaculi, & templi atrio: Chriſtus ubi

quærendus niſi in Eccleſia, quæ eſt tabernaculum & templum Dei vivi.

Altare ſanctificabat donum, *Matth.* 23. *v.* 19. ſanctificatum ab ἐμπυρισμοῦ. qui erat ſuper altare ſymbolum viſibile Spiritus S. Chriſtus Spiritu Sancto ſanctificatus eſt Deus ſuos ſanctificans. Metonymia demonſtrat victimam altari impoſitam, qua veſcebantur tum ſacerdotes tum ſacrificantes, excepta victima piaculari, quam ſolus comedebat Sacerdos. *Lev.* 6. *v.* 26. & *cap.* 27. *v.* 7. Quo ſenſu Paulus dixit. 1. *Cor.* 9. *v.* 13. ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίειν. Chriſtus autem vere eſt victima piacularis pro peccatis noſtris, cujus participes ſunt ſoli ſacerdotes ſpirituales, genus illud electum, regale ſacerdotium. 1. *Pet.* 2. *v.* 9.

Valeant qui alia altaria erigunt, nobis accedendum ad hoc altare ut illi imponamus ſacrificia noſtra ſpiritualia, ut Deo ſint accepta propter hoc altare quod idem & ſacrificium & Sacerdos.

Cæterum harum animarum ſitus fuit non ἐπάνω ſupra altare, ubi ignis cœlitus demiſſus, & ſacrificia; ſed ὑποκάτω, infra,

infra, ſicut ſanguis ſacrificiorum ad fundamentum altaris ſpargebatur: tum etjam ſub tutela hujus altaris & victimæ quieſcebant illæ piorum martyrum animæ. Beati enim qui in Domino moriuntur. *Apoc.* 14. *v.* 13. Stultum enim eſt purgatorii figmentum: Stultius hinc concludere reliquias ſanctorum ſub altaribus condendas. hic enim de animabus agitur, Pontificii vero corporum reliquias venditant, quorum fraudes lippis & tonſoribus notæ. Altaria Papanorum quantum ab idololatricis quæſo differunt? nec enim talia ſub Novo teſtamento admittenda cenſemus. Cum autem hæc a Johanne viſa ſymbolica ſint, eadem non eſſe argumentativa quilibet intelligat.

Nunc porro quid audiverit Johannes audiamus. Audivit autem petitionem & reſponſionem. In petitione notabilis eſt tum ipſe proferendi modus, tum verba ab animabus prolata. Profertur petitio non voce ſubmiſſa, ut vox Pythonis e terra, quaſi e pulvere ſermo pipiat. *Jeſ.* 29. *v.* 4. ſed alta voce, qualis eſt

peccatorum clamantium, in quibus ſanguis primum locum habet, juxta illud:

Clamitat in cœlum vox ſanguinis, & Sodomorum,

Vox oppreſſorum; merceſque retenta laborum.

Verba ipſa continent alloquium, & deſiderium animarum. Alloquium ad perſonam dirigitur, cujus & proprietates adduntur. Vita quidem ſanctis erepta, non vox: ſanguis Abelis etiam poſt mortem clamat. Clamant autem ad Dominum, quem hic non vocant κύριον, ſed δεσπότην; quod a Δέω derivatum, eum notat qui vinculis ligatos in poteſtate ſua habet: quales heri in ſervos. 1. *Tim.* 6. *v.* 1, 2. Chriſtus fidelium quidem & κύριος & δεσπότης. Impiorum δεσπότης tantum, qui eos ſibi tanquam ſervos emit, ut 2. *Pet.* 2. *v.* 1. quapropter ſancti Deum ad vindictam in impios exercendam inclamantes, δεσπότην eum appellant.

Proprietates hic duæ aſſignantur, ſanctitas & Veritas. Sanctitas innoxiam ſanguinis effuſionem impunitam dimiſſura

ſura non videbatur: ex lege, per hominem ſanguis ejus effunditor, quia ad imaginem ſui hominem fecit Deus. *Gen.* 9. Veritas autem impletionem vaticiniorum de excidio Hieroſolymæ, ſanguine ſanctorum inquinatæ, adeoque vindictam infallibilem requirebat.

Deſiderium animarum, beneficium petitum, ejusque tempus deſignat. In beneficio eos, contra quos orant, nominant, imo non nominant nominatim, indigni enim, nam nomen impiorum putreſcet. Sed a loco habitationis deſcribunt, *habitantes in terra*, ſcil. Judæa, ut ſupra, *v.* 4. hic enim primæ & acerbæ perſecutiones in eccleſiam Chriſtianam excitatæ, & exercitatæ. In memoriam revocant ſanguinem ſuum, mortemque violentam, qua affecti erant, petuntque vindictam propter ſanctitatem & veritatem Dei.

De tempore etiam quærunt: *Vsquequo*.? quaſi moræ impatientes oculos impiorum pœna paſcere velle videantur. Non ex vindicta, & affectu privato: vetante hoc Chriſto, *Matth.* 5. *v.* 44. 45.

vetante manſuetudine Chriſtiana, *ibid. v.* 39, 40, 41, 42. vetante etiam charitate humana. Verum quia ſunt tales hoſtes ipſius Dei & eccleſiæ, minas contra eam, & interitum ejus ſpirantes, defectus eſſet charitatis eccleſiæ debitæ, ſi pii non orarent, ut Deus hoſtium furorem ſiſteret ac reprimeret. Ut enim non eſt ἐπιχαιρεκακίας vitium, ſi Deum poſt judicia in impios effuſa, liberatamque Eccleſiam laudemus, ut fecerunt Iſraëlitæ, *Exod.* 15. *Jud.* 5. Sic etiam talis oratio contra hoſtes pia eſt, & piis uſitata. *Pſal.* 79. *&* 59. *&* 137. *&* 139. *Jer*, 10. *v.* 25. & locis aliis. Ipſe Chriſtus nos orare docuit: *Libera nos a malo.* Nec enim ſeipſas vindicare tentant animæ, ſed hoc Deo committunt, nec tempus illi præſcribunt, nam neque hoc neque illud cœlitibus niſi abſurdiſſime tribui poteſt: ſed deſiderium ſuum indicantes juſtum tamen videri innuunt, ut Deus cito eccleſiam liberet, nec diutius ad blaſphemias & ſævitiam hoſtium conniveat. Nihil ex hac animarum oratione pro ſanctorum interceſſione confici

ſici poteſt. Si quidem hæc non pro ſuis conſervis in terra viventibus orant, quos ignorabant; Sed pro ſui ſanguinis vindicta. Neque hic ad nutum exaudiuntur; ſed votum earum ad tempus a Deo præfinitum ſuſpenditur. Denique viſio eſt allegorica, unde dogmata cum expreſſo verbo Dei pugnantia ſtabiliri nec poſſunt, nec debent.

Reſponſio ad hanc animarum petitionem duplex eſt, una realis., altera verbalis. Realis oſtendit beneficium in eas collatum, ejusque communicandi modum. Beneficii vero tum natura, tum proprietates deſcribuntur. Natura per veſtes declaratur, non proprie dictas, hæ enim ſpirituali earum naturæ, ut neç clamor, nec viſio, non conveniunt. hæ quidem poſt peccatum primis parentibus a Deo datæ, primo quidem neceſſitatis cauſa, ad tegendam nuditatem: poſt autem ad ornatum etiam corporis & dignitatem adhiberi cœptæ.

Improprie ergo etiam animæ tribuuntur, notantque virtutes, quibus primo quidem animæ nuditas tegitur: quæque

non a nobis ſed a Chriſto, cujus merita nobis a Deo imputantur, cujusque veſte, ut fratris noſtri primogeniti, induti coram Dei judicio ſiſtimur, ut Joſua P. M. *Zachar.* 3. abjectis veſtibus ſordidis, indutus mundis. adde *Jeſ.* 61. *v.* 10. *Apoc.* 3. *v.* 18. Sunt deinde & veſtes ad ornatum animæ & dignitatem ſpectantes, fructus ſcilicet Spiritus S. in nobis habitantis, de quibus Jobus gloriatur, cap. 29. v. 14. *Juſtitiam induebam, & induebat me, velut pallium & cidarin judicium meum.* Quæ tamen ſine prioribus in judicio non conſiſtent, ſed abominabuntur nos veſtes noſtræ. *Job.* 9. *v.* 31. Expectamus autem veſtes in gloria nitidiſſimas, 2. *Cor.* 5. *v.* 2, 3, 4. quibus ſuo loco & tempore etiam ornabuntur hi martyres.

Harum veſtium proprietas tum in quantitate, tum in qualitate verſatur. quantæ fuerint veſtes menſura indicat; non enim breves erant, ad iter aut pugnam aptæ; ut Romanorum ſaga; non enim in via, ſed jam patria hæ erant animæ, nec ad pugnam vocabantur ut in eccleſia militante, ſed ad quietem & triumphum:

-umphum: Sed στολαί, quæ ut vi vocis ornatum, ſic & decoram longitudinem, tanquam tunicæ aut togæ talaris indicant.

In qualitate color inprimis notabilis, non niger, rufus, pallidus, qualis equorum triſtia portantium; ſed candidus qualis primi Equi victorem vehentis. Sicut enim præ nive albi ſunt juſti. *Pſal.* 51 *v.* 9. Sic & victoribus candidas veſtes promittit Chriſtus. *Apoc.* 3. *v.* 4. Hoc autem beneficium illis communicatur non mutuo aut commodato, non emtione aut venditione. Fatuæ oleum ſibi emere volentes pudefactæ ſunt. *Matt.* 25. Sed ſola donatione gratuita. Per gratiam Dei ſumus quod ſumus. Illa ſervati ſumus per fidem, non ex nobis, Dei donum eſt, ne quis glorietur. *Epheſ.* 2. *v.* 8, 9.

Verbalis reſponſio duabus abſolvitur partibus, quarum prior has animas jam in gloriam admiſſas, altera eccleſiam adhuc militantem concernit. Priorum præſcribitur officium, ejusque tempus. Officium eſt non dormire, qui ψυχοπαννυχι-

τῶν error eſt. Clamant enim quod ſane non dormientium, ſed maxime vigilantium eſt. Nec donantur lectis & pulvinaribus, quibus otioſe in utramvis aurem incumbant; Sed ſtolis, quibus in conſpectum aliorum tanquam in plena luce ad agendum prodeant. Mandatur autem illis ἀνάπαυσις, ut quiete expectent ſuarum precum exauditionem. Nobis illud agendum, ne murmuremus contra Deum, illum tentando, aut terminos præfigendo: Sed patienter verbo ejus credentes, eventum expectando. Tempus & hic determinatur. in quibusdam codd. additur μικρόν, nempe ad excidium usque Hieroſolymitanum, in quo Jeſus ut Rex glorioſus de Judæis hoſtibus ad honorem nominis ſui pleniſſimam ſumſit vindictam. Hic terminus conſtitutus a Deo temporum Domino, in cujus manu etiam tempora noſtra, qui omnia etiam temporis reſpectu diſponit ſapientiſſime.

Quod ad animas in terra adhuc militantes attinet, harum tum conditio indicatur, tum paſſio prædicitur. Conditio

tio earum eſt in ſervitio, quod omnium commune, qui σύνδουλοι conſervi, ſervientes ſcilicet Deo Domino, non ex ſpiritu ſervitutis & metus; ſed liberaliter, ut & hic illud Poëtæ locum habeat:

Tum ſervum ſcis te genitum, blandeque fateris,

Cum dicis dominum, Soſibiane, patrem.

Hujus Patris intuitu etiam *fratres* dicuntur, ut ejusdem originis, & familiæ non tam carnalis, quam ſpiritualis, ad eandem hæreditatem geniti & vocati, quos propterea idem ſapere decet, cum bonum ſit & jucundum fratres habitare in unum. *Pſal.* 133. Neque hæc conditio partis alicujus eſt, ſemiſſis aut dodrantis, ſed ad totam ſe extendit plenitudinem. (πληρώσονται) Numerus fidelium impletur, nullus eorum perit. Liber vitæ lituram non admittit. Fœdus gratiæ immutabile eſt: Chriſti efficax cuſtodia, & preces ejus exaudiuntur, ideoque oves ſuas nemo ex ejus, aut Patris manibus eripiet, Ipſe omnibus hoſtibus major.

Paſſio prædicta eſt mors adhuc militantium, non naturalis ſed violenta,

οἱ μέλ-

οἱ μέλλοντες ἀποκτείνεσθαι. conſolatio eſt in ſimilitudine ejusdem mortis: quali ratione ad fortiter agendum Petrus utitur, 1. *epiſt. cap.* 5. 9. Noveritis easdem afflictiones a veſtra, quæ in mundo eſt, fraternitate peragi. Quomodo & Chriſtus ipſe, *Matth.* 5. *v.* 12. gaudete & exultate; quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis, ita enim perſecuti ſunt Prophetas qui ante vos fuerunt. Eodem argumento toto 11. ad Hebr. pugnat Paulus, ut fratres Hebræos contra afflictiones roboret.

DISSERT. QUARTA.

continens

In ſeptem ſigilla Apocalyptica Exercitationem ſecundam.

Sigilli ſexti viſio prima.

Terræ motus mutatio ſtatus eccleſiaſtici & Politici: In Iſraële tum ante tum poſt captivitatem Babylonicam. Argumentum providentiæ Dei circa res huma-

manas. Ἀναλογία *inter Solem naturalem, & Chriſtum Solem juſtitiæ, in Perſona adeoque natura divina & humana, in ſtatu humili & glorioſo: in officio Prophetico, Sacerdotali, Regio: Denique in operationibus. Hujus defectus, ut ſaccus cilicinus. Luna eccleſiam notat, quæ ſanguine martyrum infecta. Stellæ miniſtri Vet. Teſtamenti, ut groſſi cadunt. cœlum involutum ſynagogæ Judaicæ interitum notat. Motus montium & inſularum. Miſeria Judæorum in excidio Hieroſolymitano. Deus Pater in throno ſedens: Filius facies Dei. Agnus iratus: coram quo quis conſiſtat?*

Sigilli ſexti viſio ſecunda.

Deus ſuorum liberator. Angeli miniſtri novi Teſtam. Ἀναλογίας *ratio: unde cœlibatus clericorum non concluditur. Superbia Papæ, & doctorum eccleſiæ Papa-*

Papanæ. Multi eo nomine indigni. Spiritus S. ſeptiformis. Chriſtus Angelus. Differentia inter hunc & alios Angelos. Γῆ terra Judaica. Angelus ab ortu Solis: adſcendit. Spiritus S. ad ventum comparatus. Venti cardinales quatuor, quomodo inhibeantur? Induratio Judæorum. Spiritus S. ſigillum. Electi ſignati. Servi Dei: qui ut Filius ipſe a Deo diliguntur. ſignati in fronte. Signatorum numerus. Plures mali. Ordo in tribuum ſupputatione. De tribu Levi. Item Danis & Ephraimi.

Sigilli ſexti viſio tertia.

Rejectio Judæorum, & gentium in Eccleſiam admiſſio. Semen Abrahami & Davidis innumerabile. Catholiciſmus eccleſiæ N. T. Sacerdotes. Quid στολὴ? Color albus. Palma Victoriæ ſymbolum. Piorum beatitudo: cujus cauſæ

Deus

Deus, & Agnus. Concordia mini-ſtrorum euangelii. Miniſterium Ange-lorum circa pios: & paſtorum. Ge-ſtus religioſi. εὐλογία. δόξα. σοφία, εὐ-χαριστία. τιμή. δύναμις. ἰσχύς. *Nomen* Do-mini. *Chriſtiani* φιλομαθεῖς. *Afflicti-ones Chriſtianorum: Ex quibus ta-men emergunt. Quomodo ſanguis pur-get? Thronus Dei & templum. hu-jus & eccleſiæ Novi teſt.* ἀναλογία: *architectonica & œconomica.* λατρεία λο-γικὴ & σαρκική. Σκήνωσις. *Chriſtus Ru-pes. Non fames, nec ſitis. Malo-rum mitigatio. Chriſtus Paſtor: Fons vitæ: rivus inde promanans Spiritus S. ejus dona cum aquis comparata. A-gnus* ὁδηγός. *Abſterſio lachrymarum.*

SIGIL-

SIGILLI SEXTI
VISIO PRIMA.
Apoc. cap. VI. v. 12-17.

12. Καὶ εἶδον ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἕκ-
την, καὶ ἰδοὺ σεισμὸς μέγας ἐγένετο, καὶ
ἥλιος ἐγένετο μέλας ὡς σάκκος τρίχι-
νος, καὶ ἡ σελήνη ἐγένετο ὡς αἷμα.
13. Καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσαν εἰς τὴν
γῆν ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς, ὑπὸ
μεγάλου ἀνέμου σειομένη.
14. Καὶ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον εἱ-
λισσόμενον, καὶ πᾶν ὄρος καὶ νῆσος ἐκ τῶν
τόπων αὐτῶν ἐκινήθησαν.
15. Καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ οἱ μεγιστᾶ-
νες, καὶ οἱ χιλίαρχοι, καὶ οἱ δυνατοὶ, καὶ
πᾶς δοῦλος, καὶ πᾶς ἐλεύθερος ἔκρυψαν
ἑαυτοὺς εἰς τὰ σπήλαια καὶ εἰς τὰς πέτρας
τῶν ὀρέων.
16. Καὶ λέγουσι τοῖς ὄρεσι, καὶ ταῖς πέτραις·
πέσετε ἐφ' ἡμᾶς, καὶ κρύψατε ἡμᾶς ἀπὸ
προσώπου τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ
ἀπὸ τῆς ὀργῆς τοῦ ἀρνίου.
17. Ὅτι ἦλθεν ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς
αὐτοῦ. καὶ τίς δύναται σταθῆναι;

12. *Et aſpexi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, & ecce terræ motus magnus factus eſt: & ſol factus eſt niger ut ſaccus cilicinus, & luna facta eſt ut ſanguis.*

13. Et

13. *Et ſtellæ cœli ceciderunt in terram, ſicut ficus abjicit groſſos ſuos, cum vento magno concutitur.*

14. *Et cælum abſceſſit ſicut liber qui convolvitur, & omnis mons & inſulæ e ſuis locis emotæ ſunt.*

15. *Et Reges terræ, & optimates, & divites, & tribuni, & potentes, omnesque tum ſervi, tum ingenui occultarunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium.*

16. *Et dixerunt montibus & petris, Cadite in nos, & occultate nos a conſpectu ejus qui inſidet throno, & ab ira Agni.*

17. *Nam venit dies ille magnus iræ illius: & quis poterit ſtare?*

Sextum ſigillum tres viſiones complectitur, quarum prima excidium Hierofolymitanum; Reliquæ duæ eccleſiæ ſtatum depingunt. prior quidem eam quæ ex Judæis, altera, eam quæ ex gentibus colligebatur. Excidium Hieroſolymitanum tum a rebus geſtis, tum a verbis prolatis deſcribitur. Rerum geſtarum videmus modum, & deinde effecta. Modus ille apparet primo in terra, deinde in cœlo. In terra occurrit σεισμὸς μέγας,

 non

non naturalis & proprie dictus, qui terram quidem concutit, ad Solem tamen, lunam, ſtellas, ipſosque adeo cœli cardines non pertingit: ideoque incolas terræ, eorumque ſtatum tum eccleſiaſticum tum politicum reſpicimus, quorum mutatio terræmotus dicitur, Pſal. 85. v. 5. *Dimoventur omnia fundamenta terræ.* & Amos, 8. v. 8. minatur Deus: *An propter hæc non commoveretur hæc terra, & lugeret quisquis habitat in ea? & aſcenderet velut rivus in totam ipſam, quo expelleretur, & ſubmergeretur, ut rivo Ægypti.* Nam ubi defectione laborat regio, multi ſunt principes ejus. *Prov.* 28. *v.* 2. Hoc erat Dei in Iſraëlem judicium: Hoſ. 7. v. 7. *conſumunt judices ſuos; omnes Reges eorum cadunt.* Exemplum eſt non tantum in diviſione regni, defuncto Salomone, quanta enim hic mutatio in eccleſia per vitulos aureos, in politia ſciſſo regno? Sed in ipſo Iſraële, cujus regnum quantis latrociniis vaſtatum? regnum illud rapiuntque feruntque Zacharia, Sallumus, Menahemus, Phulus Aſſyrius, Pekahia, Pekahus, Tiglath Pileſer Aſſyrius,

us, Hoſeas, Samanaſſer Aſſyrius, hæc uno *capite xv. lib. 2. Regum*, narrantur. de aliis gentibus hic dicendi locus non eſt. Sola Judæa quantis σεισμοῖς poſt captivitatem Babylonicam jactata eſt? Extincto ſtirpis Davidicæ principatu, imperium capeſſebant Maccabæi ſive Haſmonei, qui & diadema ſibi ſumſerunt: quibus ſucceſſit Herodes Idumæus. dehinc in provinciæ formam redacta, multis bellis, & ſeditionibus agitata eſt; donec tandem hæc, de qua hic Johannes, tempeſtas a Romanis, σεισμὸς hic μέγας Judææ terræ incubuit, qua funditus periit. Eant nunc Epicurei, & Dei providentiam in aliis tum imprimis in conſtituendis & evertendis rebuſpublicis negent: Eant Stoici & fatuo fato omnia ferri aſſerant. Eant Politici, qui omnia per cauſas ſecundas ſe diſponere poſſe judicant: Homo proponit, Deus diſponit: qui hoc modo judicia ſua inter homines exercet. Qui attente vias Dei conſiderat, tales terræmotus etiam hoc ſeculo contigiſſe cum horrore & tremore agnoſcet.

Cœli patres eaſque inſigniores ſi intueamur, in oculos præcipue incurrunt Sol, Luna, Stellæ, illarumque partium defectus.

Sol Jeſum Chriſtum notat, qui Sol juſtitiæ dicitur *Mal.* 4. *v.* 2. cujus in vet. teſtamento typus Simſon, cujus nomen a שמש ſole. Nec abludit ἀναλογία, ſive Perſonam, ſive ſtatus, ſive denique officia conſideres. Perſona divina & humana natura conſtat. Solis natura, quamvis eo quotidie illuſtremur, ejusque lumine perfuſi omnia intueamur, explicatu tamen obſcuriſſima eſt: ad ejus lucem etiam perſpicaciſſimorum philoſophorum oculi caligant. Quis divinitatem Jeſu Chriſti enarrabit, & lucem illam inaceſſam? de Deo etiam vera dicere periculoſum eſſe cenſuit Cyprianus.

Ac velut impatiens volitans per lumina flammæ
Candela radiante culex, dum credulus errat,
Ardenti ſubito pennas inſebat hibiſco:

Sit & homo ſolito altius in his contemplationibus ſe attollens ab infinita hujus

jus ſplendoris majeſtate facile conſumitur. Sol mundi oculus πάντ᾽ ἐφορᾷ, καὶ πάντ᾽ ἐπακούει. Chriſtus verus Deus omnia videt, omnia audit. Renes ſcrutatur & corda, nec opus eſt ut quis illi teſtetur de homine, cum ipſe ſciat intima ejus.

Soli David tabernaculum tribuit. *Pſ.* 19. *v.* 5. Jeſus carnem ſuam tanquam tabernaculum induit, & in aſſumta humana natura ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. *Joh.* 1. *v.* 14.

In ſtatu porro Chriſti tum humiliationis tum exaltationis non minor apparet ἀναλογία. Sicut enim Sol obſcuratur, tum naturaliter, tum præter naturam: Sic & Chriſtus. Naturaliter quidem ſol a nubibus, a luna in eclipſi, nunquam ita ut non aliqua ſaltem radiorum ejus, luciſque ſcintillæ videantur: Et Chriſtus ſua paupertate ab infantia per totam vitam oppreſſus, in extrema paſſione ἀδημονήμενος in horto Gethſemane, in cruce de deſertione quiritans, dum etiam in tenebris externis per trihorium pendet, obſcuratus videbatur, & in ipſa morte

Sol caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.

Radii tamen divinitatis apparuerunt in vitæ ſanctitate, doctrinæ efficacia, patratis miraculis, in quibus omnibus emicuit gloria ejus, gloria ut unigeniti a Patre etiam in præternaturalibus illis tenebris.

Imprimis autem in exaltatione: ut Sol oritur, progreditur ab aurora ad meridiem, lucemque ſuam circumquaque diffundit: Sic Chriſtus ab ortu mundi patribus promiſſus, lege adumbratus, venit in mundum ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, oſtendit gloriam ſuam. *Matth. cap.* 3. & 17. poſt mortem adeptus gloriam in reſurrectione ex mortuis, adſcenſione, ſeſſione ad dextram patris, etiam in excidio Hieroſolymitano veniens tanquam in nubibus cœli. Facies ſplendens, ut Sol in virtute ſua. *Apoc. cap.* 1. *v.* 16. & *cap.* 10. *v.* 1.

In officii porro mediatorii ratione eadem hæc Solis cum Chriſto ſimilitudo elucet. Sol propter unitatem q. *Solus* dictus, quomodo & Ἀπόλλων vocatus eſt ab α στερητικῷ & πολύς. Sane & Belgicum Son ſingulare aliquid notat, ut beſon-

der/

der / byſonder / afſonderen & in ſimilibus: Sic & Chriſtus unus ſolus mediator. 1. *Tim. cap.* 2. *v.* 5.

Deus fecit ſolem ad obtinendum Dominium interdiu. *Pſal.* 136. *v.* 8. unde Dei Sol dicitur. *Matt.* 5. *v.* 45. Jeſus Chriſtus a Deo conſtitutus Mediator. Ideoque ſicut Sol Dei ſervus imperium ejus facit oriendo, ſiſtendo. *Joſ.* 10. *Pſ.* 104. *v.* 19. *Amos*, 8. *v.* 8. Sic & Chriſtus facit beneplacitum patris ſui *Jeſ. cap.* 53. *v.* 11. *Pſal.* 40. obediens ei usque ad mortem. *Phil.* 2. *v.* 8. Sol gloriæ Dei inſervit maxime. *Pſal.* 19. *v.* 5, 6, 7. & 136. *v.* 7, 8. Chriſtus quæſivit gloriam Patris ſui. *Joh. cap.* 7. *v.* 18. *cap.* 8. *v.* 49. *cap.* 17. *v.* 4. Si modum officii mediatorii exequendi ſpectemus: Sicut Sol alacriter peragit curſum ſuum progrediens tanquam ſponſus e thalamo ſuo, lætatur tanquam robuſtus decurſurus viam. *Pſ.* 19. *v.* 6. Sic & Chriſtus: *Ecce adſum, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Heb. 10. v. 9. Speciatim in officio Prophetico, Sacerdotali, Regio, Tanquam Propheta Solem refert Chriſtus.

Sicut enim Sol oculos hominis illuminat, ſiquidem dulcis hæc lux, & bonum hiſce oculis aſpicere hunc ſolem. *Eccl.* 11. *v.* 7. Imo & oculos mentis, quo Dido reſpexit, canens:

Non obtuſa adeo geſtamus pectora Pœni,
Nec tam averſus equos Tyria Sol jungit ab urbe.

Sic Chriſtus eſt Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum. *Joh.* 1. *v.* 9. Lux mundi, qui ſequitur eum non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. *Joh.* 8. *v.* 12. Fons vitæ qui apud Deum, in cujus lumine videmus lumen. *Pſ.* 36. *v.* 10. Nec minus in Sacerdotio, ut Sol noctis terrores diſcutit tanquam ἀλεξίκακος ἥως. Sic Chriſtus Aharonis antitypus, portans Urim & Thummim, *Luces & perfectiones*, diſcutit ſua ſatisfactione & precibus tenebras iræ Dei, ut pacem habeamus apud Deum. Sol medius inter cœlum & terram, Jeſus Sacerdos inter Deum & homines. Nunc Regium etiam officium videamus. Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, adeoque non mutabile, ſed æternum:

ternum : non ſecus ac *S*ol. *Solium ejus ut Sol coram me.* Pſ. 89. v. 37. *Erit nomen ejus in ſeculum, durante ſole ſoboleſcet nomen ejus.* Pſ. 72. v. 17. *Sic ait Jehova, qui diſponit Solem ad lucem interdiu, &c.* Jer. 31. v. 35, 36.

Rex unus in regno politico, ſic in Eccleſia ſit unus Chriſtus Rex.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς. Ut & mundus non fert duos Soles.

In rege requiritur a politicis illud Homericum: ut ſit

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Chriſtus in eccleſia eſt tanquam *S*ol regius, ei lucem ſuam communicando, quæ בית שמש domus ſolis. Heliopolis mulier *S*ole amicta *Ap.* 12. v. 1. Ille eandem lucem communicat ſtellis, id eſt, eccleſiarum miniſtris, quos ille cujus facies qualis *S*ol in vigore ſuo lucens, dextra ſua habet. *Apoc.* 1. v. 6. In hoſtes idem ut *S*ol, æſtu ſuo eos lædens. Libyes, Atlanteſque ſolem orientem execrari dicuntur, quia intenſum ejus ca-

 lorem

lorem ferre nequeunt. quomodo & Jonas ſole ictus mortem ſibi precatus eſt: Eodem modo & impii a Chriſto torquentur, quod & hæc viſio nos docet, v. 16, 17. *montes cadite, &c.* & *torquebuntur in æternum.*

In operationibus tandem tum *Solis* tum Chriſti ἀναλογίαν itidem deprehendemus. Sicut Sol ſuo ambitu diſtinguit tempora, annos, menſes, dies & noctes: ſic & Jeſus Chriſtus, qui heri & hodie idem eſt, & in ſecula, Varias Dei in eccleſia ſua œconomias diſtinxit: Promiſſionem ſcilicet, Legem Vet. teſtamenti, Euangelium novi. *Hebr.* 1. *v.* 1. *Gal.* 4. *v.* 1, 2, 3. Sicut Sol calefacit, quod ſenſus docet: ſic Chriſtus ignem caritatis in nobis accendit, *Rom.* 5. *v.* 1. Sicut Sol radiis ſuis inducit nigredinem: ſic & Chriſtus gratia ſua facit paupertatem ſpiritus, famem & ſitim juſtitiæ: caſtigationibus eccleſiam affligit, ut pullata incedat in hoc mundo. Hinc querela: Cant. 1. v. 6. *Ne reſpiciatis ad me quod ſim ſubnigra, quod contuitus ſit me Sol.* Præterea uno eodemque *Sole*

Li-

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,

*S*ic Chriſtus juſto judicio homines verbi contemtores indurat. *Apoc. 22. v. 11.* ſuos autem liquefacit. *Rom. cap. 9. v. 18. cap. 11. v. 7.* Tandem *S*icut *S*ol radios ſuos ad terram convertit, cum alias altum petat. *S*ic & Chriſtus humiles & ſpiritu fractos reſpicit. *Matth. 11. v. 25.* Ex his omnibus plusquam manifeſtum eſt, non ſine ratione Chriſtum Solem appellari. In veterum gentilium ſapientia frequens admodum eſt Solis cum Deo comparatio; ſed paulatim tot Solis encomiis eo deventum eſt, ut tandem gentibus Deus eſſe cœperit, qui ejus miniſter erat, atque adeo ſi Macrobio, aliisque fides adhibenda, unus toto orbe Sol licet ſub diverſis, Jovis, Martis, Mercurii, aliisque aliorum numinum nominibus cultus fuit, qui error omnes pene mortales cepit. atque hic Deorum ultimus propagato jam Chriſtianiſmo aras habuit, quod Juliani ἀποστάτου hiſtoria oſtendit. Miſeri illi qui unico hoc Juſtitiæ Sole Chriſto non contenti,

tenti, alios ſibi παρηλίυς fingunt μετεωρο-λογῦντες. Miſeri qui illum intueri nolunt Antipodes, ut Cato ajebat, apud Senecam, *epiſt.* 122. qui nec orientem unquam Solem viderunt nec occidentem; vel ex luxu & ignavia, ut Sybarita Smindyrides, aut ex multiplicibus curarum hujus mundi nebulis, ut Eſtiæus Ponticus literarum ſtudiis occupatus, apud Athenæum, *lib* 6. Ab eodem Sole illis pœna erit, ut Regulo Soli expoſito apud Carthaginem, cui hac in parte ſcaphiſmi pœna in Perſis ſimilis. Nos tanquam Heliotropium ad hunc juſtitiæ Solem nos convertamus, ut ab eo illuſtremur, incaleſcamus: ut diligentes Jehovam ſint ut Sol procedens in robore ſuo. *Jud.* 5. Solis hujus defectum deſcribit Johannes, ἐγένετο μέλας ὡς σάκκος τρίχινος, *niger factus, ut ſaccus cilicinus.* Tota enim lex ceremonialis poſt Chriſti crucem nullius fuit momenti.

Ante à radii, quamvis tenues, per ceremonias Chriſtum figurantes, fulgebant, nunc vero vilis pannus, ſaccus expilis factus, nulli uſui: oneri tantum illi qui por-

portat. *Inanes facti ſunt, ſeparati a Chriſto, quicunque per legem juſtificantur, a gratia exciderunt.* Gal. 5. v. 4. Videntur ſibi aliquid in ceremoniis videre, ſed non vident Solem, verum ſaccum cilicinum.

Nunc ad *Lunam* deſcendimus, quæ Eccleſiæ icon eſt. Sicut enim Luna omnem ſuam lucem habet non a ſe, ſed a Sole: Sic & eccleſia quicquid habet: ſine eo nihil poteſt. *Joh.* 15. Lunæ decor tribuitur a Jobo, *cap.* 31. *v.* 26. quum pretioſam incedentem dicit, ut in plenilunio, vel alias cum pleniori lumine fulget: imo & dominium noctis illi conceditur a Davide, *Pſ.* 136. *v.* 9. Sic Eccleſia decus terræ, filii Dei inculpati in medio gentis pravæ ac perverſæ: inter quos homines ipſa ſplendet ut fax in mundo. *Phil.* 2. *v.* 15. Sion perfectiſſimæ pulchritudinis locus. *Pſ.* 50. *v.* 2. Gaudium totius terræ, *Pſ.* 48. *v.* 3. Lunæ facies in cœlo valde varia, nunc enim plena, nunc ſemiplena, iterum obtuſis vel acutis per cœlum cornibus ibit. Sic Eccleſia aliquando ad invidiam hoſtium floret, aliquando autem miſeriis & perſe-

cutio-

cationibus quaſi circumciſa vix dimidia apparet, imo habet & interlunia ſua, quamvis cœlo non excidat. Hæc enim Dei promiſſio, *Pſ.* 89. *v.* 38. Semen Davidis ut lunam ſtabile fore in ſeculum: perdurabit enim usque ad conſummationem ſeculi. Defectus Lunæ in eo conſiſtit quod ἐγένετο ὡς αἷμα *facta ſit ut ſanguis*, non tantum propter immania in Judæa bella, quorum incommoda quin & Chriſtiani ſenſerint quis ambigat? ſed imprimis propter effuſionem ſanguinis martyrum, in perſecutionibus excitatis tum a Judæis, tum a gentilibus inde a Nerone.

Sanguine mundata eſt Eccleſia, ſanguine cœpit,
Sanguine ſuccrevit, ſanguine finis erit.

Ringentibus interim hoſtibus, ſanguis martyrum ſemen fuit Eccleſiæ.

Stellæ porro vet. teſtamenti miniſtros notant, quos ille, qui ſtellas creavit & conſervat dextra ſua tenebat. *Apoc.* 1. *v.* 16. Qui earum exercitum numero ſuo producit, vocatque de nomine ſuo, pro amplitudine virium, adeo ut quicquam non

non deſit. *Jeſ.* 40. *v.* 26. Ille idem ſtellas miniſtros ſuos donis ornat, & ſuo loco locat. Diſtinctiones donorum ſunt, ſed idem ſpiritus. Et diſtinctiones miniſteriorum ſunt, ſed idem Dominus. Et diſtinctiones actionum ſunt, ſed idem Deus agens omnia in omnibus, etiam ſub legis oeconomia, dum unum quidem conſtituit Pontificem maximum alios vero ſacerdotes Levitas, cantores, janitores, alioſque ad miniſterium templi & tabernaculi, pro ut eos divino inſtinctu David diſtinxerat, & in viginti quatuor claſſes redegerat. Ita & huc applicari poteſt illud Paulinum, 1. Cor. 15. v. 41. *Alius eſt decor Solis, & alius eſt decor Lunæ, & alius decor ſtellarum: ſtella enim ſtella præſtat decore.* Harum Stellarum caſus illuſtratur ſimili a ficu, cui & alias eccleſia Judaica aſſimilatur, *Luc.* 13. *v.* 6, 7, 8, 9. ſed ficu projiciente non ficus maturas, ſed groſſos: quia miniſterium Sacerdotum Vet. teſtamenti poſt Chriſti mortem, qua omnia conſummata ſunt, non amplius erat cultus ſpiritualis ſed carnalis, nulli uſui, calathus

ha-

habet ficus non bonas, ſed malas valde, quæ comedi non poſſunt præ pravitate, ut eſt. *Jer.* 24. *v.* 2, 3.

Ex hiſce partibus Sole, Luna; Stellis facile jam colligi poteſt quid per ipſum cœlum ſit intelligendum, ſcilicet Synagoga Judaica, in qua Deus hactenus tanquam in cœlo thronum ſuum habuerat; cujus totam rationem in viſione illa cœleſti Moſi patefecerat, cujus inſtrumenta præcipua etiam cœlum ipſum ſuo modo referebant, ut eleganter oſtendit Joſephus, *antiquit. lib.* 3. *cap.* 8. Ejus mutatio eſt in ſeparatione, ſepoſitione, ut rei alicujus inutilis, ἀπεχωρίσθη. *regione & loco ſuo motum cœlum.* Illuſtratur hoc ſimili a libro εἱλισσομένῳ, quo cum quis ad ſatietatem uſus eſt, eum claudit, convolvit, ſeponit, ut videre eſt, *Luc.* 4. Jeſus lecto vaticinio Jeſaiæ, complicavit librum, tradidit miniſtro. Sic olim in deſerto tabernaculum miniſterio Levitarum convolutum, ubi caſtra mutanda eſſent. *Num.* 4. Sic ſane totam legis & veteris teſtamenti œconomiam abrogatam eſſe ſigillu m hoc ſignificat.

Con-

Convoluto enim hoc cultus Levitici cœlo, novum cœlum creatum eſt: ideoque non amplius in Judæa, aut templo, ſed ubivis

Jamque novum terræ ſtupeant luceſcere Solem.

Sublato pariete intergerino, in alio gentium orbe longe remoto,

Largior hic campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, Solemque ſuum, ſua ſidera norunt.

Cultus enim Leviticus, cujus quidem myſterium æternum, ad tempus tamen διορθώσεως inſtitutum, ſuo tempore abrogandus erat. Qua de re quis cum Deo litiget? magis quam de hujus mundi creatione. Fruſtra hoc cœlum, lunam, ſidera reſtituere conatus eſt Julianus emanſor, Deo conatus ejus vaniſſimos diſcutiente. Fruſtra idem ſperant Judæi.

E cœlo nunc in terram migramus: ex Eccleſia in ordinem politicum. Notamus hic locos, deinde locorum incolas.

Locorum videmus naturam, & motum. Locorum natura primo montoſa

deinde inſularis. Montes in Judæa multi, Sion, Hermon, Thabor, &c. montibus cincta Hierosolyma. *Pſal.* 125. *v.* 2. ad inſulas etiam Judæi abducti. Sueton. Tiber. cap. 36. *Judæorum juventutem, per ſpeciem ſacramenti, in provincias gravioris cœli diſtribuit.* In Sardiniam ſcilicet, ut diſerte Joſephus, *antiquit. lib.* 18. *cap.* 5. & Tacitus, *annal. lib* 2. *cap.* 85. ſic Cretenſes veniunt in numerum auditorum Petri. *Actor. cap.* 2. v. 11. Et Barnabas Levites κύπριος τῷ γένει dicitur *Act.* 4. *v.* 36. Motus horum montium & inſularum in deportatione, exilio, migratione horum incolarum conſiſtit, atque ita non tantum ſtatus eccleſiaſticus Judæorum, ſed etiam politicus plane everſus eſt, juxta vaticinium, *Matth.* 24. Locorum incolæ deſcribuntur a vario vitæ ſtatu tum nobiliori, ut βασιλεῖς τῆς γῆς, μεγιστᾶνες, πλούσιοι, χιλίαρχοι, δυνατοὶ, tum inferiori, δοῦλος καὶ ἐλεύθερος: ut nullum hominum genus ab hoc excidio liberum eſſe videamus. Miſeriæ modus, quod occultarint ſe in ſpeluncis & petris montium: hoc ad literam impletum docet

Joſephus, *de bello Jud. lib.* 7. *cap.* 16. narrans in occupatione urbis, aliquos quidem in Acram receſſiſſe, alios autem in cloacas ſe demiſiſſe, atque in illis delituiſſe. Iterum, *cap.* 17. Romani rimantes illas cloacas, & ſepulchra eruentes, quos inveniebant jugulabant. Inventi autem ſunt ibi quoque plus quam duo millia, quorum alii manu ſua, plures autem mutuis ſe vulneribus interfecerant, cum alios fames corrupiſſet. *ibid.* Johannes oppreſſus fame cum fratribus in cloacis, quam ſæpe deſpexit, a Romanis dexteram dari precatus eſt. Simon vero, multa vi cum neceſſitate luctatus, ſemet tradidit. Quod cum ſit obſervatu dignum ex eodem Joſepho, *lib. eod. cap.* 20. audire operæ pretium eſt. Simon cum Hieroſolyma obſideretur, in ſuperiore erat civitatis parte, cum autem Romani eam vaſtarent, ipſe fideliſſimis amicorum aſcitis, & lapidariis cum ferramentis eorum neceſſitati congruis, & alimentis ſufficientibus, in occultiorem cloacam ſe demittit, & quoad foſſa patebat, illi progrediebantur: u-

bi vero ſoliditas obſtitit, eam ſuffodiebant, ſperantes poſſe ulterius progreſſos tuto emergere, atque ita ſervari. Tunc igitur velut ſtupore poſſet Romanos fallere, albis tunicis, innexaque fibula, ac chlamyde purpurea indutus, illo in loco ex terra editus, ubi templum antea fuerat, apparuit. Ac primo quidem obſtupuere qui eum viderunt, *lo*cisque ſuis manebant, deinde, &c. Hæc Joſephus. Sic Deus duro nodo durum adhibet cuneum, ſed quid ſpei de deſperatis? *Prov.* 27. *v.* 22.

Contere piſtillo ſtultum ſaxoque molari,
Moribus utetur non minus ille ſuis.

Hactenus res in πανωλεθρία Hieroſolymitana geſtas nobis depictas dedit Johannes; nunc porro verba hic prolata audiamus. Repetita ea ſunt ex concione Chriſti valedictoria ad mulieres, *Luc.* 23. *v.* 30. ubi notandi auditores, & oratio.

Auditores ſunt Non Deus, aut agnus, a quibus ſalutem petant miſeri; Sed montes & ſaxa, Indurati ad dura confugiunt. Conſcientia peccati, quærit quo ſe tegat. Præſentia Dei ipſis intolerabilis. *Juven. ſat.* 13. *Hi*

Hi ſunt qui trepidant & ad omnia fulgura pallent,
Cum tonat, exanimes primo quoque murmure cœli,
Nam quaſi fortuitu, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.
Illa nihil nocuit, cura graviore timetur
Proxima tempeſtas, velut hoc dilata ſereno.

Talia narrantur a Suetonio de Auguſto, *cap.* 29. Tiberio, *cap.* 69. de Caligula, *cap.* 51. Ad Deum potius nos recipiamus, quia latebræ nos ab ipſo nullo modo abſcondent.

Oratio ipſa petitione conſtat. In petitione proponitur miſeria ejusque remedium. Miſeria oſtendit Perſonas, earumque conſiderandi modum. Perſonæ Deus Pater, & Deus Filius. Pater καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου. tanquam Judicis ſupremi partes acturus, prout in tali œconomia τὸ πρέπον inter divinas perſonas obſervari ſolet, reliquis tamen non excluſis; cum, juxta illud vulgatum, Opera SS. Trinitatis ad extra ſint indiviſa, adeoque tribus illis communia.

Pro tribunali hic ſedet judex, ſententiam, jam ante latam, exequens. Ne putet Epicureus omnia temere agi ferri: Ne politicus aliquis ſuis ea momentis examinet. Deus ſuo tempore omnia judicat: ut Lætetur juſtus cum vidērit ultionem, & pedes ſuos laverit in ſanguine improbi dicens: Utique eſt fructus juſto; utique eſt Deus judex in terra. *Pſal.* 58. *v.* 12.

Filius tum a perſonæ divinitate, tum ab officio mediatorio deſcribitur. Nam dicitur πρόσωπον καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου. quamvis enim hæc ad faciem Dei irati, coram quo peccator conſiſtere nequit, referri recte poſſint: quid tamen vetat hic contemplari Filium, tanquam Angelum faciei. *Jeſ.* 63.9. faciem ipſam. *Exod.* 33. *v.* 14, 15. qui cum Patre unus eſt. *Joh.* 10. *v.* 30. Officium mediatorium Agni emblemate deſignatur, cujus rationes ad *verſ.* 1. ſupra expoſuimus.

Agnus hic conſideratur non in ſua manſuetudine, ſed ira: quæ alibi nusquam, agno tribuitur. Sicut & in diebus carnis ſuæ ter quidem legitur lachri-

ma-

matus, nempe in funere Lazari. *Joh.* 11. *v.* 35. Deinde cum vaticinaretur excidium Hieroſolymæ. *Luc.* 19. *v.* 41. tandem in paſſione. *Hebr.* 5. *v.* 7. Bis miratus: tum fidem centurionis. *Matt.* 8. *v.* 10. tum infidelitatem civium ſuorum. *Marc.* 6. *v.* 6. Semel autem iratus ſimul cum triſtitia propter duritiem cordis Judæorum. *Marc.* 3. *v.* 5. Sic ergo pertinaces peccatores apud clementiſſimum agnum, cujus gratia nos ad converſionem invitat, congregant ſibi iram in diem iræ & revelationis juſti judicii Dei. *Rom.* 2. *v.* 4, 5. Remedium huic miſeriæ adhibendum ſane miſerrimum eſt. Saxa movere voce ſua conantur, ut cadant in eos, atque ipſos abſcondant. Quid non remedii quærit mala conſcientia?

Flectere ſi nequeat ſuperos, Acheronta movebit.

Saul a Deo deſertus ad Pythoniſſam fugit: Judas ad laqueum. Ratio hujus petitionis deſumta eſt tum a parte Dei, tum a parte impiæ gentis Judaicæ. In Deo: queruntur de ira ejus, quæ ἀνθρωποπαθῶς illi tributa θεοπρεπῶς de hor-

rendis ejus judiciis capienda eſt, qua tanquam Leo rugiens, aut urſa catulis ſuis orbata, & tanquam ignis conſumens irruit in ſui contemtores. Quam Deo etiam convenire contra Epicureorum propaginem peculiari *de ira Dei* libro demonſtravit Lactantius. Curandum eſt ut eam a nobis avertamus, ne & in nos irruat. Tempus hujus judicii non longinquum, quantum Deus primi orbis incolis centum & viginti annorum conceſſerat. *Gen.* 6. Non annorum quindecim, ut Deus vitæ Hiskiæ adjecerat. *Jeſ. cap.* 38. Non dierum quadraginta, quos dedit Ninivitis. *Ion. cap.* 3. *v.* 4. Sed jam aderat dies ille magnus, quem ἐπιφανῆ ex Joële vocat Petrus. *Act. cap.* 2. *v.* 20. quo terram anathemate percuſſit.

Sic tandem Dei patientia læſa quaſi in furorem erumpit. Sicut & factum ante captivitatem Babylonicam. 2. *Chron. cap.* 36. *v.* 16. & ſumma ſapientia minatur. *Prov. cap.* 1. *v.* 24. *&c.* A parte Judæorum quod requirebatur eſt σταθῆναι, conſiſtere & cauſam ſuam agere in tremendo hoc judicio coram tribunali Dei

& A-

& Agni: Ejus vero defectus pathetica interrogatione ptoponitur, τίς δύναται; recte reſpondeas, ἔτις. Quis enim hic ſtaret? ubi judicat non homo aliquis quamvis potens, juſtus; Sed ipſe Deus ſcrutator cordium, juſtus in judicio, potens in executione. Hoc ſuo tempore apparebit in conſummatione ſeculi, cum filius veniet in gloria. *Matth. cap.* 25. *v.* 3. itaque

Cogitate miſeri, qui & quales eſtis,
Quid in hoc judicio dicere poteſtis?
Hic non erit codici locus, aut digeſtis.
Idem erit Dominus Actor, Judex, teſtis.

Hujus quaſi imaginem Deus in excidio Hieroſolymitano per hanc viſionem exhibere voluit Johanni. Hic Deus ignis conſumens, Judæi ſtipulæ inſtar, quis hic conſiſtat? Hoc nobis ob oculos verſetur, ne nobis gentibus idem contingat.

Fœlix quicunque dolore
Alterius diſcit poſſe carere ſuo.

Multo enim erit miſerior ſtatus gentilium quam Judæorum, his enim de converſione promiſſio facta, illis non item.

SIGILLI SEXTI

VISIO SECUNDA.

Apoc. cap. VII. v. 1-8.

1. Καὶ μετὰ ταῦτα εἶδον τέσσαρας ἀγγέλους, ἑστῶτας ἐπὶ τὰς τέσσαρας γωνίας τῆς γῆς, κρατοῦντας τοὺς τέσσαρας ἀνέμους τῆς γῆς, ἵνα μὴ πνέῃ ἄνεμος ἐπὶ τῆς γῆς, μήτε ἐπὶ τῆς θαλάσσης, μήτε ἐπὶ πᾶν δένδρον.

2. Καὶ εἶδον ἄλλον ἄγγελον ἀναβάντα ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου, ἔχοντα σφραγίδα Θεοῦ ζῶντος, καὶ ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ τοῖς τέσσαρσιν ἀγγέλοις οἷς ἐδόθη αὐτοῖς ἀδικῆσαι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν.

3. Λέγων. Μὴ ἀδικήσητε τὴν γῆν, μήτε τὴν θάλασσαν, μήτε τὰ δένδρα, ἄχρις οὗ σφραγίσωμεν τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ἐπὶ τῶν μετώπων αὐτῶν.

4. Καὶ ἤκουσα τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐσφραγισμένων. ρμδʹ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι ἐκ πάσης φυλῆς υἱῶν Ἰσραήλ.

5. Ἐκ φυλῆς Ἰούδα ιβʹ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι. Ἐκ φυλῆς Ῥουβὴν ιβʹ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι. ἐκ φυλῆς Γὰδ ιβʹ χιλιάδες ἐσφραλισμένοι.

6. Ἐκ φυλῆς Ἀσὴρ ιβʹ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι. ἐκ φυλῆς Νεφθαλεὶμ ιβʹ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι. ἐκ φυλῆς Μανασσῆ ιβʹ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι.

7. Ἐκ

7. Ἐκ φυλῆς Συμεῶν ιβ΄ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι. ἐκ φυλῆς Λευὶ ιβ΄ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι. ἐκ φυλῆς Ἰσαχὰρ ιβ΄ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι.

8. Ἐκ φυλῆς Ζαβουλὼν ιβ΄ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι. ἐκ φυλῆς Ἰωσὴφ ιβ΄ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι. ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν ιβ΄ χιλιάδες ἐσφραγισμένοι.

1. *Poſtea vidi quatuor angelos, inſiſtentes quatuor angulis terræ, retinentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.*

2. *Et vidi alium angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſigillum Dei vivi: qui acclamavit voce magna quatuor illis angelis, quibus datum erat lædere terram & mare.*

3. *Dicens: ne lædite terram, neque mare, neque arbores, quousque obſignaverimus ſervos Dei noſtri in frontibus ſuis.*

4. *Et audivi numerum obſignatorum: centum quadraginta quatuor millia erant obſignata ex omnibus tribubus filiorum Iſraël.*

5. *Ex tribu Juda duodecies mille obſignata: ex tribu Ruben duodecies mille obſignata: Ex tribu Gad duodecies mille obſignata:*

6. *Ex tribu Aſer duodecies mille obſignata: ex tribu Nephthali duodecies mille obſignata:*

gnata: ex tribu Manaſſe duodecies mille obſignata.

7. *Ex tribu Symeon duodecies mille obſignata: Ex tribu Levi duodecies mille obſignata: ex tribu Iſaſchar duodecies mille obſignata:*

8. *Ex tribu Sabulon duodecies mille obſignata: ex tribu Joſeph duodecies mille obſignata: ex tribu Benjamin duodecies mille obſignata.*

Veriſſime ſcripſit Petrus 2. epiſt. cap. 2. v. 9. *Novit Dominus pios e tentatione eripere, injuſtos autem in diem judicii ſervare puniendos.* Sic Noachum ex diluvio, Lotum ex igne Sodomorum liberavit.

In excidio Hieroſolymitano tota quidem gens Judaica diſſipata eſt, aliqui tamen evaſerunt. Nec corporales tantum hæ fuerunt pœnæ, ſed & ſpirituales. Induratio obvenit Iſraëli, verum ex parte tantum. Deus ſibi reliquias aliquas, ſecundum electionem gratiæ, ſervavit. Quod poſt judicium Dei in Judæos, prima hujus ſigilli viſione propoſitum, nunc porro docet Johannes, narrans tum quid viderit

tum

tum quid audiverit. Vidit angelos, unius autem concionem, & numerum obſignatorum audivit. Angelorum conſiderabimus convenientiam,& differentiam. Convenientia eſt in nomine, & officii ratione per nomen denotata. Nomen omnibus commune eſt, nec unus ille, reliquis excellentior, illud magis refugit, quam reliqui quatuor. Notantur non Spiritus illi miniſtrantes qui, ſervata primæva origine, in veritate perſtiterunt, Dei facie fruentes: Sed miniſtri Euangelii, qui non minus quam Sacerdotes Veteris teſtamenti *Mal. cap.* 2. *v.* 7. *&* *cap.* 3. *v.* 1. hoc titulo inſigniuntur in hac Apocalypſi, *cap.* 1. *v.* 20. *tum cap.* 3. *&* 4.

Nec deſunt qui eos Angelorum voce deſignatos volunt a Paulo, 1. *Cor. cap.* 11. *v.* 10. jubente ut mulier in capite poteſtatem habeat propter Angelos. Nec ἀναλογίας ratio inter Angelos & miniſtros deeſt. Sicut enim Angeli non propria autoritate agunt, ſed a Deo miſſi: Sic & miniſtri. quomodo prædicabunt niſi miſſi fuerint? *Rom.* 10. *v.* 15. Aliter agentes pſeudoprophetæ currunt antequam

mit-

mittantur. Angeli inſigni pollent ſcientia, quare Davidis ſæpientiam cum Angelica confert Thecoitis. 2. *Sam.* 14. *v.* 20. Nec minori ſanctitate, unde & ſancti vocantur. *Marc.* 8. *v.* 36. *Matth.* 25. *v.* 31. Sic miniſtri, Aharonis inſtar in pectore gerant Urim & Thummin. In frontali hoc epigramma, *ſanctitas Jehovæ. Exod.* 28. *v.* 36. Ut ipſe Chriſtus fecit & docuit. *Act.* 1. *v.* 1. Sicut Angeli veloces inſtar flammæ, unde alati pingi ſolent: Sic & miniſtri ne conſulant carnem & ſanguinem, ſed ut Samuel, *lib.* 1. *cap.* 3. *v.* 10. prompte agant; *loquere Domine, nam audit ſervus tuus.* & Jeſaias, cap. 6. *mitte me.* Sicut Angeli exequuntur miniſterium ſuum tam in ſalutem piorum. *Hebr.* 1. *v.* 14. quam in perniciem impiorum, ſicut perdiderunt Sodomam *Gen.* 19. unus eorum interfecit Aſſyrios. Sic & miniſtri ſunt bonus odor Chriſti, aliis quidem odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem. 2. *Cor.* 2. *v.* 15, 16. Hanc vero ἀναλογίαν extendere ad cœlibatum clericorum, ex *Matt.* 22. *v.* 30. ſtultum eſt. Hoc tamen agit

Bel-

Bellarminus, *lib.* 2. *de monachis*, *cap.* 28. cum Chriſtus apud Matthæum non de hac vita, ſed futura agat. Non contrahere matrimonium ad naturam Angelorum ſpectat, quia ſpiritus ſunt: non ad miniſterium. Nec Angeli edunt nec dormunt, quis hæc a miniſtris, niſi mente motus, exigat? Sadducæi olim ſpirituum horum exiſtentiam negarunt: nunc autem Enthuſiaſtæ hoſtes verbi Dei & miniſterii, ejusdem neceſſitatem elevant. Dixerit licet Paulus. Rom. 10. v. 17. *Quomodo audient ſine prædicante?* Blaſphemus eſt Antichriſtus, qui Angelica hac ſtatione non contentus Deitatem affectat, efferens ſe ſupra omne σέβασμα, ſedens in templo Dei quaſi Deus eſſet,

Oraclo vocis mundi moderatur habenas,
Sed falſo in terris creditur eſſe Deus.

Superbus admodum titulus Thomæ Aquinatis, ſcholaſticorum Principis, dum Angelicus ſalutatur, ut Bonaventura Seraphicus. Angelici autem hujus ordinis carcinomata & dedecora ſunt, qui aut ſicut aſini, rerum cœleſtium non tantum ignari, ſed & ad agendum tardi, aut ut

porci

porci ventrem curant, ovium ſecuri. Rubori etiam ſit viris doctis, ſi ſcientia ſint tanquam Angeli alati, ſublime volantes, cupiditatibus vero tanquam ſerpentes, qui humi reptant; circumgerentes animas inſtar ſpeculi quidem, ſed menſtruati. Tubicines alios quidem ad pugnam incitant, ipſi manum ad pugnam non movent. Candelæ aliis lucentes, ſeipſas conſumentes, cùm fœtore extinguuntur. Conſolationi ſit hic *ſtatus* Angelicus fidis Euangelii miniſtris contra perſecutiones hoſtium, & mùndi contemtum, quod Dei nomine, non ſecus ac Angeli, legatione fungantur inter homines, ad eos Deo reconciliandos. Nitantur, auxilio ejus qui dixit. *Qui vos audit me audit, &c.* Luc. 10. Differentia horum Angelorum in his tribus conſiſtit: primo quidem in numero, deinde in locis quibus viſi ſunt, tertio denique in cujusque muneris executione.

Numerum quod attinet, quos Johannes priores vidit, non jam ſeptem erant, ut *Apoc. cap. 1. & 2.* ut & ſeptem ſpiritus

tus pro numero Eccleſiarum Aſiaticarum, in quibus ſeptuplicia Spiritus S. dona vigebant, quod vetus eccleſia in hymno, *Veni creator ſpiritus*, celebravit, canens: *Tu ſeptiformis munere*: Sed quatuor erant pro numero tum partium terræ, tum ventorum quos tenebant. Sic Deus pro ſua in eccleſiam cura ſufficienti numero mittere ſolet miniſtros. Binos miſit Moſen & Aharonem in Ægyptum: Eliam & Eliſæum ad Iſraëlem, & Achabum: Haggæum & Zachariam ad Judæos ex Babylonia reduces. Jeſus Chriſtus ſeptuaginta diſcipulos ad regnum Dei annunciandum binos miſit; Et binos teſtes in Apocalypſi vidit Johannes. Sub novo teſtamento major cum eſſet meſſis, Jeſus miſit Apoſtolos duodecim, præterea dedit Euangeliſtas, Prophetas, paſtores & doctores: imo magnos exercitus euangelizantium. *Pſ.* 68. *v.* 12.

Quem autem Angelum deinceps vidit Johannes, unus erat. Alius a reliquis quatuor. Alius naturæ ſuperioris, adeoque, ipſe Jeſus Chriſtus Angelus fœderis. *Malach.* 3. *v.* 1. Quæ ejus di-

gnitas colligi poteſt primo ex ejus ortu, quia venit ex oriente, quomodò & ἀνατολὴ ἐξ ὕψυς, vocatur *Luc.* 1. *v.* 78. ſecundo ex ejus poteſtate divina, quia dicitur habere ſigillum Dei: quod rei creatæ concedi non poteſt. Tertio denique quod reliquis Angelis imperat, tanquam ſuperior, ille qui claves habet. *Apoc.* 1. *v.* 18. Et hic tamen vocari angelus, Angelicoque officio fungi ſuſtinet. Sicut & Apoſtolus vocatur. *Heb.* 3. *v.* 1. Conſtituit paſtores in eccleſia, & ipſe eſt Paſtor. *Eph.* 4. *Joh.* 10. Moſes eum vocat Prophetam qualis & ipſe erat. *Deut.* 18. *Act.* 3. Magna quidem hic ſimilitudo; ſed nec minor diſſimilitudo. Similes ſunt in miſſione divina, dicente Chriſto: ſicut miſit me Pater, ſic & ego mitto vos. *Joh.* 17. *v.* 18. *&* 20. *v.* 21. adeoque ſicut Jeſus a Patre accepit, & diſcipulis tradidit. *Joh.* 15. *v.* 15. *&* 17. *v.* 18. Sic Apoſtoli a Chriſto acceperunt, & tradiderunt eccleſiis. 1. *Cor.* 11. *v.* 23. *&* 15. *v.* 3. Jeſus prædicavit Euangelium: & illi. Uſus verbo non armis externis: & illi. 2. *Cor.* 10. Jeſus

ſus glorificans Patrem quæſivit ſuorum ſalutem; & illi. Interim fatendum eſt ingentem eſſe diſſimilitudinem: in Perſonis, quia Jeſus eſt & mittens & miſſus: Hi autem miſſi tantum. In officiis, quia Jeſus non tantum eſt Angelus Propheta, ſed etiam Sacerdos & Rex: Hi autem Prophetæ, & quidem inferioris ordinis; quo ſenſu & ſacerdotes & Reges dicuntur. *Apoc.* 1. *v.* 6. Nec doctrinæ efficacia eadem, quæ tota a Chriſto ejuſque ſpiritu pendet. Hac autem ſimilitudine magna miniſterio additur autoritas; & conſolatio miniſtris, contra perſecutiones & contemtum mundi.

Locorum quoque in quibus eos vidit Johannes magna eſt differentia: quatuor enim illi viſi ſunt in quatuor angulis terræ, non quidem οἰκουμένης, quod non additur, ſed τῆς γῆς, id eſt, terræ Judaicæ, quæ hoc nomine paſſim indigitatur, atque ut totus orbis, ſic & partes etiam in quatuor partes diſtribui ſolent, ut videre eſt. *Ezech.* 7. *v.* 2. In quatuor his partibus ponuntur Angeli. Deus Angelis ſtationes ſuas aſſignat: Moſi & Aharoni

Ægyptum; Jonæ Niniven; Et Apoſtoli κλῆρον, καὶ τόπον ἴδιον habuerunt. *Act.* 1. v. 25. Qui has ſtationes non obſervant turbas in eccleſia excitare ſolent. Alius vero, unus ille Angelus venit non a meridie, cui exitium tribui videtur, *Pſal.* 91. *v.* 6. neque a ſeptentrione, qui & Judæis infauſtus. *Jerem.* 1. v. 14. Neque ab occaſu, quaſi cito occaſurus: Sed ab ortu, ut Sol hic oriens adoretur. Sive hic ipſe ſit ἀνατολὴ, res quæ exoritur, ut *Luc.* 1. *v.* 78. ut Meſſias dicitur ἀνατολὴ δίκαια. *Jer.* 23. *v.* 5. ſive hic deſignetur locus orientalis, quo ſenſu videntur codices quidam hic habere numerum pluralem, ἀνατολῶν. hoc arcanis ſacerdotum Judaicorum literis traditum tradit Tacitus, *hiſtor. lib.* 5. *cap.* 13. ut invaleſceret Oriens. vide *cap.* 3. veſperarum Gorinchemenſium, amici, dum viveret, noſtri *Ant. Borremanſii.*

Nec minor in locorum uſu differentia eſt. Quatuor enim Angeli, non ſedent otioſi, quaſi omnibus peractis, ut qui ad ſepulchrum Jeſu apparebant. *Joh.* 20. *v.* 12. Neque volant, ut ille habens

euan-

euangelium æternum. *Apoc.* 14. *v.* 6. Sed ſtabant intenti ad nutum imperantis, tanquam vigiles ſtationarii, miniſtri. *Pſal.* 134. Angeli miniſtrantes ſtant coram facie ejus. *Dan.* 7. *v.* 10. *Iob.* 3. *v.* 29. Alius autem Angelus non ſtabat quaſi jam ἐν ἀκμῇ conſtitutus, neque deſcendebat, quaſi ejus gloria eſſet minuenda, ſed aſcendebat, quaſi creſcens, quia hactenus in ſola Judæa ἐπεφάνη, nunc porro poſt excidium Hieroſolymitanum quaqua verſus radios ſuos ſparſurus inter gentes remotiſſimas, ut accedant ad lucem hanc, una cum Regibus ad ſplendorem exortum quidem in Judæa, ſed conſpicuum usque ad fines terræ. *Ieſ.* 61. Quod beneficium primitus avide arripuerunt Magi ἀπὸ ἀνατολῶν venientes, qui ſtellam ejus ἐν ἀνατολῇ *in ipſo ortu* viderant. *Matth.* 2. *v.* 1, 2.

Tertia denique differentia in uniuſcujusque muneris executione conſiſtit. Ubi primo quid quatuor illi & quo fine egerint, deinde unius illius actio deſcribitur. Actio quatuor Angelorum fuit circa ventos, id eſt, operationes Spiritus

S. qui cum vento comparari ſolet. Quod externo ſymbolo indicavit Jeſus noſter afflans diſcipulos, & dicens: Accipite Spiritum Sanctum. *Joh.* 20. *v.* 22. Rurſus in feſto Pentecoſtes ſonitu cœleſti repentino, tanquam ruentis flatus violenti, venit ſuper Apoſtolos. *Act.* 2. *v.* 2. Nec ſine ratione. Sicut enim ventorum origo nobis incognita, quis enim novit quibus ex vaporibus aut exhalationibus ventus nunc ſpirans eductus ſit? *neſcis unde veniat.* Joh. cap. 3. v. 8.

Sic & Spiritus ſancti oriendi modus ſive perſonam, ſive operationes ejus ſpectes. Eodem modo occultum eſt quo vadat: cujus cor Spiritus vi ſua tangere velit. Liber eſt ventus, quis eum in ordinem redigat, aut leges præſcribat? *Sic* & Spiritus agit prout vult. 1. *Cor.* 12. *v.* 11. Interim ut ſonitus venti auditur, nec occultari poteſt. *Prov.* 27. *v.* 15, 16. Sic fructus Spiritus Sancti ſeſe exerunt. Venti tanquam ſcopæ aëris eundem purgant, noxios humores, morborum cauſſas diſcutiunt: ſic & Spiritus Sanctus vim peccati in nobis enervat, animas noſtras magis ac magis purgat. Qua-

Quatuor autem venti hic numerantur, cardinales ſcilicet, lateronibus omiſſis, flantes a quatuor mundi cardinibus. 3. *Triſt. eleg.* 2.

Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu,
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt,
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto,
Nunc Notus adverſa prælia fronte gerit.

Hujus numeri & alibi S. Scriptura meminit. Dan. 7. *Quatuor venti pugnabant in mari.* Zachar. 2. *In quatuor ventos cæli diſperſi vos.* Matth. 24. *Congregabunt electos ejus a quatuor ventis.* Sicut vero ſeptem ſpiritus ſuffciunt totidem numero eccleſiis, ſic quatuor hi venti, quatuor angulis terræ Judaicæ.

Hos ventos quatuor Angeli quatuor, quisque ſuo loco tenebant, κρατοῦντες, tanta vi ne ullo modo elabi poſſent, quomodo Judas dixit capturis Chriſtum, *Matth.* 46. *v.* 48. κρατήσατε αὐτόν. & Chriſtus monuit Angelum Philadelphienſem, *Apoc.* 3. *v.* 11. κράτει ὃ ἔχεις. Quis autem ventum teneat? quis credat fabulæ Ho-

mericæ de Ulyſſe, cui Æolus ventos utre concluſos dedit? Jupiter eorum vim metuens ſpeluncis atris eos abdidiſſe fingitur, & Regem illis impoſuiſſe. Quanto minus quis vim Spiritus Sancti inhibeat? ut recte Petrus, *Act.* 11. *v.* 17. Cum enim Dei vis infinita ſit, quis finitus illam in ordinem redigat? Hæc quidem difficultatem nonnullam habere videntur, ſed tamen ſuperabilem. Sicut enim impii pervicaces reſiſtere dicuntur huic vento, Spiritui S. *Act.* 7. *v.* 51. non irritam reddendo virtutem ejus in convertendis hominibus efficacem, nam *voluntati ejus quis reſiſtet?* Rom. 9. v. 19. Sed Prophetis per Spiritum S. loquentibus obloquendo, eosque contemnendo & perſequendo, quod Stephanus in *actis*, *cap.* 7. *v.* 52. innuit, dicens: *quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?* Sic contra etiam pii Deum retinere dicuntur, ne agat illud, ad quod ſe jam accinxiſſe videbatur.

Moſes, ſua pro Iſraële interceſſione, Dei manus jam in idololatras extenſas cohibuit, dicente Deo: *Nunc ſine me, ut accen-*

accenſa ira conſumam eos. Exod. 32. v. 10. Aharon expiationem faciens pro populo, ſtetit cum thuribulo inter vivos & mortuos, & cohibita eſt plaga. *Num.* 16. *v.* 48. David ſacrificio ſtitit Angelum gladium ſtringentem. 1. *Chron.* 21. *v.* 27. Sic *Amos* 7. 1-6. Tam efficax eſt oratio juſti ut pœnas jam paratas avertat: Nec minus valet ad arcenda Dei beneficia, ubi homines ſe iis indignos præſtant. Elias ſane pluvias inhibuit, dicens quanta cum παῤῥησίᾳ; *Vivit Jehova Deus Iſraëlis ante quem adſto, non eſt futurus annis iſtis ros aut pluvia: niſi ex verbo meo.* 1. Reg. 17. *v.* 1. Quid ni idem egerint hi Angeli orationibus ſuis in pertinaces Judæos, præſertim cum, deſtructa jam urbe & templo, Deus gentis illius curam abjeciſſe videretur: cum ſtante ea Republica, dum ſpes aliqua ſupereſſet, Paulus pro eis preces fuderit. *Rom.* 10. v. 1. Præſertim poſtquam hi Angeli ſibi ſilentium impoſuiſſent, ne loquerentur Judæis euangelium, cum illud blaſphemaſſent. *Act.* 13. *v.* 46. Hoc enim vehiculum Spiritus ſancti, quo hic fidem in cordibus pio-

rum operatur, ceſſavit inter Judæos, & hi Angeli Judæis fuerunt, quod Ezechiel patribus eorum, cui dixit Deus: cap. 3. 11. *Linguam tuam agglutinaturus ſum palato tuo, ut obmuteſcas, ac non agas reprehenſorem apud illos: quia domus rebellis ſunt.* Sic quatuor Angeli tenuerunt quatuor ventos terræ, ſed quo fine? Judicium horrendum incubiturum non tantum terræ ſc: Judaicæ, jam miſerandum in modum devaſtatæ, ut nullo loco aut numero haberi fere aut debeat aut poſſit. Nota quoſdam codd. hæc verba ἐπὶ τῆς γῆς omiſiſſe: Sed etiam egreſſurum in mare, id eſt, inſulas maris, quo & Judæi erant deportati, in arbores, id eſt, ſylvas, ubi miſeri deliteſcebant, adeo ut hæc pœna univerſalis totam gentem jam diſperſam corripuerit. Quid autem infelicius eo quem ventus hic ſpiritualis non afflat? *Jeſ.* 6. *v.* 6. *Joh.* 12. *v.* 39. 40. *Act.* 28. *v.* 25, 26, 27. Hoc calamitatum Judaicarum mare, in quo ad huc verſantur, vide apud *Hoornb. contr. Judæos. pag.* 192. 193.

Deinceps ad alium, excellentiorem illum Angelum nos convertimus viſuri

ri quid habuerit, deinde quid egerit: Habuit (ἔχων) tanquam ſibi proprium jure quo juſte poſſidentes gaudent. Juſtum hoc in amneſtia viſum eſt Thraſybulo, ἔχοντες ἕκαστος ἃ ἔχουσι. Habuit autem ſigillum non alicujus hominis quamvis potentis, quale Ahaſueri. *Eſt.* 3. *v.* 12. aut Pilati. *Matth.* 27. *v.* 66. Non Antichriſti. *Apoc. cap.* 14. Sed Dei vivi, id eſt, Spiritum ſanctum, qui hac metaphora notatur: *Epheſ. cap.* 1. *v.* 13. ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι. & *cap.* 4. *v.* 30. item, 2. *Cor.* 1. *v.* 22. Quod enim agit ſigillum inter homines, hoc idem agit Spiritus S. inter Deum & homines, eos in fœdere gratiæ confirmando, & imaginem ſuam animæ in regeneratione imprimendo; ut τὸ ἔκτυπον τῷ ἀρχετύπῳ reſpondeat, eoque tanquam ex fidei fructu, accedente teſtimonio Spiritus S. tum in verbo, tum in corde, certus ſit filius Dei de ſalute ſua æterna, non enim aboletur aut mutatur hoc ſigillum: ſed obſignat uſque in diem pleniſſimæ redemtionis. Sic 2. *Tim.* 2. *v.* 19. Angelus vero habet hoc ſigillum tum quia Deus unius cum Patre

Be

& Spiritu S. qui & a Filio proficiſcitur, eſſentiæ: tum quia Mediator, ipſe eo ſignatus, *Joh.* 6. *v.* 27. unctus Spiritu S. ultra conſortes. Suos item eo obſignans: nam in quibus ipſe eſt, in illis eſt & Spiritus. *Rom.* 8. *v.* 10, 11.

Quid egit? Non otioſus quatuor reliquos Angelos intuetur: ſed eos (ut pote nocendi poteſtate inſtructos, quæ ἐδόθη data illis) alloquitur, voce non exili pipiente, muſſitante qualis Pythonum aut ariolorum. *Jeſ.* 8. *v.* 19. *&* 29. *v.* 4. Sed voce magna clamavit: ut in rebus dubiis ſerio quis alios excitat, ut Angelus in periculo Iſaäci. *Gen.* 22. *v.* 11. & paſtores viſo Leone. *Jeſ.* 31. *v.* 4. Quo ipſo indicat Chriſtus quantam curam gerat tum Angelorum, miniſtrorum Novi teſt. ut eos ad munus ſuum rite peragendum excitet: tum aliorum fidelium, quos ſignaturus erat, ne communi hoc judicio & ipſi involvantur & pereant.

Hæc omnia vidit Johannes: nunc porro quid audiverit audiamus. Audivit autem duo, quorum prius eſt concio Angeli, ad quatuor Angelos reliquos: poſterius eſt ſignatorum numerus. In

In concione Angeli occurrit primo interdictum, mali inhibitionem, ejusque determinationem edicens. Malum illud late patebat, per terram, mare, arbores, id eſt, loca a reliquiis Judæorum habitata.

Quid autem ſibi vult ἀδίκημα, cujus poteſtas quatuòr illis Angelis data, quod hic inhibetur? an proprie erit ὕβρις, ſive damnum injuria datum? Nempe ſi ventos retinerent, ingens ſane damnum terræ, mari, arboribus expectandum, quid enim miſerius quam non afflari Spiritu *S*? quem qui non habent Chriſti non ſunt, docente Paulo, *Rom*: 8. *v*. 9. Qui autem Chriſti ſunt illis Spiritus debetur, tum ex promiſſione Chriſti: *Joh. cap*. 14, 15, 16. tum ex neceſſitate, quia eo carere nequeunt in precibus per Spiritum hunc precum fundendis, in auditione verbi, in mortificatione carnis: in omnibus a Spiritu *S*. agendis ducendi ſunt. Siquis ergo hunc ventum inhibeat ſine dubio injuriam facit, damnumque infert illis qui ad hoc beneficium jus habent. Ideoque quamvis indurati

Judæi

Judæi excludendi eſſent, cavendum tamen erat ne electi & ſignati in illud damnum inciderent, hinc inhibitio Μὴ ἀδικήσητε, per λιτότητος mandans, ut ſinerent ſpirare ventos in ſalutem ſignandorum: quorum cauſa hæc determinatio additur, ἄχρις οὗ. Deus enim ſapientiſſime ita determinat judicia ſua, ne ſalus electorum vel tantillum detrimenti capiat. *Poſt* hoc interdictum conſiderandum eſt beneficium electis præſtandum: Hi ſervi Dei dicuntur, quæ conditio vera libertas eſt, qnem titulum ſibi honori duxit David. *Pſ.* 36. *v.* 1. *&* 18. *v.* 1. Paulus Apoſtolatui præpoſuit, *Rom.* 1: *v.* 1. cum Apoſtolorum damnatus ſit unus, ſervorum nullus. *S*unt autem ſervi Dei primo, jure natalium, quia in ejus *familia*, eccleſia nati. *S*ecundo, jure emtionis non auro & argento, ſed ſanguine Jeſu Chriſti. 1. *Pet.* 1: *v.* 18, 19. *Tit.* 2: *v.* 14. Tertio quia ab hoſte erepti, bello capti, adeoque a ſervando, recte ſervi dicti. *Col.* 1. *v.* 13. *Pſalm* 116. *v.* 16. Tandem ipſo uſu tales, quia illi ſerviunt. *Rom.* 6. *v.* 16. Neque hæc ſervitus deterit privilegia

novi

novi teſtamenti. Sub vet. quidem teſtamento filius quoad externam œconomiam nihil differebat a ſervo, quamvis omnium hæres eſſet: qui in novo teſt. in libertatem aſſertus liberatur a ſervitute peccati, a ſervitute legis ceremonialis, non tamen ab obedientia Domino præſtanda, imo nunc magis præſtanda, quia fortioribus beneficiorum vinculis obſtrictus eſt, docente Zacharia, Luc. 1. 74. 75. *Vt ſine metu, e manu inimicorum noſtrorum liberati, ipſum colamus, cum ſanctitate & juſtitia in ipſius conſpectu, cunctis vitæ noſtræ diebus.* Et Paulo, 1. Corinth. 6. v. 20. *Emti eſtis pretio, glorificate igitur*, &c.

Dominus hic Angelo cum reliquis ſervis communis eſt, ȣ θεȣ ἡμῶν. Jeſus & fideles eundem Deum habent eundem Patrem. *Joh.* 20. 17. Qui & utroſque eodem amore complectitur. Joh. 17. v. 23. *Diligis eos ſicut & me dilexiſti.* Ideoque & communi filiorum nomine eos dignatur. שעשעים *Prov.* 8. *v.* 30, 31. quo nomine & Ephraim inſignitur. *Jer.* 31. *v.* 20. Jeſus primogenitus, ſed & illi. *Hebr.* 12. *v.* 23.

Hic

Hic autem notantur non in corde quod ſoli Deo patet, non in brachio, *Cant.* 8. *v.* 6. Quod veſte tectum: ſed in fronte quæ ſemper, niſi forte in luctu, aut pudore, in propatulo eſt; ex qua, tanquam totius hominis compendio, facilius cognoſcitur: ideoque ea parte notati Zelotæ. *Ezech.* 9. & emti ab agno. *Apoc.* 14. *v.* 1. & hic reliquiæ Judæorum Chriſtum profitentium, quorum hæc eſt παῤῥησία, quod aperta fronte, coram mundo non pudeat eos Euangelii Chriſti, quod eſt potentia Dei ad ſalutem cuivis credenti: hoc diadematis inſtar in fronte gerunt. *Job.* 31. *v.* 37. Signans non unus, eſt ſed plures (σφραγίσωμεν) Pater, Filius, & Spiritus S. ut in primæva hominis creatione. *Gen.* 1. *v.* 26. Sic & deinceps docente Jeſu noſtro, Joh. 5. v. 19. *Non poteſt Filius a ſemetipſo operari, niſi viderit Patrem operantem; quæ cunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.*

Reſtat ipſa ſignandi ratio, quæ non externa per figuram crucis. Quid non valet ſuperſtitio? alii quid de litera *Hebr.* 5. ut & in *Ezech.* 9. aut Græcorum T figuram

guram crucis exprimente ſomniant. Vide ſis Druſium, *lib.* 2. *quæſt. Ebraic.* 21. Nos illud ſignaculum intelligimus, de quo Paulus, 2. Tim. 2. v. 19. *Firmum ſtat fundamentum Dei, habens ſigillum hoc: novit Dominus qui ſint ſui: &, diſcedat ab iniquitate omnis qui nomen Dei invocat.* Hoc dicitur *nomen Patris & agni* ſcriptum in frontibus ſignatorum. *Apoc. cap.* 14. *v.* 1. Ἀρχέτυπον eſt Dei æternum tales ſervandi propoſitum: ἔκτυπον eſt vocatio per verbum & ſacramenta efficax per arrhabonem Spiritus Sancti, hinc vera converſio conſtantia & perſeverantia in fide. Tum vera divini nominis invocatio, & ſincera veritatis euangelicæ coram toto mundo profeſſio.

Hactenus concio Angelica, nunc porro ſignatorum numerum audiamus, conſiderantes tum numerum, tum ſupputandi rationem. Numerus eſt (loqui ita liceat) numeratus & numerans. Numerati ſunt non aliqui ex gentibus, quæ hactenus ſuis viis ambulaverant, cum legem Deus dediſſet Jacobo, ſtatuta ſua & jura Iſraëli: non faciens ita ulli genti, *Pſ.* 147.

Sed filii Iſraëlis, quibus concredita erat adoptio, & gloria, & pacta, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones. *Rom.* 9. *v.* 4. Ad quos ſolos, excluſis & Samaritanis & gentibus emiſerat Jeſus ſuos diſcipulos. De quibus profeſſi erant Apoſtoli, *Act*, 13. *v.* 46. neceſſe fuit vobis primum exponi ſermonem Dei.

Numerus numerans generalis eſt & ſpecialis. Generalis eſt ſumma quaſi ſummarum ſcilicet *centum quadraginta quatuor millia.* Quæ quidem multitudo in ſe quamvis magna: quantilla tamen eſt ſi compares cum illis, qui illa tantum ætate perierunt bello, fame, peſte abſumti, quorum numerum collegit Lipſius, *lib.* 2. *de conſtantia*, *cap.* 21. ad duodecies centena & quadraginta millia, præter innumeros qui omiſi. Qui ſuperſtites nec illi omnes ſignati. Ecce quam parvus ſignatorum numerus.

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Anguſta eſt porta, & ſtricta via quæ ad vitam ducit, & pauci inveniunt eam. *Matth.* 7. *v.* 14. Parvus Grex. *Luc.* 12. *v.* 23. Plures eſſe malos docuerunt etiam

Philo-

Philoſophi gentiles, *vix totidem quot Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.* Hoc majori jure in myſteriis hiſce ſpiritualibus obtinet. Interim in tantis generis humani, ipſiusque eccleſiæ externæ ruinis, Deus aliquas ſibi ſemper ſervat reliquias ſecundum gratioſam electionem, ne portæ inferorum unquam prævaleant. Nobis omnibus viribus nitendum ut in iſto paucorum ſignandorum numero, adeoque ſervandorum etiam noſtrum nomen legi ſciamus.

Specialis numerus ex ſingulis tribubus collectus eſt duodecim millium. In quo non eſt quod metuamus aliquam obſcuritatem, qualis in numeris Platonicis proverbio locum fecit: Nec confugiemus ad aliquam ſynecdochen hic non neceſſariam, cum proprie certus hic definitus numerus ſine ullo incommodo intelligi poſſit, non minus quam in numero duodenario proprie capto in duodecim tribubus Iſraëlis, fontibus Elimorum, lapidibus in pectorali Aharonis, ipſis Apoſtolis, adeoque ſtellis in capite mulieris, *Apoc.* 12. *v.* 1. & portis novæ

Hieroſolymæ, *cap.* 21. Item in menſibus anni, & horis diei. Certus enim & definitus nec augendus nec minuendus eſt numerus ſignatorum & ſalvandorum. Deus novit qui ſui ſint. 2. *Tim.* 2. *v.* 19. Liber vitæ lituram non admittit. Qui eos elegit etiam cuſtodit, nec enim ſine ſuo excidit qui ſapientiſſimus ſimul & potentiſſimus eſt. Supputandi ratio *in* ordine, additione ac omiſſione tribuum conſiſtit. Ordo hic ſervatur non *naturalis* ille ſecundum natales; quomodo in Ægypto apud Joſephum accumbebant Patriarchæ. Gen. 43. v. 33. *Primogenitus, ſecundum primogenita ſua, & qui minor erat, ſecundum minorem ætatem ſuam, adeo ut mirabundi Ægyptii reſpicerent alter ad alterum.* Sed arbitrarius: Ruben primogenituræ jure, propter inceſtum exciderat: Simeon & Levi propter homicidia & rapinas ſuo etiam loco moti. Reliquarum tribuum Dux hic Juda eſt, quod privilegium illi etiam oraculo datum in oppugnandis Cananæis. *Jud.* 1. *v.* 1, 2. Quin &

Cum domus Iſacidum patrias remearet ad oras,

Bar-

Barbaraque inviſæ linqueret arva Phari:
Ipſe Deus Judam cœleſti numine tutum
Fecit, erat populi ſignifer ipſe ſui.

ut Buchananus ex Pſalmo 114. canit. In novo teſtamento primas huic dedit forte Johannes, quia certum Jeſum ex Juda ortum, *Hebr.* 7. *v.* 14. juxta promiſſionem de Silo. *Gen.* 49. *v.* 10. Aſar ultimus natorum ex ancillis, qui a Moſe, *Deut.* 33. *v.* 24. ultimo loco ponitur, hic quartum locum, Judæ a Jacobo *Gen.* 49. *v.* 8. datum, occupat. Non enim Deus προσωπολήπτης qui carnalia privilegia reſpiciat. *Act.* 10. *v.* 34, 35. Abel Caïno prælatus, Semus Japheto, Iſaäcus Iſmaëli. Jacobum minorem Deus dilexit, Eſavum primogenitum odio habuit. Fruſtra Judæi jactarunt ſe eſſe ſemen Abrahami, cum Deus ex lapidibus excitare poſſit ei filios. Hæc de tribuum ordine hic ſervato. Additur autem tribus Levi, quæ alias in numerationibus populi Iſraëlitici omitti ſolita eſt, ut videre eſt, *Num.* 1. & 2. Cum enim illi, ut quidem reliquis tribubus, hæreditas in terra Canaän aſſignata non eſſet, fruſtra ejus habere-

beretur ratio. At vero nunc ſub Novo teſtamento de carnali hac hæreditate non agitur, ideoque hic locum merito invenit. Tanto magis quod hæc Deo propior, Sacerdotalis, ſuffitum offerens, docens, Urim & Tummim gerens. *Deut.* 33. Sic memoria juſtorum in benedictione eſt, qui quidem non adorandi propter religionem, honorandi tamen propter imitationem. Lege Syracidem, *cap.* 44. *ſeqq.* Vivit poſt funera virtus.

Omiſſio eſt duarum tribuum, Danis & Ephraïmi. Moſes in concione valedictoria omiſit Simeonem. *Deut.* 33. An quia poſt peccatum in Sichemitas commiſſum *Gen*, 34. non reſipuit? quare maledictionem Patris meruit. An quia vinculorum ignominiam ipſe ſolus *tulit?* hic diſquirere non attinet. De Dane hic omiſſo hanc aliqui rationem, quæ ſane nobis ſatis ſolida non videtur, excogitarunt, quod ſcilicet ex eo naſciturus eſſet Antichriſtus, quare & ſerpenti aſſimilatus ſit a Jacobo. *Gen.* 49. *v.* 17. Hoc ne fidiculis quidem quis ex his locis extorqueat. An vero hæc tribus etiam

nunc

nunc pœnas dedit ejus idololatriæ, in quam patres olim inter primos prolapſi? *Jud.* 18. *v.* 30, 31. Clariſſ. autem Gomarus, in explicatione loci Matthæi, 27. *v.* 9, 10. Danem hic non omiſſum eſſe judicat, ſed pro ejus nomine, Μαιαος; (quaſi Μάν contractum legerit Scriba) obrepſiſſe. Hujus ſuæ conjecturæ duas affert rationes. Quarum priorem deſumit ex *verſ.* 5: ubi dicitur ex omni tribu Iſraël mactatos recenſeri: quod, tribu Danis omiſſa, non conſtabit. Alteram ex *verſu* 7. Ubi cum tribus Joſeph numeretur, illa Manaſſen ſimul cum Ephraïmo complectitur, unde apparet Manaſſis nomen redundare: præſertim cum intervallo majore ſeparatum a tribu Joſephi hoc loco numeretur. Sed hæc conjectura exemplaris alicujus fide deſtituitur, ideoque non admittenda videtur.

Sed & Ephraimus omiſſus eſt; quamvis in benedictione Jocobi, *Gen.* 48. *v.* 20. fratri Manaſſi prælatus fuerit. An quia in paterna Joſephi tribu cenſetur, ne excedatur numerus duodenarius? An etiam propter peccatum Jeroboami, pri-

mi Regis decem tribuum, qui ex Ephraimo oriundus, 1. *Reg.* 11. *v.* 26. conflavit vitulos aureos, atque adeo auctor fuit illius ſchiſmatis, & peccati, quod ejus deinde ſucceſſores imitati ſunt. Ita ſcilicet impiorum memoria putreſcit. *Prov.* 10. *v.* 7. Ut Pſeudoprohetis minatur Ezechiel. cap. 13. v. 9. *In conſilio populi mei non erunt, & in deſcriptione domus Iſraëlis non conſcribentur, neque in terram Iſraëlis venient.*

SIGILLI SEXTI

VISIO TERTIA.

Apoc. cap. VII. v. 9. usque ad finem capitis.

9. Μετὰ ταῦτα εἶδον, καὶ ἰδοὺ ὄχλος πολύς, ὃν ἀριθμῆσαι αὐτὸν οὐδεὶς ἠδύνατο, ἐκ παντὸς ἔθνους, καὶ φυλῶν, καὶ λαῶν, καὶ γλωσσῶν, ἑστῶτες ἐνώπιον τοῦ θρόνου, καὶ ἐνώπιον τοῦ ἀρνίου, περιβεβλημένοι στολὰς λευκάς. καὶ φοίνικες ἐν ταῖς χερσίν αὐτῶν.

10. Καὶ κράζοντες φωνῇ μεγάλῃ, λέγοντες. ἡ σωτηρία τῷ θεῷ ἡμῶν, τῷ καθημένῳ ἐπὶ τοῦ θρόνου, καὶ τῷ ἀρνίῳ.

11. Καὶ

11. Καὶ πάντες οἱ ἄγγελοι ἑστήκεσαν κύκλῳ τοῦ θρόνου καὶ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ τῶν τεσσάρων ζώων, καὶ ἔπεσον ἐνώπιον τοῦ θρόνου ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ προσεκύνησαν τῷ θεῷ.

12. Λέγοντες. Ἀμὴν, ἡ εὐλογία, καὶ ἡ δόξα καὶ ἡ σοφία καὶ ἡ εὐχαριστία καὶ ἡ τιμὴ καὶ ἡ ἰσχὺς τῷ θεῷ ἡμῶν εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

13. Καὶ ἀπεκρίθη εἷς ἐκ τῶν πρεσβυτέρων, λέγων μοι. Οὗτοι οἱ περιβεβλημένοι τὰς στολὰς τὰς λευκάς, τίνες εἰσὶ, καὶ πόθεν ἦλθον;

14. Καὶ εἴρηκα αὐτῷ. Κύριε, σὺ οἶδας. Καὶ εἶπέ μοι, οὗτοι εἰσιν οἱ ἐρχόμενοι ἐκ τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης καὶ ἔπλυναν τὰς στολὰς αὐτῶν ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἀρνίου.

15. Διὰ τοῦτο εἰσίν ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ, καὶ λατρεύουσιν αὐτῷ ἡμέρας καὶ νυκτὸς, ἐν ναῷ αὐτοῦ. Καὶ ὁ καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου σκηνώσει ἐπ' αὐτούς.

16. Οὐ πεινάσουσιν ἔτι, οὐδὲ διψήσουσιν ἔτι, οὐδὲ μὴ πέσῃ ἐπ' αὐτοὺς ὁ ἥλιος, οὐδὲ πᾶν καῦμα.

17. Ὅτι τὸ ἀρνίον τὸ ἀνὰ μέσον τοῦ θρόνου ποιμανεῖ αὐτοὺς, καὶ ὁδηγήσει αὐτοὺς ἐπὶ ζώσας πηγὰς ὑδάτων· καὶ ἐξαλείψει ὁ Θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν.

9. *Poſtëa vidi, & ecce aderat turba multa, quam numerare nemo poſſit, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis & linguis:*

ſtabantque ante thronum & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis; & palmæ in manibus eorum,

10. *Et clamabant voce magna dicentes: Salus a Deo noſtro eſt, inſidenti throno, & Agno.*

11. *Omnes autem angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium illorum, & procubuerunt ante thronum in facies ſuas, & adorarunt Deum.*

12. *Dicentes: Amen: benedictio, & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & poteſtas & vires Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.*

13. *Tunc me compellavit unus ex ſenioribus illis, dicens mihi: Iſti qui amicti ſunt ſtolis albis, quinam ſunt, & unde venerunt?*

14. *Et dixi ei, Domine, tu noſti. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt ex afflictione magna: & laverunt ſtolas ſuas ac dealbarunt in ſanguine Agni.*

15. *Ideo ſunt ante thronum Dei, & colunt eum die ac nocte in templo ejus; & qui inſidet throno proteget eos umbraculo.*

16. *Non eſurient amplius, neque ſitient amplius, nec in eos cadet ſol, neque ullus æſtus:*

17. *Quo-*

17. *Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, paſcet eos, & vitæ dux erit ipſis ad vivos fontes aquarum: & abſterſurus eſt Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.*

Poſtquam Judæi, quibus Euangelium ab Apoſtolis primo prædicatum eſt, ſua pertinacia, rejecto illo, ſe vita æterna indignos præſtiterunt, oſtium fidei gentibus apertum eſt: quod Jeſus illis ſæpius per parabolas prædixerat. *Matth.* 22. *Luc.* 14. Oſtendens convivas ante invitatos & vocatos venire renuiſſe hora convivii & cœnæ, ideoque in locum eorum ſubſtitutos fuiſſe mendicos, mancos, claudos, cœcos, in plateis & vicis jacentes. Comminatus vineam aliis elocandam, qui fructum reddituri eſſent præſtitutis temporibus ſuis. *Matth.* 23. *v.* 41. Quod Paulus, *Rom.* 11. elegantiſſimo docuit emblemate de olea, cujus ramis naturalibus reſectis alii ex oleaſtro contra naturam inſiti ſunt. Idem hoc capite indicavit Johannes: obſignatis ſervis Dei ex omnibus tribubus Iſraëlis, jam conceſſum erat quatuor illis Angelis manu retinere ventum Spiritus S. ne ſpiret amplius

plius in terra Judaica, aut ſuper reliquias, in mari & inſulis, aut inter arbores ſylvarum deliteſcentes: Nunc porro in hac viſione luculenter admodum vocationem gentium depingit.

Hic primo occurrit nova ἀποκάλυψις, deinde colloquium, quod Johannes ſuper ea cum uno ex ſenioribus habuit. In nova hac ἀποκαλύψει deſcribitur *tum* quid viderit, tum quid audiverit Johannes. Vidit hominum & quantitatem, & qualitatem: quantitas conſiſtit in turbæ hujus multitudine, quam nemo numerare poterat. Deus quidem eos omnes ſingulos ſuo etiam nomine novit. *Exod.* 33. *v.* 17. Quorum nomina libro vitæ inſcripſit. *Luc* 10. *v.* 20. Sicut & exercitus cœleſtes, nullo omiſſo numerat. *Jeſ.* 40. *v.* 26. Novit qui ſui ſint. 2. *Tim.* 2. *v.* 19. Quis vero hominum numeraverit ſemen Abrahami innumerabile, cui Deus dixerat. Gen. 13. v. 16. *Si quis poterit numerare pulverem terræ, etiam numerari poterit ſemen tuum.* Iterum, cap. 15. v. 5. *Intuere cælum verſus, & numera ipſas ſtellas, ſi poteris numerare eas: Sic futurum eſt ſemen*

tuum.

tuum, Sic Jerem. 23. v. 22. *Vt non poteſt numerari exercitus cœlorum, nec poteſt menſurari arenà maris, ita augebo ſemen Davidis ſervi mei, & Levitarum miniſtrantium mihi.* Hinc Apoſtolorum illimitata miſſio, & Eccleſiæ membrorum infinitas: multi dicuntur, *Matth.* 20. *v.* 28. imo omnes. 1. *Tim.* 2. *v.* 6. Illuxit gratia Dei omnibus hominibus. *Tit.* 2. 11. Hic fuit ſcopus Patris mittentis, & filii in mundum miſſi. *Decebat enim ut ipſe propter quem hæc ſunt omnia, & per quem ſunt hæc omnia; multos filios, in gloriam adducendo, principem ſalutis ipſorum per perpeſſiones conſummaret.* Hebr. 2. v. 10. Ideoque Jeſus Chriſtus eſt propitiatio non tantum pro noſtris peccatis, ſed etiam pro totius mundi peccatis. 1. *Joh.* 2. *v.* 2. Quamvis autem hæc multtiudo omnis generis homines includat, non tamen & ſingulos: nam eadem hæc multitudo, ſi cum multitudine pereuntium comparetur, heu! quam exigua eſt! Interim hanc gratiæ abundantiam, ex infinita Dei bonitate profluentem exoſculemur. *Sic enim Deus dilexit mundum. &c.* Joh. 3. v. 16. Hic videbi-

debimus non minorem eſſe virtutem Adami ſecundi in ſervando, quam primi fuerat in perdendo: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt* multi: *ita per obedientiam unius juſti conſtituentur* multi. *Rom.* 5. *v.* 19. Quod præſertim tempore novi teſtamenti magis emicuit.

Hujus multitudinis qualitates in origine & ſtatu videre licet. Origo ejus notanda eſt tum naturalis, tum politica.

Naturalis, reſpectu fœderis Dei, a quo ſub Veteri teſtamento gentes excludebantur, Nunc vero πάντα ἔθνη admittuntur. *Epheſ.* 2. *v.* 11. Nec tamen ſub novo teſtamento excluduntur Judæi cum & φυλαὶ recenſeantur, quæ vox fere de tribubus Iſraëlis uſurpatur. Politica, reſpectu *primo* ſocietatis, λαοὶ, ſic dicti a λάω, vel λαύω, quod ſocietate civili fruantur, cum homo ſit animal πολιτικὸν. *ſecundo* linguæ ad illam ſocietatem colendam imprimis neceſſariæ; ita hic non ſolus Iſraël admiſſus, nec ſola lingua Hebræa; Sed quæcunque, ut in primo Pentecoſtes feſto manifeſtum fuit.

Ha-

Habemus hic Eccleſiæ novi teſtamenti catholiciſmum, prædictum a prophetis. *Pſal.* 72. *Jeſ.* 60. & 66. *Gen.* 9. *v.* 27. & 49. *v.* 10. Mandatum a Chriſto. *Matth.* 8. *v.* 11. & 28. *v.* 19. *Act.* 1. *v.* 8. Impletum ab Apoſtolis. *Act.* 2. item *cap.* 10. *v.* 34, 35. *Rom.* 15. *v.* 10. Expirarevat enim tempus ætatis illius infantilis, paries intergerinus erat ſublatus, Spiritus ſancti dona ampliora exiguis Judææ terminis contineri non poterant. Ut fruſtra ſint Judæi, de hoc privilegio etiamnum glorianFruſtra olim Donatiſtæ, quaſi ſoli Africæ alligata eſſet Eccleſia, quæ propterea nomen catholicæ aſſumſit. *vide Bellarm. de verbo Dei, lib.* 3. *cap.* 3. §. *ſed. quanquam.* Romanus catholiciſmus oppoſitum in appoſito ſtatuit.

Status vero ſive conditio hujus multitudinis eſt in Labore & præmio. Laboris videmus objectum, & modum.

Verſatur ergo labor hic circa thronum, hoc eſt, μετωνυμικῶς, circa throno inſidentem. *Apoc.* 4. *v.* 2, 3. Et agnum, qui erat in medio throni, *Apoc.* 5. *v.* 6. Ut videamus

mus gloriam Agni, & capitis noſtri Jeſu Chriſti, qui, poſtquam animam ſuam poſuit ſacrificium pro reatu, in gloriam admiſſus conſedit in throno Patris, nobisque locum paravit, ut ubi ille eſt & nos ſimus, conſidentes cum eo in throno ejus. Modus hujus converſationis eſt non in ſedendo, aut volando, ſed in ſtando, qualis ſtatus erat ſacerdotum in *templo* miniſtrantium. *Pſal.* 134. *v.* 1. *Hebr.* 10. *v.* 11. Aut ſervorum coram facie Dominorum ſuorum. 1. *Reg.* 10. *v.* 5, 8. unde apud Romanos *Statiorum* nomen ortum. *A. Gell. lib.* 4. *cap.* 20. Sunt enim fideles & ſacerdotes & ſervi. 1. *Pet.* 2. *v.* 9.

Laborem hunc præmium ſequitur tum in toto corpore, tum in manibus hujus multitudinis. In toto corpore veſtis & forma, & color notandus eſt. Forma eſt στολὴ, non muliebris, qualis apud Romanos uſitata, unde Livia Ulyſſes ſtolatus dicta. *Sueton. Calig. cap.* 23. Sed qualis Regum, de qua conſulendi ſcriptores laudati a Dempſtero, ad Roſin. *Antiquit. Rom. lib.* 5. *cap.* 35. Imprimis Sacerdotum apud Judæos, de qua Joſephus, *Antiquit.*

quit. Jud. lib. 15. *cap.* 14. & Braunius *de veſt. ſacerd. Hebr. lib.* 2 *cap.* 25. Quo veſtitus genere fideles a reliqua hominum fæce ſegregati intelliguntur, tanquam Reges & Sacerdotes, *Apoc.* 1, 6. Virgines; *Cant.* 1. *v.* 3. *Matth.* 25. *Apoc.* 14. *v.* 4. Lux in tenebris. *Phil.* 2. *v.* 15. Lilium inter ſpinas. *Cant.* 2. *v.* 2. Mons ſupra valles. *Matth.* 5. *v.* 14. Maxima enim ſunt privilegia quibus hi præ aliis hominibus gaudent; qualia ſunt electio gratuita, vocatio efficax, juſtificatio per Chriſtum, adoptio, Sanctificatio per Spiritum S. quæ ſunt veſtes ſalutis, & pallium juſtitiæ, *Jeſ.* 61. *v.* 10. ideoque hic vere λαὸς περιούσιος, *Tit.* 2. *v.* 4. oppoſite ad ἐπιούσιον, quod quotidianum notat. Utinam & nos talibus ϛολαῖς induti incederemus. Hoc cœleſtis nobilitatis inſigne. Exuamus veſtes peccati ſordidas, ut talibus ſtolis induamur, non ſecus ac Joſua Sacerdos, *Zachar.* 3. *v.* 3, 4, 5. & Joſephus, Pharaoni ſiſtendus. *Gen.* 41. *v.* 14.

Veſtium color, non triſtis, ruber, niger, cæruleus, qualis equorum *ſupr.*

cap. 6. *v.* 4, 5, 8. Sed albus qualis victoris illius equitis, *ibid.* *v.* 2. Hic color non tantum triumphantium, ſed & ſummi Pontificis, cum piaculare ſacrum in adyto, ſemel in anno, faceret. Ex quo accidit ut proprio nomine בגדי לבן id eſt, *veſtes Laban*, a Judæis dicerentur. Locum ex Maimonide adduxit Cunæus, *de Rep. Hebr. lib.* 2. *cap.* 1. Qui latine ita ſonat: *Veſtes Laban fuere indumenta quatuor, quibus indutus Pontifex ſacra faciebat, die jejunii. Erant autem ea albi coloris, atque ex lino tantum: nimirum tunica, bracha, cingulum & infula*, nempe juxta Dei præſcriptum. *Lev.* 16. *v.* 4. Vide & Braunium, *de veſtib. ſacerd. lib.* 2. *cap.* 26. §. 29. 32. Puri & candidi coram Deo apparent fideles, quare & eorum pulchritudo deſcribitur a Salomone. *Cant.* 1. *v.* 8. item *cap.* 4. *v.* 1-7. Loti enim ſunt ſanguine agni, ut infra, *ad v.* 14. videbimus. Hoc in veteri eccleſia adumbrabatur per albas veſtes, quibus poſt baptiſmum ornari ſolebant Chriſtiani, unde *Dominica in Albis* nomen invenit: hoc voluit Lactantius, vel potius Fortuna-

tu

tius Pictavienſis Epiſcopus in carmine de reſurrectione Domini:

Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.

Fatetur quidem Chriſti ſponſa ſe nigram, *Cant.* 1. *v.* 5. & Jeſaias, 6. *v.* 5. ſe impurum labiis eſſe. Imo ſumus ut immundus omnes nos, & ſicut pannicu- lus abjectiſſimus omnes juſtitiæ noſtræ. *Jeſ.* 64. *v.* 6. Revera etiam tales ſunt etiam poſt regenerationem, quia in eis reſtat caro concupiſcens adverſus ſpiritum. Neque hunc candorem ex ſe habent. Et quo magis ſibi propter peccati nigrorem diſplicent, eo magis Deo propter candorem imputatum placent: quia a Jeſu Chriſto emerunt ſibi veſtimenta illa alba. Fruſtra itaque immundus mundus eos immundos & καθάρματα judicat. Oremus cum Davide, Pſ. 51. v. 9. *Expiato me hyſſopo, ut mundus ſim: abluito me ut præ nive albeſcam.* & v. 12. *Animum mundum crea mihi, Deus.* Curemus ne ad volutabrum cœni relapſi, tunicas noſtras conſpurcemus.

Manuum ornamenta ſunt palmæ. Arborem hanc ſola poſſidet *Arbuſto palmarum dives Idume*, unde *Idumæas* Maro vocavit. Unde & *civitatis palmarum* meminit Moſes. *Deut.* 34. *v.* 3. Victoriæ hæc ſymbolum: tum quia ſemper viret, *Pſ.* 92. *v.* 13. tum quia oneri impoſito non cedit, nec deprimitur; ſed contra aſſurgit, quam rationem dedit Plutarchus, *Sympoſ. lib.* 8. *cap.* 4. quod non de creſcente palma, ſed de lignis ac trabibus ex ea fabricatis capiendum eſſe docuit Gatakerus, cujus verba deſcripſit Suicerus *in theſauro eccleſiaſtico*, voce φοῖνιξ. Ideoque Cæſari victoria Pharſalica ante pugnam prædicta eſt, quod Palma enata eſſet Trallibus, ad baſin ſtatuæ ejus, in æde Victoriæ. *Plin. lib.* 17. *cap.* 25. *Plut. in Cæſ.* Hoc ſigno ornati fideles, quia victores, imo plusquam victores. *Rom.* 8. *v.* 37. Quod nobis contra hoſtes quoscunque animum addit, & ad certamina alacrius ſubeunda incitamentum.

Certandum eſt, nulli veniunt ſine Marte triumphi.

Atque hæc quidem Johannes vidit: ſequitur

quitur quid porro audiverit. Audivit autem quædam ab hominibus, quædam ab Angelis.

Circa homines audimus proferendi modum; & verba prolata. Proferendi modus eſt in voce non ſubmiſſa, qualis hominum timidorum, ſeſe humiliantium, deprecationes enim loquitur pauper. *Prov. cap.* 18. *v.* 23. Sed alta, κράζοντες φωνῇ μεγάλῃ, qualis vincentium, ἐπινίκιον canentium, *vid. Exod.* 32. *v.* 17, 18. Revera enim regnum Dei non eſt cibus & potus; ſed juſtitia, pax, gaudium per Spiritum ſanctum. *Rom.* 14. *v.* 17. Quo ſpiritu ita agitantur, ut memores beneficiorum Dei, ſint inſtar Elihu, qui ſic erumpit. Job. 32. v. 18, 19, 20. *Plenus ſum ſermonibus, coarctat me ſpiritus ventris mei. Ecce venter meus ut vinum, cui non aperitur, ſicut utres novi ſinderetur. Eloquar, ut reſpiratio ſit mihi, aperiens labia mea reſpondebo.* Et Poëta:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Verba celebrant tum beneficium, tum ejus caufam. Beneficium eſt non car-

nale, ut olim liberatio ex Ægypto, introductio in Cananæam.

Sed *ζωτηρία*, Salus, quæ in liberatione a malis, & bonorum poſſeſſione conſiſtit, Hæc fidelium propria eſt. Hinc μακαρισμοὶ. *Matth.* 5. *Pſal.* 1. *&* 112. *&* 119. *&c.* quod & beneficia, quæ Deus illis conceſſit, docent: ſcil: doctrina hujus ſalutis, quo ſenſu ζωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστί. *Joh.* 4. *v.* 22. Nam ex Sione prodiit lex ſive doctrina. *Jeſ.* 2. *v.* 3. Chriſto in domo Zachæi euangelium prædicante, vere dictum eſt: ὅτι σήμερον ζωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ ἐγένετο. *Luc.* 19. *v.* 9. Item ad Deum converſio, *Rom.* 10. *v.* 1. ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν Θεὸν, ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ ἐστιν εἰς ζωτηρίαν. *& cap.* 11. *v.* 11. ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν. Sic & juſtificatio. *Rom.* 4. *v.* 6, 7, 8. & ſanctificatio. *Tit.* 3. *v.* 5. ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου. Præterea reſpectu futuri Spe *ſalvati* ſunt. *Rom.* 8. *v.* 24. Hoc quidem mundo eſt παράδοξον, cui pii ſunt περικαθάρματα, καὶ περίψημα. 1. *Cor.* 4. *v.* 13. Deo autem & ipſis aliter videtur, quod eventus ſuo tempore docebit. Hanc ergo ſalutem

affecte-

affectemus. Quæ etiam in hac vita, quoad initia, acquiri poteſt, quo ſenſu non ſatis vere cecinit ille:

——— Scilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaque funera debet.

Cauſa hujus ſalutis notatur hic primo prima & ſecundo prima. Primo prima eſt θεὸς καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου. quomodo & deſcribitur, *Jeſ.* 66. *v.* 1. Recte Beza addidit præpoſitionem Á, ne cui ſcrupulus objiciatur, quaſi ſalutem Deo precentur, qui econtrario illum unum agnoſcunt ſalutis, quam conſequuti ſunt, auctorem, ut hoc in loco uſurpetur tertius caſus, uti apud Hebræos cum ל poſſeſſivo, ut *Pſal.* 3. *v.* 6. הישועה ליהוה & *Jon.* 2. *v.* 9. ישועתה ליהוה *Domino ipſa ſalus*, id eſt, Dominus proprie ſalutis auctor. Ut ubique מזמור לדוד *Pſalmus Davidis*, ſc: auctoris.

A Déo ſolo omnis ſalus petenda, expectanda. Cum enim ipſe ſibi ſit αὐτάρκης, idem eſt παναρκής. Non tamen

hæc ſalus omnium eſt; ſed eorum quorum & Deus eſt (ἡμῶν,) cum quibus fœdus gratiæ percuſſit, atque hinc elegit, vocavit, juſtificavit, ſanctificavit.

Cauſa ſecundo prima δευτεροπρώτη, non ſeniores, aut animalia, ſed agnus, id eſt, Mediator Jeſus Chriſtus, de ἀναλογία ſupra dictum eſt. Hic eſt fons ille vitæ qui apud Deum, *Pſ.* 36. *v.* 10. Neque eſt in alio quoquam ſalus, neque aliud nomen datum eſt ſub cœlo, per quod oporteat nos ſervari. *Act.* 4. *v.* 12.

Hæc quidem ab hominibus audita ſunt, nunc angelos porro audiamus. Eorumque conſideremus primo perſonas, deinde verba. Perſonarum natura aut proprie hic capi poteſt pro beatis illis ſpiritibus miniſtratoriis, qui etiam in cœlo gaudent propter reſipiſcentiam unius peccatoris, *Luc.* 15. *v.* 7. *&* 10. quanto magis propter beneficia in totam eccleſiam collata, quæ & ipſi penitius introſpicere deſiderarunt. 1. *Pet* 1. *v.* 12. Aut improprie pro miniſtris euangelii, ut analogia ſupra poſita docet. Nam & hi ex animo lætantes Deum laudant propter eccle-

eccleſiæ incrementum. Johannes Baptiſta, ſponſi amicus, vocem ejus audiens, gaudet. *Joh.* 3. *v.* 29. Phariſæi indignati ſunt propter vocationem publicanorum, *Lucas.* Non ita Apoſtoli, quibus volupe fuit videre propagationem eccleſiæ etiam inter gentes. *Actor.* 11. 18.

Horum miniſterium tum ex quantitate, tum ex qualitate deſcribitur. In quantitate non eorum pars aliqua hic agit, quod alia pars non agat, aut aliud agat; Sed omnes ſimul: ut in hoc opere concordiam ſuam oſtendant. Ecce quam bonum & quam jucundum fratres habitare in unum. *Pſ.* 133. Nunc autem, proh dolor! fratrum quoque gratia rara eſt. Hypocritis noſtris ſolenne eſt

Pacem orare manu, prætendere puppibus arma.

Quæris de pace eccleſiæ? Audies illud Regis Jehu: Quid tibi cum pace? tranſi & ſequere me. 2. *Reg.* 9. Sic inſutilis Chriſti tunica miſere laceratur per Διοτρεφεῖς φιλοπρωτεύοντας qui & viros & mulierculas peccatis onuſtas, captivas ducunt. Nec enim eccleſia reformata eſt

ſine Antichriſto. Qui multi ſunt. 1. *Joh.* 4. Ut & pſeudo-prophetæ.

Ceterum angelorum qualitas loco & actionis modo circumſcribitur. Locus triplex eſt: primus Regis, thronus nimirum, cui inſidet Deus & agnus: ſecundus eſt viginti quatuor ſeniorum, repræſentantium miniſtros eccleſiæ in terris militantis, hi enim πρεσβυτέρων nomine paſſim veniunt, qui & Epiſcopi. *Act.* 20. *v.* 17. *&* 28. ἀντίτυπον viginti quatuor claſſium, in quas David diſtribuit ſacerdotes in tabernaculo & templo militantes, ſive miniſterium obeuntes. 1. *Chron.* 24. *&* 25. Tertius eſt quatuor animalium, eccleſiam electorum & redemtorum indicantium ſimul cum ſenioribus, ſic enim canunt: *Apoc.* 5. *v.* 9. *&* 10. *Mactatus es & redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum, ex omni tribu & lingua, & populo, & natione. Et feciſti nos Deo noſtro Reges & ſacerdotes, & regnabimus in terra.* Quia autem Angeli circumſtant, & quaſi circo concludunt illa loca: figuratur nobis miniſterium Angelorum, quibus Deus vult uti circa hæredes ſalutis futuros. *Heb.*

Hebr. 1. *v.* 14. Hi enim caſtra metantur circa timentes Deum, eosque ex anguſtiis eripiunt. *Pſalm* 34. *v.* 8. Non quaſi Deus his miniſtris indigeat, ſed ut oſtendat, quanto apud ſe in precio ſint electi, quibus tam inſignes aſſignat ſatellites, quibus tandem in gloria erunt ſimiles.

Si vero hæc de angelis paſtoribus capere malis, indicabunt horum vigilantiam, qui excubant pro animabus tanquam rationem reddituri. *Hebr.* 13. *v.* 17. Hæc enim eis cura incumbit, hæc neceſſitas, ut inſtent εὐκαίρως, ἀκαίρως, ne quo modo, cum aliis prædicarint, ipſi rejectanei ſint. 1. *Cor.* 9. *v.* 27.

Modus actionis eſt tum in ſitu corporis externo, tum in adoratione ipſa. Situm quod attinet, nec ſtabant, nec ſedebant, ſed procubuerunt in faciem, quod quidem de ſpiritibus Angelicis, non niſi per metaphoram capi poteſt, ut in viſione Jeſaiæ, *cap.* 6. de hominibus autem & eccleſiæ miniſtris ſi capias, docent reverentiam in actionibus religioſis, externis etiam geſtibus exhibendam, Ut fecerunt Abraham. *Gen.* 17: 3.

Jacobus,

Jacobus, *Hebr.* 11. *v:* 21. Moſes. *Exod:* 33. *v:* 8. *&c.* In novo teſt: Chriſtus, *Joh.* 11. *v:* 4. *Matt:* 14. *v:* 19. *&* 26. *v:* 39. *&c.* Quamvis enim in externis illis geſtibus hiſtrionicis & Phariſaicis vera religio non conſiſtat, ſi animus non adſit: tamen & externos motus corporis ad excitandam tum in nobis tum in aliis religionem utiles eſſe nemo negabit. Adoratio ipſa προσκύνησις facta non coram ſenioribus, aut animalibus, ſed coram throno, & Deo, throno inſidente, docet quem ſolum adorare oporteat, contra idololatras, qui hunc honorem rebus etiam creatis tribuere ſolent. Verba horum Angelorum teſtimonium approbationis, & ipſum carmen exhibent. Approbationis teſtimonium eſt in voce *Amen*, ejusque repetitione, ubi prius orationem præcedentem, poſterius ſequentem reſpicit. Vox hæc ſolennis eccleſiæ, reſpondentis ad ea quæ probabat, ut *Deut:* 27. quod deinceps & veteres Chriſtianos factitaſſe docet Paulus. 1. *Cor:* 14. *v:* 16. Atque hinc & Apoſtolicis epiſtolis adſcribi cœpit, quia eccleſiæ his lectis ſic reſpondebant.

Car-

Carmen. ipſum ea quæ Agno tributa ſunt *cap*: 12. hic eadem tribuit Deo, ut Agni divinitatem oſtendat, quem tamen Deum ſuum vocant Angeli, ut in fide beneficia Dei nobis applicante, orare diſcamus.

Quæ autem Deo & agno tribuuntur, hic, ut & *cap*: 5. *v*: 12. numero ſeptenario continentur. Ubi primum & ſummum eſt εὐλογία, quæ eſt agnitio & celebratio beneficiorum Dei, ut ſanctificatio nominis ejus in oratione Dominica. Sic Paulus, *Eph*: 1. *v*: 3. εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ εὐλογήσας ἡμᾶς ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ. &c. Sequitur δόξα, quæ ſummam majeſtatem & independentiam notat, unde Deus אל כבוד *Pſalm* 29. *v*: 1. & Chriſtus Rex gloriæ. *Pſalm* 24.

In operibus porro divinis hic occurrit ϛοφία, non illa humana quæ ratione & experientia colligi ſolet, ſæpe interim fallitur. ποῦ ϛοφός; 1. *Cor*: 1. *v*: 20. Sed αὐτοσοφία ipſius Dei. Qui μόνος ϛοφὸς. 1. *Tim*. 1. *v*: 7. & Filius Dei, חכמות ſumma ſapientia. *Prov*: 1. & 8. Specialius occurrit agnitio operum gratiæ & juſtitiæ divinæ.

Gratia

Gratia ore per εὐχαριστίαν, pro qua *cap.* 5. *v*: 12. eſt πλοῦτος, agnoſcitur: corde vero per τιμὴν, qua Deus & agnus præ omnibus æſtimantur, adeo ut ſi quis daret totam ſubſtantiam domus ſuæ pro hoc amore, plane contemneretur. *Cant*: 8. *v*: 7. Juſtitia tum exercendi jure & facultate, δύναμιν, qua poteſt facere quicquid vult, tum ejus exercitio ἰσχὺν, quo tanquam אל גבור illud quod vult potentiſſime exequitur, hic abſolvi docetur. Atque hæc ut earum magnitudinem videamus, non ad momentum, aut diem, aut annum, ſed in ſecula ſeculorum. Sic ſcilicet ipſi Angeli Deum propter beneficia in eccleſiam collata laudant, cujus rei ſpecimen edebant in ipſis Servatoris noſtri natalibus, *Luc*: 2. *v*: 13, 14. nec deinceps huic muneri ſuo defuerunt: Hoc magis nos homines decet, quia non Angelorum, ſed noſtri cauſa hæc omnia facta ſunt. Ut hymnis euchariſticis præivit David. *Pſalm* 103. *&* 118. *&c.*

Atque hactenus Johannes ἀποκάλυψιν ſuam in hac tertia ſigilli ſexti viſione narravit: ſequitur colloquium ſuper ea

cum

cum uno ex ſenioribus habitum, hoc autem examine quodam, ejusque exegeſi conſtat.

Examen quæſtione & reſponſione abſolvitur. In quæſtione notanda quærens, quæſtionis modus, ejusque argumentum. *Quærens*, Non Johannes, neque etiam Angelorum aliquis aut animalium, ſed unus ex prebyteris, quo nomine ecclesiæ militantis miniſtros deſignari ante dictum eſt. *Quærendi modus* ἀπεκρίθη, reſpondit: non ad quæſtionem aliquam præcedentem, ſed ut Hebr. ענה dicitur de eo qui ſermonem aliquem incipit, ſic *Matth*: 11. *v*: 25. item *cap*: 17. *v*: 4. & *cap*: 28. *v*. 5. ubi prævenientes ἀποκριθῆναι dicuntur.

Argumentum quæſtionis, quæ & unde turba illa? Proponitur a ſeniore non diſcendi ſed docendi occaſionem captante. Sic Philippus *Act*: 8. *v*: 30. Ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; Et Chriſtus tentans quæſivit, ipſe ſciens quid facturus eſſet. *Joh*: 6. *v*: 6. Ita ad docendum parati ſint eccleſiæ doctores, monente Paulo, 1. Tim: 4. *v*: 13, 14. *Intentus eſto lectioni*, *exhor-*

exhortationi, doctrinæ, ne negligito donum quod in te eſt, quod datum tibi eſt per prophetiam, cum impoſitione manuum preſbyterii. Ideoque ſe nutrici comparat, 1. Theſſ: 2. v: 7, 8. *Fuimus manſueti in medio veſtri, ut ſi nutrix foveret liberos ſuos, & ita cupidi veſtri, gratum nobis erat impertiri vobis, non ſolum Euangelium Dei, ſed etiam noſtras ipſorum animas, quod chari nobis eſſetis.* v: 11. comparat ſe *Patri.* Ut & *Gal:* 4. *v:* 19. Hic enim liberis theſauros colligit, 2. *Cor:* 12. *v:* 14. Quod & paſtoris emblema ὑπαυνίτῃ. Quo nomine indigni ſunt, qui aut ex ignorantia, aut pigritia, aut denique metu potentiorum, vel faſtu, officium hoc tam ſerio mandatum quovis modo effugere conantur. Hæc agant quibus hoc agendum incumbit. Ratio οἰκονομίας Domino reddenda eſt. Legat libros ſcripturæ, conſcientiæ, eccleſiæ.

Ad hanc quæſtionem Johannes, ſed rogatus, reſpondet: ubi poſt alloquium eſt ignorantiæ confeſſio. Alloquitur Seniorem honorifice: κύριε. Non ἱερωνικῶς, ut *Martial: lib:* 5: *epigr.* 58:

Cum

Cum voco te Dominum, noli tibi, Cinna, placere:
Sæpe etiam ſervum ſic reſaluto meum.

Sed honoris cauſa; hoc enim nomine & Prophetæ ſalutabantur, ut Eliſa ab Hierichuntinis. 2. *Reg.* 2. *v.* 19. a Sunamitide. *ibid. cap.* 4. *v.* 16. 28. a filiis Prophetarum, *ibid. cap.* 6. ſic vocati ſunt videntes, Patres, viri Dei, & male ceſſit pueris virum Dei ridentibus. 2. *Reg.* 2. Nec repugnat Chriſtus *Matth.* 23. *v.* 8, 9, 10. prohibens titulum Patris, magiſtri, Rabbi; Non enim uſum ſed abuſum damnat, qui ſane magnus inter faſtuoſos Judæorum doctores cum contemtu aliorum non tolerando.

Confitetur ignorantiam Johannes non directe, ſed oblique, officium docendi in ſeniorem, ſcientem ſcilicet, rejiciens φιλομάθειαν ſuam oſtendit: quod quidem ſtudium omnibus hominibus innatum, homini Chriſtiano imprimis circa fidei myſteria cognoſcenda proprium eſt, quod ex orationibus eorum manifeſtum eſt. Pſalm. 25. v. 4. *Semitas tuas, Jehova, notas fac mihi, vias tuas doce me.* Sic *Pſal.*

119. *v.* 33. *Pſalm* 86. *v.* 11. *Cant.* 8. *v.* 2. *Luc.* 11. *v.* 1. *Joh.* 4. *v.* 19, 20. Quia guſtarunt quod bonus ſit Dominus, ideo expetunt ſincerum illud lac ſermonis. 1. *Pet.* 2. *v.* 2, 3. Vah! illos ignorantiæ fratres, quibus fides implicita ſufficit, nec ad ſublimiora contendunt. *Diſcamus ea in terris, quorum ſcientia nobis perſeveret in cælis*, ut Hieronymus in prologo galeato ſcripſit. ἐὰν ἦς φιλομαθὴς, ἔσῃ καὶ πολυμαθὴς. Exegeſis porro hujus examinis a ſeniore inſtituitur, in qua multitudinis horum fidelium ſtatum luculenter exponit reſpectu temporis tam præteriti quam futuri. Quod ad tempus præteritum, enarrat ſtatum eorum afflictum & beatum. In afflicto ſtatu miſeriam quidem, ſed & ejus terminum in liberatione ponit. Miſeriæ hic eſt *qualitas* & quantitas. Qualitas voce θλίψεως exprimitur, metaphora a preſſura pedis a calceo, vel uvæ in torculari; notat imprimis perſecutiones, quibus pii ab hoſtibus veritatis affliguntur, *Act.* 11. *v.* 19. ἀπὸ τῆς θλίψεως τῆς γενομένης ἐπὶ Στεφάνῳ. & alibi paſſim. Quales perſecutiones pri-

mo

mo contra Chriſtianos ante excidium Hieroſolymitanum ; de his enim hic ſermo, excitatæ fuerunt a Judæis, *Act.* 6. & 7. item *cap.* 13. *v.* 50. & 14. *v*, 4. & 5. Deinde a gentilibus imprimis Romanis Imperatoribus, Claudio. *Act.* 18. *v.* 2. Nerone, ſub quo Petrus & Paulus martyrio coronati dicuntur. Adi Sueton. *in Claud. cap.* 25. & Nerone. *cap.* 16. & in eos commentarium *Clar. Pitiſci* noſtri. His autem temporibus Apocalypſin a Johanne ſcriptam putamus, ut ante jam diximus.

Quantitas hujus afflictionis non dicitur τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως, ut 2. *Cor.* 4. *v.* 17. Sed μεγάλη, πολλαὶ dicuntur *Act.* 14. *v.* 22. Sic *Pſ.* 34. *v.* 20. adde 2. *Tim.* 3. *v.* 11, 12. Hoc enim modo Deus exercet ſuorum fidem & patientiam. tentando, ut in Abrahamo. *Gen.* 22. paterne caſtigando, ut in Davide. 2. *Sam.* 12. Sæpe & martyrio eos coronando, ut in Stephano. *Act.* 7. Tales hi, & omnes de quibus hoc Chriſtus enuntiat, Matt. 5. v. 10. *Beati quos perſequuntur homines juſtitiæ cauſa: quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Ne tamen ſibi quis imaginetur

quasvis afflictiones eſſe ſalutares; ſunt enim quædam quibusvis hominibus communes, quæ recitantur, *Gen.* 3. *v.* 16. Sunt & calamitates accerſitæ peccato, ut lepra Gehazi, Mirjam, Uzziæ. Has in hunc cenſum non redigimus: Sed eas quas patiuntur Chriſtiani, ut Chriſtiani. 1. *Pet.* 4. *v.* 16. Hoc modo imagini Chriſti conformandi. *Rom.* 8. *v.* 29. Fruſtra ergo perpetua felicitas veræ eccleſiæ nota ſtatuitur. Quam abſurde membra deliciis affluerent, ubi caput ſpinis coronatum eſt? Ut ſi jungere velit

Humano capiti cervicem pictor equinam.

Hæc exempla patientiam nobis præſcribunt, ut leve hoc onus fiat, ſi bene feratur. Dabit Deus his quoque finem.

Terminus hujus afflictionis eſt *in liberatione duplici*, ſcil. ab afflictionibus, & a peccatis. De priori dicitur quod ſint ἐρχόμενοι ἐκ τῆς θλίψεως. Ex his fluctibus tandem emergunt pii. Poſt nubila Phœbus. Liberantur Iſraëlitæ ex Ægypto, Judæi ex captivitate Babylonica. Daniel ex antro leonum. David e manu Saulis. Hoc argumento animus in adverſis robo-

roborandus eſt: In altera liberatione notatur beneficium, quod laverint & dealbarint ſtolas ſuas, de quo ſupra dictum, ſed & cauſa additur, non aqua, quæ opinio gentilium ut *in ſyntagmate de luſtrationibus*, *cap.* 16. probamus; neque etiam nitrum aut ſmegma, de quibus, *Jer.* 2. *v.* 22. ſed ſanguis agni. Quomodo? ſanguis enim non lavat, non album ſed rubrum potius colorem inducit. Verum hoc loco conſiderandum eſt, totam hanc multitudinem ſacerdotalem eſſe, quia v. 15. dicuntur *die ac nocte miniſtrare Deo in templo ſuo*: analogia ergo ſit oportet inter ſacerdotes Leviticos, & hos Chriſtianos. Sicut enim Aharoni & filiis ejus ad ſacerdotale munus vocatis, eique inaugurandis dabantur quidem veſtes lineæ mundæ; nefas tamen illis erat accedere ad altare, aut in tabernaculo ſacris operari, niſi & ipſis & veſtibus antea ſanguine conſperſis, ut videre eſt, *Exod.* 29. *v.* 21. *Lev.* 8. *v.* 30. Sic etiam Chriſtiani tanquam ſacerdotes ſpirituales ſub novo teſtamento veſtiuntur quidem talaribus mundis & dealbatis, ſed adſper-

ſis ſanguine Jeſu Chriſti, agni immaculati. Hoc enim peccata noſtra eluuntur. 1.*Joh.* 1. *v.* 7. *Hebr.* 1. *v.* 3. Cum enim pleniſſime pro peccatis noſtris ſatisfecerit, nulla jam condemnatio illis qui ſunt in ipſo. Ut fruſtra aliud purgandi medium quæratur.

Beatus horum fidelium ſtatus deinceps deſcribitur, tum a loco, tum ab officio quo funguntur. Locus eſt non profanus, e. g. aula, unde plerumque exeundum eſt illis, qui pietati ſtudent. Sed ſacer, metaphora a ſacris Vet. teſtam. ſumta, pro ſtylo Prophetarum, qui, ſub typis ætati ſuæ congruentibus, rerum veritatem, quæ per Euangelium exhibita fuit, deſcribere ſolent. Sic pro converſione ad dominum, adſcenſum in Jeruſalem. *Jeſ.* 2. *v.* 3. Pro Dei adoratione, munerum omne genus oblationem. *Malach.* 1. *v.* 11. Pro ampliore ejus notitia, qua in regno Chriſti fideles donandi erant, ſomnia & viſiones ponunt. *Joël* 2. *v.* 28. Sic *Jeſ.* 19. *v.* 21, 23, 24.

Locus autem hic eſt vel interior, vel exterior. Interior, quaſi in adyto eſt thronus,

thronus, non tantum cœlum, ut *Jeſ.* 66. *v.* 1. ſed & templi ſanctuarium, ubi Deus ſupra arcam fœderis inter Cherubim ſedebat. *Exod.* 25. *v.* 22. 1. *Reg.* 22. *v.* 19. *Jeſ.* 6. *v.* 1. & 37. *v.* 16. *Pſalm* 80. *v.* 1. Ille qui ubique eſt, in cultu ceremoniali illo loco quæri voluit, ubi nominis ſui memoriam collocaverat: & in novo teſtamento ubi duo vel tres congregati ſunt in nomine ejus. Exterior vero locus templum eſt, non illud Hieroſolymitanum, quod jam ſolo æquatum, & ſi maxime adhuc ſtaret, nulli ex hac multitudine ex gentibus collecta, fas fuiſſet illud ingredi, aut in eo miniſterium obire. Verum eccleſia externa templum & domus Dei vocari ſolet. *Pſalm* 23. *v.* 4. 1. *Tim.* 3. *v.* 15. *Hebr.* 3. *v.* 6. Et alibi. Ratio in analogia eſt, ſive templum hoc architectonice, ſive œconomice contemplemur. In architectura, Templi Hieroſolymitani ἀρχιτέκτων primarius ipſe Deus, qui ſicut Moſi in monte ideam tabernaculi, omniumque ejus inſtrumentorum monſtraverat, *Exod.* 25. *v.* 9. Sic & Davidi rationem ædificandi templi

ſcripſerat. 1. *Chron.* 28. *v.* 19. Et poſt captivitatem Babylonicam vir ille cujus nomen eſt *Germen* ædificaturus dicitur templum Jehovæ. *Zachar.* 6. *v.* 12, 13. Quod de typo & de antitypo verum eſt. Qui enim ſpirituale hoc templum conſtruit Deus eſt. *Hebr.* 3. *v.* 4. Qui ad ædificationem templi primi uſus eſt miniſterio Salomonis, in ſecundo autem *Ezræ*, Zorobabelis, &c. Sed ad ſpirituale hoc templum, utitur miniſtris novi teſtamenti, unde Paulus ſe *architectum* vocat, in 1. *Corinth.* 3. *v.* 10. Ille ſapienter poſuit fundamentum, Chriſtum ſcilicet lapidem angularem, *Pſalm* 118. Petram, cui eccleſia ſuperſtructa eſt. *Matth.* 16. Sic totum ædificium congruenter coagmentatum creſcit ut ſit templum *ſanctum* Domino. *Epheſ.* 2. *v.* 20, 21. Templum non una conſtabat parte: Intima pars adytum erat, quo nulli intrare fas erat niſi ſoli Sacerdoti, idque ſemel tantum quotannis, nec ſine ſanguine, indicabat cœlum, locum eccleſiæ triumphantis, quo Sacerdos ille ſecundum ordinem Melchiſedeci cum proprio ſanguine ingreſſus

greſſus eſt, paraturus nobis locum. Deinde erat atrium ſanctum, locus Sacerdotum miniſtrantium, ſymbolum eccleſiæ electorum, regalis illius ſacerdotii. Adde aliud atrium notans eccleſiam externam quosvis nomen Chriſti profitentes admittens. Præter hæc atrium gentium admittendum eſſe negat *Clar. Vitringa*, tractatu vernaculo de templo quod vidit Ezechiel *part.* 2: *cap.* 2. Utinam vero modus ædificationis templi primi obſervaretur in eccleſia! teſtatur ſacer ſcriptor 1. *Reg.* 6, *v:* 7. tantum fuiſſe ſilentium, ut neque mallei, neque ſecuris, neque ullum inſtrumentum ferreum auditum ſit in illa domo cum ædificaretur. Nunc vero quanti clamores, contentiones? quod ſi alii alios mordetis, & exeditis, videte ne viciſſim alii ab aliis conſumamini. *Gal:* 5. *v:* 15.

Nunc œconomiam ſpectemus. Caput & οἰκοδεσπότης Chriſtus eſt, qui ſuos habet οἰκονόμους, qualis Moſes fidelis in domo hac, *Hebr.* 3. tales Prophetæ, & Sacerdotes ſub veteri οἰκονομίᾳ: in nova vero Apoſtoli, Euangeliſtæ, Paſtores, Do-

ctores, qui verbo Dei, tanquam norma miniſterii ſui utentes, omnis generis incolas, ex omnibus gentibus congregatos, ut *Pſalm* 87. prædictum, gubernant, ut omnia εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν adminiſtrentur, curant, tanquam rationem Domino reddituri: habentes claves regni cœlorum. Exulet hinc confuſio enthuſiaſtica, exulet tyrannis hierarchica, exulet falſitas hæretica. Multi ſolo templi nomine ſine re ſuperbiunt. Faciunt favos & veſpæ, faciunt eccleſias & Marcionitæ, inquit Tertullianus, *lib. 4. adv. Marcion. cap.* 5. Templum primum vaſtatum a Nebucadnezare, ſecundum a Tito Veſpaſiano: Spirituale hoc ne a portis quidem inferni deſtrui poteſt.

Officium quo fideles in templo *hoc* funguntur tum a qualitate, tum a quantitate deſcribitur. Qualitas in λατρείᾳ conſiſtit, non illa carnali, ſecundum elementa hujus mundi; totum enim hoc ceremoniarum choragium una cum templo Judaico ſepultum. Sed λογικῇ. *Rom.* 12. *v.* 1. Deus enim ſpiritus cum ſit, ſpirituali etiam cultu gaudet. *Joh.* 4. *v.* 24.

Qualis

Qualis quidem erat & ſub veteri teſtamento, cum alias Deo placere non potuiſſet: ſed pro ratione ætatis infantilis, ſub ſpiritu ſervitutis, quo nunc ſublato, in ætate virili, eccleſia ſpiritu adoptionis exultat. *Rom.* 8. *v.* 15. Carnales ergo jam hoſtias offerre, quales, & quidem propitiatoriæ, finguntur in Miſſa, injuria eſt non tantum in unicum ſacrificium Chriſti ſemel peractum, ſed etiam in privilegia eccleſiæ novi teſtamenti, quæ hoc modo ad infantiam redigitur, hæc enim nullum ſacrificium propitiatorium, poſt illud Chriſti, agnoſcit, cum nulla amplius ſuperſit ſanguinis effuſio, ſine qua nulla eſt remiſſio peccatorum.

Nullus denique ſub novo teſtamento ſuper eſt ordo ſacerdotalis præter illum ſpiritualem. Non Aharonicus, hic enim deſiit: Non Melchiſedecianus, qualis ſolus eſt Jeſus Chriſtus, *Hebr.* 7. in æternum. Operam dent omnes Chriſtiani, ut hoc modo Deum colant ſpiritualiter. Hic enim cultus longe nobiliſſimus, animam, nobiliorem partem, Deo conſecrans, qui & hanc præcipue reſpicit. *Perſ. ſat.* 2.

Quin

Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago?
Compoſitum jus faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis; & incoctum generoſo pectus honeſto.
Hæc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

Abſque hoc vana eſt omnis religio, confeſſio, vana ſacramenta, ipſa externa opera nil niſi folia ſine fructu, ut in maledicta ficu. *Marc*: 11. *v*: 13. Hoc ergo ſpiritualiter agamus. Sicut victima a reliquo grege ſegregabatur. *Lev*: 27. *v*: 32, 33. *Exod*: 12. *v*: 5, 6. Sic & nos a mundi inquinamentis ſegregandi. Sacrificaturi ad Sacerdotem accedebant & altare: aliis non bene ceſſit, ut Uzziæ Regis exemplum docet. 2. *Chron*: 26. Nobis per fidem ad Jeſum Chriſtum unicum & ſacerdotem & altare accedendum eſt, nemo enim venit ad patrem niſi per eum. Sacrificia erant deſtruenda, nobis frangendus ſpiritus ut acceptus ſit Deo. *Pſalm* 51. *v*: 19. ſacrificium

um non alieno igni, ſed cœlitus demiſſo comburendum. *Lev.* 9. *&* 10. Noſtra corda Spiritu ſancto inflammanda. Fumus & nidor ex altari in cœlum adſcendit, ſic noſtra confeſſio & celebratio Dei. *Pſalm* 116. *v.* 12, 13, 14. &c.

Quantitas hujus cultus in continuatione temporis eſt, non aut die, aut nocte: Non ſtatis ac feſtis anni temporibus: Non in ἐφημερίᾳ a Davide deſcripta: ſed interdiu & noctu. i. continuo. ut *Pſal:* 1. *v:* 2. Hoc enim quovis tempore piorum opus eſt. Quia Deus illis ſemper præ oculis eſt. *Pſalm* 16. *v:* 8. Non quaſi ſuperſtitioſe agendum ſit inſtar Euchetarum & Meſſalianorum, aut horæ canonicæ monachales obſervandæ: ſed ſicut ignis in altari ſemper ardebat, abſente etiam ſacrificio: ſic cor noſtrum ſemper ad cultum hunc ſit diſpoſitum, etiamſi, pro tempore, actus non exhibeatur.

Hactenus de præſenti, audiamus quid ſenior hic de futuro concionetur: cujus pars quædam eſt de hac, pars de futura vita. In hac vita eſt beneficiorum collatio, & malorum à-

ver-

verruncatio. Beneficii notatur objectum, illi ipſi ſcilicet quos videbat Johannes, multitudo illa ex quavis gente collecta. Ipſa autem beneficii natura originem ejus oſtendit, Non angelum, aut aliquem ex ſenioribus: ſed καθήμενον ἐπὶ τοῦ θρόνου. Hinc enim eſt fons vitæ, lucis, ſalutis. Hæc prima cauſa, finis ultimus. A & Ω. Actio ipſa eſt σκήνωσις. non qualis λόγου in carne manifeſtati, qui ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Joh: 1. v: 14. *tabernaculum poſuit in nobis*, *vel inter nos*, ſed hic jam glorificatus in hoc throno eſt: ſed metaphora ſumta a tentorio, aliove umbraculo, quo vis radiorum ſolarium arcetur, ne quem feriant, cui uſui ricinus inſerviebat Jonæ, *cap*: 4. *v*: 5, 6. Itaque templum hoc novum non caruit שכינה adeoque majus fuit templo ſecundo poſt captivitatem Babylonicam ædificato, cui præter alia, etiam σκήνωσις defuiſſe dicitur. Hoc autem modo Deus protegere ſolet eccleſiam, juxta promiſſionem, Jeſ. 4. v. 4. 5. *Creabitque Jehova ſuper unum quodque habitaculum montis Sionis, & ſuper convocationes ejus, nubem interdiu ſu-*

fumumque , & ſplendorem , ignemque flammantem noctu , nam ſuper totam gloriam erit protectio. Cujus protectionis tugurium erit umbraculo interdiu ab æſtu , & receptui atque latibulo ab inundatione ; & a pluvia. Et *Pſalmo* 91. Deus ala ſua protecturus eccleſiam , tanquam clypeus & parma ſtatuitur, ut plaga non appropinquet ἐν τῷ ζκλωνώματι. v: 10. ideoque *Rupi* aſſimilatur, non tantum propter immobilitatem, & uſum refugii, ſed etiam propter umbram in æſtu. *Jeſ.* 32. *v.* 2. *Erit vir tanquam abſconſio a vento, & latibulum ab inundatione, ut rivi aquarum in arido loco , ut umbra petræ ingentis in terra feſſa ex ſiti.* Fruſtra ergo laborant portæ inferorum : Credentibus autem tutiſſimum eſt ad hoc umbraculum refugium.

In Malorum averuncatione tum ipſa mala, tum deum Averruncum ſive ἀποτρόπαιον videbimus. In malis alluditur ad Jeſ. 49. v. 10. *Non eſurient, neque ſitient, neque feriet eos æſtus aut ſol, nam qui miſeretur eorum ducet eos , & ſecundum ſcaturigines aquarum deducet eos.* Sunt autem ea tum interna , tum externa. In internis

& ma-

& malum & ejus averſio notatur. Malum eſt fames & ſitis: non corporalis, ut fames Samariæ. 2. *Reg.* 6. Sitis Hagaris. *Gen.* 21. *v.* 15. Simſonis. *Jud.* 16. Sed ſpiritualis, de qua Chriſtus loquitur Samaritidi. *Ioh.* 4. *v.* 14. Ejus averſio per λιτότητα, ὐ, ὐδὲ, exprimitur, ut contraria ſatietas facile intelligatur, ut Pſalm 23. *v.* 1. *Non egebo*, i. omnibus abundabo. Deus enim abunde deſiderio ſuorum ſatisfacere ſolet, nec inſtar avari Domini *ſervorum ventres modio caſtigat iniquo*, ſed liberaliter admodum ſuos excipit, quod convivii emblemate ſcriptura exprimit. *Pſalm* 36. *v.* 9. & 65. *v.* 5. *Ieſ.* 25. *v.* 6. *Ier.* 31. *v.* 12, 13, 14. Queruntur quidem aliquando de inopia, quia ſenſu gratiæ Dei ad tempus deſtituuntur, quæ ipſa ſitis caſtigatio eſt paterna, non tamen deficient. Qua autem copia impii inebriantur non ex cœleſti gratiæ theſauro eſt, ſed terreſtri, quem tandem evoment.

Studeamus ut participes horum beneficiorum ſimus. Offert Deus nectar & ambroſiam, offert βασιλικῶς, præſertim

ſub

ſub novo teſtamento. Ideoque edamus, bibamus. Hic illud valet ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι.

In externis malis itidem eorum naturam & averſionem notamus. Naturam in inſtrumento ejusque efficacia. Inſtrumentum eſt Sol, Non ille naturæ oculus, neque ſol Juſtitiæ Chriſtus, de quo ſupra. Sed ſol ille æſtu & calore nocens, qualis oritur Atlantibus, qui eum orientem execrantur. Talis in perſecutionibus apparet, explicante ita ſervatore, *Matth.* 13. *v.* 6. *&* 21. ſicut incommoda ſua exaggerant murmurantes *ibid. cap.* 20. *v.* 12. quod onus diei & æſtum portaverint. Ideoque & hic πᾶν καῦμα ut ſolis effectum additur.

Efficacia non in ſplendore eſt, aut obfuſcatione de qua inquit Sponſa: Cant. 1. v. 6. *Ne reſpiciatis ad me, quod ſim ſubnigra, quod contuitus ſit me Sol.* Sed caſus, qui impetum & vehementiam notat. Sicut Sol percuſſit caput Jonæ, *cap.* 4. v. 8. adeo ut deficeret animo, mortemque optaret. Quomodo & montes cadere dicuntur, *Apoc.* 6. & ſomnus cecidit in Adamum. *Gen.* 2. *v.* 22. Sic poſt

folia arbores cadere a Plauto cum dicuntur, gravitatem quandam notant. Horum autem malorum negatio, non omnimodam ablationem, nunquam enim ſine perſecutionibus & adverſis erit eccleſia, ſed eorum moderationem ac mitigationem promittit.

Nunquam enim Deus tentat ſuos ſupra id quod poſſunt, ſed una cum tentatione præſtat exitum, ut ferre poſſiat. 1. *Cor.* 10. *v.* 13. Scit enim ipſe quid ſuorum ferre recuſent, quid valeant humeri.

Nunc ἀποτροπαίους videamus. Eorum prior nominatur Chriſtus, alter Deus ipſe. Chriſtus ſub emblemate Agni, qui eſt in medio throni, ubi jam ante ipſum contemplati ſumus. Beneficia ejus duo ſunt, prius eſuriei opponitur: *paſcet eos.* Agnorum paſtor Agnus, quia nobis per omnia ſimilis, excepto peccato, ut poſſet eſſe miſericors pontifex. Paſtoris emblema tanto jucundius eſt, quia paſtoritiam exercuerunt patriarchæ, imo & Reges, ut David: & hi ποιμένες λαῶν ab Homero dicuntur. Ipſa vox ad officium alludit, q. ὀιμλὼ, ab ὄϊς, ovis

&

& μῶ, ζητῶ, quare Chriſtus eo nomine ſæpiſſime indigitatur, in vet. teſt: *Jeſ.* 40. *v.* 11. *Pſalm* 23. *Ezech.* 34. *v.* 23. *Zach.* 13. *v.* 7. & in novo teſtamento: *Job.* 10. *v.* 11. 14. 1. *Pet.* 2. *v.* 25. *Hebr.* 13. *v.* 25. analogia autem ſuaviſſima eſt. Sicut enim Paſtor non ſeipſum ovibus obtrudit, ſed a domino conſtituitur, ut Jacob a Labane: Sic & Chriſtus non ſumſit ſibi hunc honorem, ut fieret Pontifex, ſed vocatus eſt a Deo, ut Aharon. *Hebr.* 5. *v.* 4, 5. Nam homo non poteſt recipere quicquam niſi datum ei fuerit e cœlo. *Job.* 3. *v.* 27. Paſtor oves habet ſibi commendatas quas ſummo ſtudio curat, ut Jacobus, Gen. 31. *v.* 39, 40. *Diſcerptam pecudem non retuli ad te, ego luebam, de manu meą repoſcebas illam: furto mihi ſublatam interdiu, furtoque mihi ſublatam noctu. Fui cum interdiu abſumeret me æſtus, & gelu noctu, profugeretque ſomnus meus ab oculis meis.* Chriſtus autem infinitos animi corporisque labores ſuſtinuit: poſuit animam ſuam pro ovibus, *Joh.* 10. Paſtor cibum & potum præbet, defendit, pedo dirigit; eodem modo Paſtor Chri-

ſtus. *Pſalm* 23. Paſtor mercedem expectat. *Prov.* 27. *v.* 26, 27. Et Chriſtus gloriam. *Jeſ.* 53. *v.* 10, 11, 12. *Hebr.* 12. *v.* 2. *Phil.* 2. *v.* 9, 10. 11. Alios paſtores non agnoſcimus: ad hunc confugiamus: quia eſt ποιμὴν ὁ καλὸς; qui paſcit non in deſerto, ſed inter lilia. *Cant.* 2. *v.* 16. Audiamus vocem ejus. *Joh.cap.* 10. *v.* 4, 5. 26, 27.

Alterum beneficium ſiti oppoſitum eſt. In quo occurrunt fontes, & rivi. Fontes quidem multitudinis numero dicuntur propter abundantiam aquarum ex hoc fonte profluentium: Hic autem Chriſtus eſt, fons ille vitæ, qui apud Deum eſt. *Pſalm* 36. *v.* 10. *Joh.* 1. *v.* 1. Analogia elegans eſt: Fons principium *eſt*, non oritur aliunde, ſed rivus ex eo; ſic Chriſtus ἄναρχος καὶ ἀναίτιος. erat jam in principio. *Joh.* 1. *v.* 1. Et ab eo omnia pendent, ut pote per eum facta. Fons ſimplex, limpidus, vitro ſplendidiorem Blanduſiam Horatius cecinit: ut mare vitreum, cryſtallo ſimile. *Apoc.* 4. *v.* 6. Chriſtus ſimpliciſſimus in natura quidem divina, Spiritus omnis compoſitionis expers; Humana autem ſanctiſſima,

Luc.

Luc. 1. *v.* 36. *Joh.* 8. *v.* 46. In ipſo etiam officio mediatorio ſanctus, ſine vitio, ſine labe. *Hebr.* 7. *v.* 25. Fons non exhauritur. In Chriſto inhabitat omnis plenitudo. *Col.* 1. *v.* 19. unde fluvius ille Dei aquis plenus *Pſalm* 65. *v.* 10.

Labitur & labetur in omne volubilis avum.

Fons non tam ſibi, quam aliis aquas ſuppeditat, imprimis ſitientibus. Sic & Chriſtus ſuis, quos ad bibendum invitat. *Jeſ.* 55. *v.* 1. *Apoc.* 22 *v.* 17. Gratis aquas præbet, qui bibit non ſitiet unquam. *Joh.* 4. *v.* 14. Quis niſi ſtolidus malit ſibi ciſternas fodere, quam ex hoc fonte bibere? qui largiſſime, imprimis ſub novo teſt. fluit. *Joh.* 7. *v.* 37. Fluit autem non ubique, ſed originem habet ſub limine templi. *Ezech.* 47. Verbo euangelii invitante. Hinc de quatuor Euangeliſtis, tanquam quatuor fluminibus paradiſi, olim cantatum:

Paradiſus hic rigatur,
Viret, floret, fœcundatur,
His abundat, his lætatur
Quatuor fluminibus.
Fons eſt Chriſtus, hi ſunt rivi,

Fons eſt altus, hi proclivi,
Vt ſaporem fontis vivi
Miniſtrent fidelibus.

Rivus ex hoc fonte promanans, eſt quidem aqua, non autem vulgaris, ſed viva, quia vivit & vivere facit, unde ſalutis fons dicitur, unde hæ aquæ hauriuntur. *Ieſ.* 12. *v.* 3. Hæ autem Spiritus Sancti dona denotant. Unde aqua & Spiritus junguntur. *Ioh.* 3. *v.* 4. & *Ieſ.* 44. *v.* 3. *Ioh.* 7. *v.* 37, 38, 39. Recte ἄριστον μὲν ὕδωρ. Aqua generationis principium. Ovid. 1. metam.

Namque ubi temperiem ſumſere humorque, calorque,
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.

Spiritus initio incubabat aquis, avis inſtar eas fovens: ſed idem vitam ſpiritualem infundit, *Ioh.* 3. *v.* 5. ideoque aquæ ſymbolo in baptiſmo repræſentatur. Hinc Tertullianus, de baptiſ. cap. 3. *Primus liquor quod viveret edidit, ne mirum ſit in baptiſmo, ſi aquæ animare credantur.* Aquas purgatrices eſſe quis neſcit? imo album colorem inducere fluvium Clitumnum,

mnum, idonei teſtantur autores. Quod & de Crathide fluvio ſcripſit Ælianus, *de animal. lib.* 12. *cap.* 36. Animam autem purgat Spiritus S. 1. *Corinth.* 6. *v.* 11. *Ieſ.* 4. *v.* 4. Similis eſt fertilitatis ratio in promiſſionibus propheticis. *Jeſ.* 44. *v.* 3, 4. *&* 55. *v.* 10. Aquæ gutta cavat lapidem, imo & calculum frangere, eique mederi dicitur. *vid. Voſſ. de idolol. lib.* 2. *cap.* 72. Eadem Spiritus Sancti vis circa cordis humani duritiem ſe exerit. *Ezech.* 36. *v.* 25. Aqua feſſos recreat, quod in Simſone apparuit, *Iud.* 15. *v.* 19. & ſuffragio ſuo probavit Salomo, Prov. 25. v. 25. *Vt aquæ frigidæ erga animam feſſam, ſic &c.* Nec minoris efficaciæ ſunt conſolationes Spiritus S. per euangelium. Aqua denique non ſurſum, ſed deorſum fertur: Sic & Spiritus Sanctus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Iac.* 4. *v.* 6. Ne ergo hanc aquam nobis reddamus inutilem: ne fiat nobis aqua mortis, ſi Spiritum S. contriſtemus, dolore afficiamus, aut quocunque modo in eum peccemus: ſed avide hauriamus, namque hæc

Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.

Ut autem horum beneficiorum participes fiant fideles, cum per naturam hæc ignorent, ecce Agnus ſe offert ὁδηγὸν, ne errent. Sic *Hebr.* 12. *v.* 2. Ἀρχηγὸς ϗ τελειωτὴς τῆς πίστεως dicitur. Paſtor ille educit oves, vocat nominatim, antecedit. *Ioh.* 10. *v.* 3, 4. Hunc viæ Ducem ſequamur, ipſe enim eſt lux mundi, qui ſequitur illum in tenebris non ambulat. *Ioh.* 8. *v.* 12.

Alter averruncus ipſe Deus eſt, cujus beneficii & qualitas notatur, & quantitas. Qualitas miſeriam demonſtrat in lachrymis, doloris indicibus: tum propter peccata & propria, ut peccatricis, *Luc.* 7. *v.* 48. & Petri, *Matth.* 27. *v.* 75. & aliena, ut Davidis. *Pſalm* 119. *v.* 136. tum propter afflictiones & proprias, *Pſ.* 6. *v.* 7. & aliorum, ut *Ier.* 9. *v.* 1. Beneficii quantitas omnes has lachrymas, cujuscunque generis ſint, tollit, quod abſterſionis voce indicatur, ſic enim ſuos Deus conſolari ſolet, ut areſcant lachrymæ, illisque cum Davide canere liceat: *convertiſti planctum meum in choream mihi,*

Iob

ſolviſti cilicium meum, & accinxiſti me lætitia. Pſalm 30. v. 12. *Tempore veſpertino ecce terror: cum nondum illuxerit mane, nemo aderit.* Jeſ. 17. v. 14. Tales ſunt promiſſiones. *Jeſ.* 25. *v.* 8. *Apoc.* 21. *v.* 4.

Atque hic eſt ſtatus eccleſiæ novi teſtamenti in hac vita: unde colligere eſt quanta in futura vita beatitudo expectanda ſit, ubi ea, quibus ex parte hic fruimur, erunt perfectiſſima, etiam imprimis quod ad hoc poſtremum, Quod ſcilicet Deus abſterſurus ſit omnes lachrymas, ſuosque æterno gaudio coronaturus.

DISSERT. QUINTA,
Continens
Ini ſeptem ſigilla Apocalyptica Exercitationem tertiam.

Sigillum ſeptimum.

Oeconomia Moſaïca abolita tum propter Judæorum peccata, tum propter infirmitatem umbrarum legalium, quibus

corpus, & nova Eccleſiæ facies ſubſtituenda. Deus temporum Dominus. cœlum novum novi teſtam. Silentium Ethicum ex admiratione auditorum, & expectatione dicendorum. Patientia. Semihorii ζυνεκδοχὴ. Angelorum hic viſorum convenientia & differentia. Inferioris ordinis Angeli ſeptem. Deo apparent, ut miniſtri, ſed Dei. Tuba Euangelii. Singuli Angeli tubas habent. Hæ illis datæ. Superioris ordinis Angelus Chriſtus, qui hic ut Sacerdos conſpicitur. hujus gloria. Altare & thuribulum, duæ Chriſti ſacerdotii partes. In hujus nomine preces offerendæ. Ignis ſymbolum Spiritus S. ἀναλογία. *Fulmen prædicationis Euangelii. Terræ motus. Angelorum ſeptem clangentium conſtantia.*

SIGIL-

SIGILLUM SEPTIMUM.

Apoc. cap. VIII. v. 1-6.

1. Καὶ ὅτε ἤνοιξε τὴν σφραγῖδα τὴν ἑβδόμην, ἐγένετο σιγὴ ἐν τῷ οὐρανῷ ὡς ἡμιώριον.

2. Καὶ εἶδον τοὺς ἑπτὰ ἀγγέλους, οἳ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἑστήκασι. Καὶ ἐδόθησαν αὐτοῖς ἑπτὰ σάλπιγγες.

3. Καὶ ἄλλος ἄγγελος ἦλθε, καὶ ἐστάθη ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, ἔχων λιβανωτὸν χρυσοῦν. Καὶ ἐδόθη αὐτῷ θυμιάματα πολλά, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων πάντων, ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν τὸ ἐνώπιον τοῦ θρόνου.

4. Καὶ ἀνέβη ὁ καπνὸς τῶν θυμιαμάτων ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων, ἐκ χειρὸς τοῦ ἀγγέλου, ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.

5. Καὶ εἴληφεν ὁ ἄγγελος τὸν λιβανωτόν, καὶ ἐγέμισεν αὐτὸν ἐκ τοῦ πυρὸς τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἔβαλεν εἰς τὴν γῆν. Καὶ ἐγένοντο φωναί, καὶ βρονταὶ καὶ ἀστραπαί, καὶ σεισμός.

6. Καὶ οἱ ἑπτὰ ἄγγελοι ἔχοντες τὰς ἑπτὰ σάλπιγγας, ἡτοίμασαν ἑαυτοὺς ἵνα σαλπίσωσι.

1. *Porro cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo, ferme per ſemihorium.*

2. *Et vidi ſeptem illos angelos, qui adſtant in conſpectu Dei, quibus datæ ſunt ſeptem tubæ.*

3. *Tum*

3. *Tum alius angelus venit, & ſtetit apud aram, habens thuribulum aureum: & dati ſunt ei ſuffitus multi, ut offerret cum precibus ſanctorum omnium, ſuper altare aureum quod eſt ante thronum.*

4. *Aſcendit autem fumus ſuffituum cum precibus ſanctorum e manu angeli ad conſpectum Dei.*

5. *Deinde accepit angelus thuribulum, & implevit illud ex igne altaris, abjecitque in terram: & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus.*

6. *Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparaverunt ſe ut clangerent,*

Recte Apoſtolus, 2. Cor: 5. v: 17. *Vetera præterierunt, ecce nova facta ſunt omnia.* Oeconomia enim Moſaica plane abolita. In republica Judæorum, juxta vaticinia, *Dan:* 9. *Matth:* 24. *Luc:* 19. peccata Judæorum tanta erant, ut, notante Joſepho, *de bello Iud: lib:* 6. *cap:* 16. ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devoranda fuiſſet civitas, aut diluvio peritura, aut fulminum ac Sodomæ incendia paſſura. In eccleſia autem οἰκονομίας mutatio inſtituta eſt propter

pter novum fœdus a Deo promiſſum. *Ier.* 31. *Hebr.* 8. Nec erat in umbratilibus illis ulla vis Deum placandi, qui ſicut ad tempus διορθώσεως illa inſtituerat, ita quotannis, imo quotidie eadem repeti, & peccatorum ἀνάμνησιν fieri volebat, ut oſtenderet non poſſe hæc ſacrificia tranquillare conſcientiam, ſed reſpiciendum eſſe per fidem in Chriſtum, qui harum umbrarum corpus, & legis eſt complementum. Hinc nova facta ſunt omnia. Nova Hieroſolyma, *Gal.* 4. hoc eſt, nova eccleſiæ & οἰκονομίας facies. Hanc e cœlo deſcendentem vidit Johannes, *Apoc.* 21. novum cœlum & nova terra, *Ieſ.* 66. *v.* 17. *Apoc.* 21. *v.* 1. Vetera hactenus vidimus in excidio Hieroſolymitano, obſcuratione ſolis & lunæ, cœli convolutione, de hinc in ſtatu eccleſiæ tum ex Judæis, tum ex gentibus vocatæ, in tribus illis ſigilli ſexti viſionibus. Nunc nova videamus in ſigillo ſeptimo, ubi notabis tum ſilentium, tum viſa a Johanne in illo ſilentio.

Circa ſilentium adſcribitur & tempus & locus. Tempus eſt poſt apertum ſigillum

gillum ſeptimum. Unumquodque ſigillum apertionis ſuæ tempus habuit: ſeptimum ſuo ordine ſequitur. Deus etiam temporum Deus eſt, &

Pondere, menſura, numero Deus omnia fecit.

Fruſtra quis illum in ordinem redigat. Tempus autem & rationem novit animus ſapientis. *Eccl*: 8. *v*. 5. Hoc enim omnium rerum eſt primum. Prudentis eſt Deum ſequi, neque illi obniti. *Tempera te temperi.* Imo *tempore tempora tempera.* Locus eſt cœlum, non hoc phyſicum, ubi ſumma quies, nulla vox, nullus clamor; perpetuum ibi ſilentium, adeoque non obſervandum extra ordinem: Sed metaphoricum cœlum in terris, Eccleſia, non illa vet: teſtam: hoc enim cœlum præteriit, ſed novum, quale ſub Novo teſtamento pingitur, quia eſt e cœlo deſcendens. *Apoc*: 21. *v*: 2. Civium πολίτευμα in cœlis. *Phil*: 3. *v*; 20. Totum regimen non ex hoc mundo, ſed cœleſte. *Joh*: 18. *v*: 36. Regnum cœlorum. Conſummatio in cœlis, ubi Jeſus Chriſtus cum illis, quibus locum paravit,

paravit, glorificandus, *Joh.* 14. *v.* 3. Exulant hinc κοσμοπολίται, & οὐρανοβατοῦντες. Veri autem Chriſtiani, in hoc cœlo verſantes, in hoc atrio ſe parent, ut tanquam candidati æternitatis, ſuo etiam tempore, in triclinium admittantur.

Silentium ipſum hic non ſane phyſicum quale in mutis, neque extra ordinem & miraculoſum, quale in Zacharia patre Joh: Baptiſtæ. *Luc*: 1. multo minus ſuperſtitioſum, ut apud gentiles fida ſilentia ſacris (nec tantum εὐφημισμὸς, ſed ipſa taciturnitas) quale & veteribus Pattalorinchitis, & hodiernis Carthuſianis obſervatum. Sed ethicum, ortum vel ex admiratione eorum quæ audivimus, ſic Jobus de ſe prædicat, cap: 29. v: 21, 22, 23. *Mihi auſcultantes expectabant, & conticeſcebant ad conſilium meum. Poſt verbum meum non iterabant, ita ſuper eos ſtillabat ſermo meus. Expectabant enim tanquam pluviam me, & os ſuum diſtendebant, ut ad pluviam ſerotinam.* Auditores Petri, narrantis converſionem Cornelii centurionis & familiæ ejus, quieverunt & glorificarunt Deum. *Act*: 11. *v*: 18. Et Pauli

reſtantis

teſtantis ſuam etiam ad martyrium promtitudinem. *Act*: 21. *v*: 14. Vel ortum ex dicendorum expectatione, quare apud oratores

Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Majeſtate manus.

Quod ſibi contigiſſe narrat Jobus, *cap*: 29. *v*: 9, 10, 11. *Principes continebant ſermones, & manum imponebant ori ſuo. Eloquentes anteceſſores occultabant ſe, eorumque lingua palato eorum adhærebat. Nam auris audiens beatum prædicabat me.* Paulus orationem ad populum habiturus, manu ſilentium poſtulavit, & impetravit. *Act*: 21. *v*: 40. *&* 22. *v*: 2. Sic apud Virgilium *Æneid*: 1. in populari ſeditione

Tum pietate gravem, & meritis ſi forte
virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectisque auribus adſtant.

Et in convivio Didonis, 2. *Æneid*: Ænea jam dicturo

Conticuere omnes intentique ora tenebant.

Iterum, 10. *Æneid*: Jove dicturo,

Deum domus alta ſileſcit,
Et tremefacta ſolo tellus, ſilet arduus æther;
Tum Zephyri poſuere, premit placida æquora pontus.

Qua-

Qualis ἐχεμυθία Pythagoræorum, qui dum ἀκουστικοὶ eſſent, ſilentium religioſe obſervabant. Nec minus pii animam ſuam in ſilentio, ſpe, patientia poſſidentes, ut Aharon cœlitus percuſſis filiis ſuis, *Lev:* 10. *v:* 3. David. 2. *Sam:* 15. *v:* 25, 26. *&* 16. *v:* 10. Qui & ſic monet Pſalm 37:7. *Acquieſce Iehovæ, & expecta eum.*

Longitudo hujus ſilentii non fuit quinquennalis, quod ſuis νεοφύτοις injunxit Pythagoras: non annorum triginta, quos ſuperſtitioſe obſervaſſe legitur Theon in vitis patrum: non ſeptem dierum & noctium, ut amicorum Jobi, *cap:* 2. *v:* 13. Sed per *ſemihorium*, quod ζυνεκδοχικῶς parvum tempus denotat, ut & *hora*, Matt. 26. v:40. & Apoc: 17. v: 12. *Auctoritatem tanquam Reges* ad unam horam *accipient cum beſtia*, & cap: 18. v: 10, 11, 12. *una hora* vaſtationi Babyloniæ adſignatur.

Deus enim certum tempus exercitio patientiæ ſuorum determinavit. Nubecula eſt cito tranſiens. Non tentantur ultra vires. 1. *Cor:* 10. *v:* 13.

Viſorum a Johanne in hoc ſilentio

convenientia quædam eſt, tum in nomine tum in officio Angelico, qualem in principio viſionis ſecundæ ſigilli ſexti vidimus inter quatuor Angelos tenentes quatuor ventos, & unum illum Angelum habentem ſigillum Dei vivi: talis eſt & hic inter hos ſeptem; & unum alium Angelum. Differentia autem longe maxima eſt. Sunt enim hi ſeptem *ordinis inferioris*, ſuperioris autem alius *ille*. In ordine inferiori, perſonas, earumque conditionem videmus. Perſonarum officium angelicum eſt, non quali funguntur ſpiritus illi miniſtratorii, intuentes faciem Dei, ſed miniſtrorum eccleſiæ in terra militantis, ut ſupra, *ad cap*: 6. *v*: 1. deſcripſimus. Numerus occurrit, non ſingularis, qualis eſt Angeli ordinis ſuperioris, qui unus & ſolus *mediator* eſt, nec ſocium admittit; non quaternarius, ut *cap*: 6. *v*: 1. pro quatuor cœli regionibus, & ventis: ſed ſeptenarius, ut *Apoc*: 1. qui quidem pro numero incerto, ſufficienti tamen ponitur, ut *ad v*: 1. *cap*: 6. notabamus.

Horum ſtatus eſt in agendo, & in patien-

tiendo. In Actione excellentia cum humilitate jungitur. Excellentia eſt quod apparent, non hominibus quamvis ſublimibus, ut Regibus, ſed ipſi Deo, ut Elias dicebat. 1. Reg. 18. v. 15. *Vivit Jehova exercituum, coram quo adſto.*

Humilitas in apparitionis modo eſt; non enim ſedent, quod honoris cauſa Salomo matri conceſſit. 1. *Reg.* 2. *v.* 19. & judicum eſt pro tribunali ſedentium. *Conſedere Duces.* Ovid. metam. 13. Sed ſtant, quod ſervorum eſt. 1. *Reg.* 10. *v.* 5. ut & *Statii* dicebantur. Diſcant hinc miniſtri ſuam ὑπεροχὴν, & ſimul ταπείνωσιν. Sunt miniſtri non magiſtri, Johannes ſatis humiliter de ſe prædicabat, *Vox ſum, prætereaque nihil.* Sed tamen agnovit ſuam ὑπεροχὴν, dum in miniſterio verbi ne ipſi quidem cedit Herodi, quamvis Regi. Præclare Paulus, Si ſtudeo placere hominibus non ſum ſervus Chriſti. *Gal.* 1. *v.* 10. Quamvis, ſe gratia Dei eſſe quod erat, ſciret; tamen noluit ſe minorem haberi aliis. 1. *Cor.* 15. *v.* 10. Valeant ὑπερηφανεῖς, nimis ſe efferentes: Valeant Jeſabelis ſatellites, menſarum aſſeclæ, para-

raſiti, nimis ſe, cum dedecore miniſterii, demittentes. In patiendo hic occurrit donum, & ejus communicandi modus.

Donum eſt tuba, cujus quidem uſus eſt in bello, ex præcepto Dei, *Num.* 10. Ea uſos eſſe Iſraëlitas ſacræ literæ teſtantur. *Jud.* 3. *v.* 27. & *cap.* 7. 8. *Jer.* 6. *v.* 1. Sed & in feſtis aliisque congregationibus eccleſiaſticis, politicis, audita eſt tuba. *Pſalm* 89. *v.* 16. & 81. *v.* 4. In anno item Jubilæo. *Lev.* 25. *v.* 9. Sed hic, per metaphoram, tubam præconii Euangelici intelliges, cujus ſonus per totum terrarum orbem auditus eſt. Dum Apoſtoli, vocem ſuam, ut tubæ, efferentes annunciant annum vere Jubilæum. *Jeſ.* 58. *v.* 1. & 61. *v.* 2. Hoc miniſtrorum officium. *Jeſ.* 62. *v.* 3. *Super muros tuos urbs Hieroſolymorum præficio cuſtodes, toto die & tota nocte jugiter non tacituros: qui commemoratis Jehovam, ne eſto ſilentium vobis, & ne permittatis ſilentium eſſe de illo, donec ſtabiliat, & donec diſponat Hieroſolymis laudem in terra.* Erubeſcant muti, quibus bos in lingua vocem impedit, ne audiatur.

Num

Numerus tubarum, ſecundum numerum Angelorum eſt. Septem Angeli, ſeptem tubæ. Non una omnium communis. Sic ſolet Deus Angelos tubis inſtruere, hoc eſt, unumquemque Euangelii miniſtrum donis ad miniſterium neceſſariis ornare. Ut in vet: teſtamento egit cum Prophetis, Moſen in Ægyptum mittendum baculo ſuo confirmavit, Jeſaiam glorioſa viſione, ſic Jeremiam ſpeciali promiſſione. Poſtquam autem Jeſus noſter conſedit ad dextram patris ſui, miſit Spiritum S. & dedit dona hominibus, alios quidem Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Prophetas, alios Paſtores & Doctores, ad compactionem ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti, *Epheſ. 4. v. 11, 12.* Quam multos videmus, proh dolor! tubis non inſtructos, per artes Simoniacas non unius generis, miniſterium invadere: Alios tubis acceptis non clangere, ſed oneri ſe ſubducere, aut ex pigritia, ut ſervus ille talentum defodiens. *Matth. 25.* Aut ex metu mundano, aut denique ex ſuper-

bia. Egregia eſt illa Auguſtini ad monachos inſulæ Caprariæ admonitio: Epiſt. 81. *Vos autem, fratres, exhortamur in Domino, ut propoſitum veſtrum cuſtodiatis, & uſque in finem perſeveretis: At ſi qua operam veſtram mater eccleſia deſideraverit, nec elatione avida ſuſcipiatis, nec blandiente deſidia reſpuatis; ſed miti corde obtemperetis Deo, cum manſuetudine portantes eum qui vos regit, qui dirigit mites in judicio, qui docet manſuetos vias ſuas. Nec veſtrum otium neceſſitatibus eccleſiæ præponatis, cui parturienti ſi nulli boni miniſtrare vellent, quomodo naſceremini non inveniretis.* Demas amore præſentis ſeculi inductus Paulum deſeruit, 2. *Tim.* 4. *v.* 10. Calvinus teſtatur ſe otio literario deditum, vitaſſe onus miniſterii, donec non tam conſilio vel hortatu, quam formidabili Gulielmi Farelli obteſtatione eo adactus eſt. Hic enim incredibili zelo promovendi Euangelii flagrans, ubi vidit ſe rogando nihil apud Calvinum proficere, uſque ad execrationem deſcendit, ut Deus otio ejus malediceret, ſi ſe ferendis ſubſidiis in tanta neceſſitate ſubduceret. De Ammonio

monio aurem ſibi reſecante, ut ad miniſterium ineptus videretur, lege *Sozom. lib.* 6. *hiſt. Eccleſ. cap.* 30.

Tubæ autem Angelis communicatæ ſunt non per venditionem, quod quærebat Simon magus. *Actor.* 8. & virgines fatuæ. *Matth.* 25. Sed liberali donatione: quod & parabola de talentis ſatis indicat. Quod non tantum de extraordinariis χαρίσμασι verum eſt: ſed etiam de ordinariis, ut 1. *Tim.* 4. *v.* 14. ne Angelus de ſeipſo glorietur, ſed Deo omnia tranſſcribat, illique accepta referat. *Theſaurum hunc deponit Deus in vaſis teſtaceis, ut hujus potentiæ ſupereminentia ſit Dei, non ex nobis.* 2. Cor. 4. v. 7. *Quid habes quod non acceperis? ſi accepiſti quid gloriaris?* 1. Cor. 4. v. 7.

Nunc illum ſuperioris ordinis Angelum unicum centemplemur. Perſonæ ejus dignitas voce ἄλλος notatur. Alius enim eſt a reliquis ſeptem, non tantum numerice, ut ſic loquar, nam & ſic ſeptem illi inter ſe differunt, unus enim non eſt alius, ut nec Petrus eſt Paulus. Sed differentia hæc in longe excellentiori

tiori eſſentia conſiſtit, nec alius eſſe poteſt niſi Angelus faciei Jehovæ *Jeſ.* 63. *v.* 9. Angelus fœderis. *Mal.* 3. *v.* 1. In cujus medio nomen Dei eſt. *Exod.* 23. *v.* 20, 21. Hic angelus reliquis excellentior, quem alii adorant, cui Deus dixit: Filius meus es, hodie genui te. Ero tibi Pater, &c. Sede a dextris meis, &c. *Hebr.* 1. *v.* 4-14. Hæc dignitas clarius eluceſcet ſi porro actiones ejus hic intueamur: tanquam Sacerdos enim hic ad Deum accedit quod nulli alii fas: ut dicitur Jer. 30. v. 21. *Magnificus ejus ex ipſo erit, & dominator ejus ex medio ipſius prodibit, quem jubebo accedere ut appropinquet ad me: nam quis ille eſt qui ſpondeat cum animo ſuo ſe appropinquaturum ad me? dictum Jehovæ.*

Actiones hujus Sacerdotis ſunt 1. Præcedaneæ ante oblationem. 2. Oblatio ipſa. 3. Succedaneæ In præcedaneis occurrunt tum modus, tum inſtrumenta. Modus acceſſu & ſtatu abſolvitur. Acceſſus, (ἦλθε) non humilis, ut primus ejus adventus in carne: tum enim acceſſit ad homines, *venit ad ſuos.* *Joh.* 1: 11.

Neque

Neque glorioſus ille futurus in conſummatione ſeculi: tum enim apparebit non coram altari, ſed in nubibus. *Matth.* 25. *v.* 31. Throno inſidens. Sed hic adventus eſt in gloriam cœleſtem, in quam Jeſus Chriſtus ut mediator intravit.

Prædixerat ſe abiturum, ut locum nobis pararet, *Ioh.* 14. ſe relinquere mundum & vadere ad Patrem. *Ioh.* 16. *v.* 28. Hoc oraverat, Joh. 17. v. 5. *Glorifica me, ea gloria, quam habui apud te antequam mundus eſſet.* Hoc Pater promiſerat, ſi poſuiſſet animam ſuam piaculum, ipſum prolongaturum eſſe dies. *Ieſ.* 53. *v.* 10. poſtquam in via e torrente bibiſſet, caput elaturus erat. *Pſalm* 110. *v.* 7. Quæ in ſtatu humili meruerat, glorioſus ſuis applicaturus erat. Nam ut mediator non verſatur amplius in terris, nec mactatur in Miſſa, ſed gloria coronatus in cœlo eſt. Eo confugiamus & preces noſtras dirigamus; glorificatus jam multo efficacius exaudiet.

Status ſequitur: non enim hic ponitur ut ſedens aut ambulans, ſed ἐςάθη. qua ratione eum viderat Stephanus. *Act.* 7. *v.* 56.

7. v. 56. Ita ille qui ſervi formam induerat in humilitate, officium illud nondum in gloria depoſuit, ut ſecure nos ejus curæ committamus, cum adhuc tanquam patronus noſter, ſtans coram tribunali Patris, cauſam noſtram agat indeſinenter. *Hebr.* 7. v. 19.

Inſtrumentorum tum convenientia, tum differentia notanda eſt. Convenientia eſt in materia, quia utrumque non ex ligno aut lapide, ſed ex auro conſtat, metallo omnium pretioſiſſimo; nec enim aliud eſt quo Chriſti merita, infiniti valoris, ſupra aurum & argentum 1. *Pet.* 1. v. 18, 19. melius deſignari poſſent; pro quibus ſi quis daret totam domus ſuæ ſubſtantiam plane contemneretur. *Cant.* 8. v. 7. Differentia in uſu conſiſtit, unum enim eſt θυσιαστήριον, altare. Mactatis victimis offerendis deſtinatum, typus Chriſti, ut ſupra ad *cap.* 6. v. 9. fuſius demonſtratum. Alterum autem eſt λιβανωτὸν, thuribulum, quod Angelus ſibi habuit. Inſtrumentum ſanctum erat quo aromata & ſuffitus coram Deo in ſanctuarium ferebantur, in figuram precum

cum & gemituum piorum, dicente Davide, Pſ. 141. v. 2. *Statuatur oratio mea, ut ſuffitus coram te.* Chriſtus mediator & orat, & in ejus thuribulo orationes noſtræ offeruntur.

Hæc oblationem præcedunt: In ipſa autem oblatione doni pars principalis non eſt caro aut ſanguis alicujus animalis, ut in ſacrificiis veteris legis, neque ipſum corpus & ſanguis Mediatoris Jeſu Chriſti, quæ ipſe obtulit in cruce; ſacrificium propitiatorium iræ Dei placandæ. Sed θυμιάματα ſuffitus, ὀσμὴ εὐωδίας odor bonæ fragrantiæ ex oblatione & victima Deo grata. *Eph.* 5. *v.* 2. Quod ei datum eſt, non utique ab aliquo minore angelo, aut aliquo ex quatuor animalibus, ſed a majori, ſc: Deo qui eum conſtituit mediatorem. *Hebr.* 5. *v.* 4, 5. Cui accedit pars minus principalis, preces ſanctorum.

Non cœleſtium beatorum, quod optarent Pontificii: ſed omnium, etiam eorum ſcilicet qui in terris degunt, quorum cultus ſpiritualis, in fundendis precibus efficaciſſimus hic deſignatur, de

quo

quo ſupra, *ad cap.* 6. *v.* 15. egimus. Donum hoc tanquam ſacrificium offertur, non alicui ex angelis, aut ſenioribus, aut animalibus; Sed ipſi Deo: hujus enim throno Angelus hæc ſiſtit. Nec alii hic cultus ſine idololatria deferri poteſt, ex lege *Matth.* 4. *v.* 10. Offertur autem manu Angeli mediatoris. Preces in nomine Jeſu Mediatoris fundendæ. *Ioh.* 16. *v.* 23. Sic enim placent Deo. *Hebr.* 13. *v.* 21. Hunc enim diligit. *Matth.* 3. *&* 17. Huc ergo dona noſtra feramus, ut Deo grata ſint. Sicut autem Sacerdos Angelus offert: ſic a manu ejus fumus ſuffituum adſcendit, ut appareat Deo gratum eſſe hunc odorem, ſi inſtar firmæ columnæ in altum ſurgat, quomodo multi judicant teſtimonium perhibuiſſe Deum ſuper ſacrificio Abelis, ex quo hic collegit ſe & ſacrificium ſuum Deo placuiſſe, Saltem David orat ut oratio ſua תכון ſtatuatur, ubi 72. habent κατευθυνθήτω, *recta dirigatur* ad Deum. *Pſalm* 141. *v.* 2. Hic enim preces ſuorum exaudit, quia in nomine hujus Angeli funduntur. *Ioh.* 16. *v.* 23.

Suc

Succedant tandem actiones poſt oblationem ſuccedaneæ. Ubi actiones Angeli tum in cœlo, tum in terra; earumque conſequentia conſideranda ſunt. In cœlo reſpice thuribulum, id eſt, preces Chriſti, juxta promiſſionem, Joh. 14. v. 16. *Ergo rogabo patrem & alium advocatum dabit vobis*, hic exauditas: Inſtruitur enim thuribulum igne, non elementari, aut culinari: non igne terribili & conſumente, qualis ad preces Eliæ cœlitus demiſſus eſt. 2. *Reg.* 1. Sed igne Spiritus ſancti, tum quia ſumtus eſt ex altari, ſuper quod ἐμπυρισμὸς, externum Spiritus S. ſymbolum, & aram & munus ſanctificabat, *Matth*: 23. *v.* 20. quomodo & labia Jeſaiæ, vivo carbone ex altari ſumto, tetigit angelus. *Ieſ*: 6. Tum etiam quia thuribulo, Chriſti Mediatoris intercesſionem deſignanti, inditur. Nec inelegans ἀναλογία eſt inter ignem, ſacrum præſertim, & Spiritum S. Ignis enim ſacer erat θεοπετὴς, quo ſigno inaugurationem Aharonis probavit Deus: *Lev*: 9. *v.* 24. & ſacrificium Manoæ. *Iud.* 13. & Eliæ. 1. *Reg*: 18. Item Davidis.

1. *Chron*:

1. *Chron*. 21. *v*. 26. Sic Spiritus S. S
Dei eſt, & dona ejus cœlitus d
Act. 2. *v*. 2. Ignis ſacer maxima cu
rabatur a Sacerdotibus. *Lev*. 7. *v*. 5
ritus ſanctus impetratur a Sacerdo
ſtro Jeſu Chriſto. *Joh*. 14. *v* 16. Ign
lebatur hoſtiis quotidianis, matut
veſpertinis: Spiritus ſanctus precibu
ſtris. *Luc*. 11. *v*. 14. *Act*. 4. *v*. 31. &
v. 15. Ignis erat in altari illud ſan
cans: Spiritus *S*. in Jeſu Chriſto, altar
noſtro, cui datus eſt ſine menſura. *Joh*
3. Supra conſortes. *Pſalm* 45. Tanqua
columba venit & manſit ſuper eum. *Joh*
Matth. 3. *Iſ*. 61. *v*. 1. Ignis in altari co
ſumebat hoſtias, unde *Ariel*, *i*. *Leo* D
Iſ. 29. *v*. 1. Imo & hoſtes, ut filios A
haronis. *Lev*. 10. Spiritus *S*. Ignitos fec
Apoſtolos, ut fortiter, inſtar, Leonum a
gerent in prædicatione Euangelii: idem
conſumſit Ananiam & Sapphiram. *Act*
5. Ignis ſacer lucebat in monte Sin
Exod. 24. *v*. 17. In columna. *Num*. 9
v. 15, 16. In candelabro, *Exod*. 30. *v*. 7
8. in ipſo denique altari. Judæi, *in Pir*
ke ab. *cap*: 5: §: 5: inter templi prodig

numeran

...nerant, ...
in ſtrue lignorum, ...
columnam fumi. ...
manent perpet...
Joh. 14: v. 17. ...
Ignis quidem ...
bet, unde & ...
bus adhibitus eſt.

Verum ...
Deo inſt...
Spiritus ſ. ...
quod ...
Baptizabit ...
4: v. 4: ...
mentum eſt, ...
rodotum ...
Lebravit.

At lucernæ ...
Dona Spiritus ſ. ...
namentum, ...
v. 5: *Domui tuæ* ...
hova, in longitudinem ...
lo:

Terra autem, ... hoc eſt, ...
particeps horum ...

...ctu viſus
... ejuſque
quidem
...ur in occ...
terra der...
...eſerta, e...
...uem terræ
cap. 2. v...
..., *tum ego*
& mare &
... *gentes*, ...
...*n*, *& imp*...
...*va exercit*...
ſcilicet, ...
...elos, ſep...
...autem? ...
...ntium ...
...ut quam...
...inis deſc...
quæ vox...
...animique...
...omtitudi...
...tatem a...
...Iebræo ...
...e reſpon...
tanquam...

enim Angelus, inſtar Regis ſolenni die miſſilia projicientis, demiſit hunc ignem: glorificatus Jeſus noſter dedit Spiritum S. juxta dictum: *Si profectus fuero mittam eum ad vos*. Joh: 16: v: 7: & Actor: 2: v: 32: *Dextera Dei ſurſum ſublatus, & promiſſum Spiritum S. adeptus a Patre, effudit hoc quod vos nunc cernitis & auditis.* Sic Epheſ: 4. Conſequentia hujus actionis tandem videamus 1. in aëre, 2. in terra, 3. in cœlo. In Aëre generatim fiunt φωναὶ, quid φωνὴ (vid: clar: Græv: ad Heſiod: ἔργα v: 79:) niſi ὄνομα? ut intelligamus Deum, unumquemque ſuorum, non tantum noſſe, *Exod*: 33: *v*: 2: & 2: *Tim*: 2: *v*: 19: ſed etiam evocare. *Ioh*: 10: *v*: 3: Ne ſomniemus hic aliquem Ajum locutium, non fabellas Judaicas de בת קול ſed vocem Euangelii audiamus, pervadentem omnes terræ fines, quæ in ſpecie reſpectu auditus comparatur cum tonitru, quia Deus non tantum in monte Sina, in legis promulgatione illud adhibuit, ſed etiam in Euangelii miniſterio habuit Boanerges. *Marc*: 3: *v*: 17: Qui majori vi agebant, quam Pericles qui orationibus ſuis fulgurabat,

Græ-

Græciam miſcebat. Reſpectu viſus fuerunt ἀστραπαὶ, lumen verbi ejusque celeritatem indicantes, oritur quidem in oriente, ſed e veſtigio videtur in occidente. *Matth.* 24. *v.* 27. In terra denique σεισμὸς, quia terra Judæa deſerta, eccleſia ad gentes tranſlata. Quem terræ motum prædixerat Haggæus, cap. 2. v. 7, 8. *Adhuc ſemel, parum illud eſt, tum ego commoturus ſum cœlos, & terram & mare & ſiccum. Et commoturus ſum omnes gentes, ut veniant deſiderati omnium gentium, & impleturus domum hanc gloria, ait Jehova exercituum.* Tandem in cœlo, eccleſiæ ſcilicet, videmus eosdem ſeptem Angelos, ſeptem tubas jam tenentes. Quid autem? num & ipſi poſt hoc cœleſte ſilentium ſilent & otiantur? Imo vero agunt quam maxime. Actionis natura & finis deſcribitur. Ipſa actio eſt ἑτοιμασία. quæ vox non tantum præparationem, animique ac corporis ad agendum promtitudinem notat: ſed & animi firmitatem atque conſtantiam, quoniam & Hebræo כון apud LXXII. Interpretes fere reſpondet, & finis illius ἑτοιμασίας, qua tanquam cal-

ceo munitur a Paulo miles Chriſtianus, ſit ϛῆναι. *Epheſ.* 6. *v.* 14, 15. vid. clar. Bynæum, *de calc. Hebr. lib.* 1. *cap.* 5. ut talis vere ſit ἀπροσαλικὸς, Milonis inſtar Crotoniatæ, quem, cum conſtitiſſet, nemo veſtigio educebat, *Plin. lib.* 7. *cap.* 20. qualis fortitudo Cynægiri, apud Juſtinam *lib.* 2. *cap.* 9. & Glauconis apud Plutarchum *in parallelis*. Quæ & Catilinariorum militum pertinacia fuit. Tanta eſt Angelorum, hoc eſt, piorum novi teſtam. miniſtrorum conſtantia, ut Moſis inſtar ne ungulam quidem adverſariis concedant, nec vanis rumoribus, minis, promiſſionibus de ſtatu moveantur, ne cedant malis, ſed contra eant audentiores, muneris ſui ſanctiſſimi a Deo ipſis concrediti ἐν παῤῥησίᾳ conſcii. Finis eſt ϛαλπίζειν, *tuba clangere*, quod, ſicut hic, mandatum eſt *Jeſ.* 58. *v.* 1. quia tanquam vigiles ad alios excitandos & monendos conſtituti ſunt. *Ezech.* 3. *&* 33. Sic in eo apparet Dei O. M. benignitas, quod plagas ſuas terris immittere noluit, niſi prius præmonitis incolis; Sicut & ipſa hæc ſigilla propterea aper-

ta ſunt, ut βδέλυγμα illud ἐρημώσεως præ-nunciaretur Hieroſolymæ, ut ſupra ad capitis ſexti initium demonſtravimus.

DISSERT. SEXTA, De ultimo JESU CHRISTI paſchate.

Schiſma inter eccleſias Græcas & Latinas, de die celebrandi paſchatis, neutra ſententia ex S. literis probata. Græci traditione nituntur: Judæos imitari noluerunt, ſed invaleſcenti Papæ R. autoritati ſe oppoſuerunt. Creditur Jeſum Chriſtum luna XIV. *crucifixum. An Jeſus ante S. cœnam inſtitutam ultimum illud Paſcha comederit? ſententia Joh. Philoponi, & Bernardi Lamy. Lex Dei de ſervando die decimoquarto. Feſtum non prolatum in*

diem ſequentem. Traditionibus Rabbinicis fides non temere adhibenda. Phariſæi onus legis non levius ſed gravius potius reddiderunt. Nec Chriſtus anticipavit tanquam dominus legis: Nec paſcha per biduum mactatum eſt: neque ex uno die in alium tranſlatum. Novilunium non incertum. Dies azymorum duplex. Quæ πρώτη τῶν ἀζύμων; Supputatio horum dierum. Ritus paſchales. An Chriſtus poſt baptiſmum alia etiam feſta celebraverit? Locus Luc. 22. v. 15. *explicatus. Quare Jeſus juſſerit parari ea quæ ad paſcha celebrandum erant neceſſaria?*

GRaviſſimum fuit illud diſſidium, quod ex controverſia de tempore celebrandi paſchatis natum eſt inter eccleſias Græcas & Latinas; cum illæ lunam decimam quartam ſtricte obſervandam eſſe contenderent, unde & τεσσαρεσκαιδεκατῖται, ſive quartadecimani dicti ſunt:

ſunt: Hæ vero die dominico lunam decimam quartam ſequente, ne cum Judæis facere viderentur, feſtum illud celebrarent. Quæſtio ſane tanti momenti non erat, ut ex ea montes penderint, aut ut propter illam ſchiſma inter eccleſias, cætera unum ſentientes, inſtituendum eſſet: ipſis etiam Græcis libertatem unicuique eccleſiæ eſſe ſtatuentibus, ut pro ratione temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum, ex arbitrio, ſine aliarum præjudicio hoc agere poſſent. Neutra etiam pars ſententiam ſuam ex S. literis probabat, aut probare poterat: cum gratia Novi teſtamenti dierum diſcrimina ſuſtulerit, feſta, tanquam umbras ad ceremonias Veteris Teſt. ſpectantes, & per mortem Jeſu Chriſti abolitas, antiquaverit. Sed ad traditiones patrum confugientes Græci quidem Johannem, Latini autem Petrum & Paulum conſuetudinis ſuæ auctores laudabant. Nec mihi quidem Græci adeo culpandi videntur, quod non ſine ratione & pertinaciter, ſed potius fortiter & conſtanter moribus antiquis inhæſerint. Calumnia eſt,

 quod

quod hac in re Judæos imitari voluerint, qui ex lege divina ad illum diem decimumquartum primi menſis accuratiſſime obſervandum adſtricti erant: nec enim Græci hic ullam legem, ſed conſuetudinem a patribus traditam & acceptam allegabant: Neque etiam alia Judæorum feſta celebranda ſibi ſumſerunt, nec Moſem cum Chriſto conjunxerunt, ut illi qui eccleſias Apoſtolicas, in ipſis quaſi incunabulis, talibus dogmatis turbabant. Contra quos ipſi Apoſtoli in concilio Hieroſolymitano, *Act.* 15. & Paulus in epiſtola ad Galatas egerunt. Aliam hujus Græcorum conſtantiæ rationem eſſe cogitare licet. Videbant jam ſenſim ſine ſenſu, & in occulto emergens iniquitatis myſterium, & creſcentem Romani Epiſcopi auctoritatem eccleſiis gravem, quam ſuperbe oſtentavit Victor I. anathematis fulmine percutiens in hac quæſtione ſecus ſentientes. Ne ergo libertas ſua vel tantillum detrimenti caperet, hujus tyrannidi ſe opponere maluerunt, & ne ungulam quidem huic Pharaoni relinquere, quam ut ſua negligentia,

tia, aut intempeſtiva obedientia jugum intolerabilis ſervitutis eccleſiis ſuis imponerent. Scite Maro:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Cur autem ad legem Judæorum, quam abrogatam eſſe ſatis noverant, Græci recurrerent? cum domi, hoc eſt, in ipſa eccleſia Chriſtiana ratio ipſis non deeſſet, quæ eos ad hunc diem præ aliis eligendum movere poſſet. Credebant enim plurimi Jeſum Chriſtum, ſoſpitatorem noſtrum, eo ipſo tempore, luna ſcil. decima quarta, in crucem ſubſiliiſſe, in eaque mortuum eſſe, atque adeo typum illum agni paſchalis, tum in aliis, tum in ipſo temporis, quo mactandus erat, articulo, impleviſſe. Atque hinc alia exorta quæſtio eſt de ultimo Chriſti paſchate, an illud ante inſtitutam ſacram cœnam cum diſcipulis ſuis Chriſtus manducaverit, nec ne? qua de re cum diſſertationem Græcam *Joh. Philoponi*, Grammatici Alexandrini legerem, neſcio quomodo mihi negativa ad hanc quæſtionem reſponſio arriſerit: ideoque in eam paulo accurratius inquirere animus eſt.

Non ut eam invitis ſententiam obtrudam, ſed ut aliis doctioribus de ea amplius cogitandi & deliberandi anſa præbeatur.

In Gallia anno 1692. eadem ſententia a *Bernardo Lamy* S. Oratorii Presbytero, reclamante Harduino Jeſuita, defenſa eſt.

Palmarium autem pro ſententia hac paradoxa ab ipſo tempore petitur argumentum. Deus ſeveriſſima lege lunam decimam quartam menſis Niſan ſive Abib, mactationi agni paſchalis deſtinaverat. Nulli mortalium eam anticipare aut proferre fas erat. Si quis eo die, propter immunditiem ceremonialem, hæc ſacra celebrare non poſſet, aut quia certis de cauſis domo abeſſet, ex lege, *Numer.* 9. *v.* 11. menſe ſecundo, luna itidem decima quarta, huic religioni vacabat. Judæi hujus imprimis, ut & aliarum legum erant obſervantiſſimi. *Hi* autem, tempore paſſionis Chriſti paſcha comederunt eo ipſo die, quo Chriſtus noſter cruci affixus eſt: nec enim domum Pilati ingredi voluerunt, pollutionem veriti, qua a comedendo paſchate arcerentur, *Joh.* 18. *v.* 28. Ine-

Ineptum eſt hic excipere, Judæos diem hunc feſtum protuliſſe, atque adeo celebraſſe luna decima quinta, ne eo tempore duo dies feriati, paſcha & ſabbatum continuarentur, unde, cum manifeſto rei familiaris detrimento, ſolidum biduum ab opere faciendo abſtinendum eſſet: Jeſum vero cum diſcipulis pridie, ipſa ſcilicet luna decima quarta, die a Deo præſcripto, paſcha comediſſe.

Quicquid hic dicitur aut ſcribitur ſolo nititur teſtimonio hominis ex-judæi, Pauli de S. Maria, Carthaginenſis primo, deinde Burgenſis in Hiſpania Epiſcopi, qui anno 1429. floruiſſe dicitur. Hunc longus tum pontificiorum tum proteſtantium interpretum chorus ſecutus eſt, ut videre eſt apud Caſaubonum, ad annales Baronii, *exerc.* 15. *num.* 25. ſed omnes ſola illa Judæorum traditione pugnant, cui quantum fidei tribuendum ſit, res ipſa loquitur. Quid enim certi de rebus majorum ſuorum narrabunt miſeri verpuli? quibus, quæſo, nituntur fundamentis? poſt ultimum tem-

pli excidium, quæ illis, præter Veteris Teſt. divina volumina, literarum fide dignarum monumenta ſuperſunt? quæ in & ex Talmude Rabbini, imo & ille, qui inter eos fere ſolus non nugatur, Maimonides, propinant, quam ſunt incerta? quæ fortaſſe aliquando ex ipſis Chriſtianis didicerunt, dum ſuis infarciunt, patrios multis ritus tradere videntur his, qui in illis talia mirantur & colligunt, ac ſe inveniſſe putant myſteria, quæ revera non a patribus ſed a ſeris nepotibus acceperunt, adeoque quod pueri in faba, vix ſemiſſe æſtimanda.

Quid? an euangeliorum ſcriptores, imo ipſe Jeſus ſilentio tam alto iſtam Judæorum conſuetudinem præteriiſſet? annon illam ſuo ſuffragio aut probaſſent, aut improbaſſent? aliarum quidem, & levioris ponderis δευτερώσεων, quas Phariſæi præſertim obſervandas ſuſceperant, ſæpe mentionem injiciunt, etiam circa paſcha, qualis eſt facinoroſi incarcerati liberatio: hujus autem nec vola nec veſtigium tam in ſacris literis quam apud antiquiores ſcriptores tum Judæos tum

Chri-

Chriſtianos usquam apparet. An ergo Burgenſis hic recentior, contra totam antiquitatem, ſola ſua autoritate præſcribet?

Præterea hæc conſuetudo ipſi Judaicæ nationis genio valde repugnat. Tantum enim abeſt ut Dei legem, quamvis gravem, leviorem ſibi facere voluerint, atque adeo feſtos quosdam dies ex anno expungere; ut potius humanis ſuis inſtitutis, onus illud majus & gravius ſibi impoſuerint, ut hac ratione ſanctiores ſibi, aliisque viderentur. Quæ Pharisaica hypocriſis fuit. Cui individuo nexu adhæret ἐθελοθρησκεία, alios ſibi ex humano cerebro fingens cultus, ut aliqua ſaltem, quantumvis vana, ratione conſcientiam, vera conſolatione ex Chriſti ſanguine vacuam, tranquillet. Comederunt ergo Judæi paſcha luna decima quarta, die a Deo in lege præſcripto, & quo Jeſus noſter cruci affixus eſt.

Quid porro dicendum? Jeſum Chriſtum cum ſuis pridie ejus diei, id eſt, Luna decima tertia, paſcha celebraſſe? Atqui hoc contra expreſſam Dei legem eſt,

eſt, quam Jeſus noſter ad minimum usque ἰῶτα & κεραίαν diligentiſſime obſervavit. An putabis eum, tanquam Dominum legis, de ea diſpenſaſſe, ut fecit de ſabbato, *Matth.* 12. Dominus ſabbati? Atqui de ſabbato non diſpenſavit, ſed vera & legitima interpretatione, ſenſum legis de ſabbato demonſtravit, cum hoc ſit propter hominem, non *homo* propter ſabbatum. Quomodo & Maccabæi, *lib.* 1. *cap.* 2. eandem legem ſano ſenſu intellexerunt. Annon hoc facto Maximum Judæis ſcandalum præbuiſſet Servator noſter, adeoque juſtam quiritandi occaſionem, quod legem ſolennis hujus feſti proterve violaret? ſicut eum profanati ſabbati accuſarunt ſæpius.

Nec juvat κρησφύγετον illud, paſcha per ſolidum biduum celebratum eſſe: cum Sadducæi, traditionum negligentes, legi præciſe inhærerent, adeoque diem decimum quartum obſervarent; Phariſæi vero ex patrum præſcripto diem decimum quintum. Sacerdotes autem in hoc feſto miniſtrantes, quamvis plurimi ex Sadducæis eſſent, & Le-

vitas,

vitas, utroque die tum Phariſæis, tum Sadducæis poſcentibus operam ſuam accommodaſſe. Hæc enim mera conjectura eſt, ſolida ratione deſtituta. Quis enim credat, ex tam diverſa diverſi temporis obſervatione, non orituras fuiſſe acerbiores contentiones, inter ſectas tam diſſidentes, idque in feſto tam celebri & ſolenni? quin potius cum Sadducæi potiores in Sacerdotum ordine videri potuerint, *Act.* 5. *v.* 17. præciſe diem decimum quartum, & quidem ſolum obſervatum eſſe concludimus.

Ad hæc, cur hæc feſti ex uno die in alium tranſlatio in ſolo paſchate locum habuit, non item in aliis, ut pentecoſte, & σκηνοπηγία? cum & in his ſimilis ratio, feriarum ſcilicet concurſus, obtinere potuerit. Nam quæ de horum etiam tranſlatione tam aſtronomica quam politica præcipiuntur, omnia incerta itidem Magiſtrorum fide, & canonibus incertioribus ac poſt opus talmudicum confectis an confictis nituntur. Vid. Clar: Spanhemii introductionem in Chronologiam ſacram. *pag.* 33. 34. Bocharti Hieroz.

roz. *tom.* 1. *pag.* 562. Cocc. ad tract. Sanhed. *cap.* 1. *not.* 9.

Ecquid autem lucri faciebant, ſi in principio feſti ſollicite admodum caverent, ne duo dies feriati ſibi ſuccedentes operibus ordinariis tragulam injicerent, ſi in fine ejusdem feſti idem neceſſario accideret? Nam ſi maxime primus feſti dies in ſabbatum transferretur, ultimus certe cycli hebdomadarii dies tum in παρασκευὴν, ſive προσάββατον incidebat, ſabbato inſequente: ideoque in fine duo feriati dies, quos in principio evitare conati erant, concurrunt: ſeptimus enim feſti paſchalis dies ferias ab omnibus operibus exigebat, non minus quam primus. *Lev.* 23. *v.* 7, 8.

Hic vero ad dubium de luminaribus plerique confugiunt, quaſi dies celebrandi paſchatis incertus eſſet propter novilunium incertum. Adeoque ſicut Judæi novilunium per biduum continuant, propter ambiguam ejus notitiam, ſive ἐκ φάσεως, ſive ἐκ συνόδου: Sic idem in paſchate, quod ex novilunio ſupputandum, locum habere neceſſe ſit. Præterquam

enim

enim quod hoc incommodum alia etiam feſta urgeret; quis tali in caſu expectare malit legatos, in locis excelſis lunæ apparitionem avide an ſomniculoſe conſiderantes, de quibus videatur Cl. Leusdenus, *Philol. mixt. diſſert.* 37. & Houtingius, *ad tractat. Talmud. de principio anni. cap.* 1. §. 3. Quam mathematicos exactiſſime momenta temporum, ſine ullo errore ſupputantes? Ne agricolis quidem ac nautis ignotum eſt Lunam eſſe decimam quartam, quando luce plena Soli e regione oppoſita eſt; ut hoc occidente, illa oriatur: quanto minus hoc totam gentem, anxie talia curantem, & principum Sacerdotum & legis Doctorum turbam latere potuit? lege loca Abrabanelis deſcripta a *Cl. Houtingio* ad *cap.* 2. tractatus Talmudici de feſto novi anni. Nunc porro diem illius cœnæ, quam poſtremam cum ſuis diſcipulis Dominus Jeſus celebravit, & qua finita in Gethſemanem, paſſiones ſuas inchoaturus abiit, conſideremus.

Eam factam eſſe πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα diſerte affirmat Johannes, *cap.* 13. *v.* 1.

Diem

Diem hanc fuiſſe πρώτην τῶν ἀζύμων notarunt Matthæus, *cap.* 26. *v.* 17. Marcus, *cap.* 14. *v.* 12. Lucas autem, *cap.* 22. *v.* 7. ἦλθε ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων. Quod Johannes ἀοριστοτέρως dixit: πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, id Lucas verbo ἀορίστῳ expreſſit, ἦλθε. Preſſius vero reliqui duo: πρώτη τῶν ἀζύμων. Per ἄζυμα non intelligo diem decimum quintum menſis Niſan, qui erat poſtridie paſchatis, & proprie feſtum azymorum erat, ex lege Levit. 23. v. 6. *Die decimo quinto eſt feſtum azymorum.* Quo ſane die οὐκ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, *non oportebat mactari paſcha*, ſi quidem hæc ceremonia diei decimo quarto ſtrictiſſime erat alligata: Hic ergo dies XIV. latiori ſenſu etiam dies azymorum dictus, quia eo omne fermentum removendum erat ex ædibus, ut ita ipſum paſcha rite atque ordine celebrari poſſet, ut patet ex lege, *Exod.* 12. *v.* 15. Hic dies ἐμφατικῶς a Marco vocatur ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον. a Luca autem ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, quod de die decimo quinto cogitare nefas, ideoque de decimo quarto, huic mactationi agni paſchalis

ſchalis deſtinato, capiendum eſt. Atque hæc cauſa quare Joſephus, *antiq. lib.* 2. *cap.* 5. circa finem ſcribat, hoc feſtum azymorum per octo dies celebrari, cum alias lex, *Exod.* 12. *v.* 15. *lev.* 23. *v.* 6. ſeptem tantum illi adſignet.

Porro πρώτη τῶν ἀζύμων, non erit *prima azymorum* ut fere vertunt interpretes: ſed hæc retrorſum numeranda eſt, ut ſit *prima dies ante azyma*, ſive *pridie azymorum.* Loquendi hic modus Latinis frequentiſſimus, nec novi teſtamenti ſcriptoribus inuſitatus. Hoc modo Joh. Baptiſta de Jeſu Chriſto dixit: *Joh.* 1. *v.* 15. πρῶτός μου ἦν. *Prior me erat.* & Lucas, *cap.* 11. 2. de ἀπογραφῆ ſub Auguſto facta inquit: πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου. hoc eſt, *facta eſt antequam Cyrenius Præſes eſſet.* De quo loco videnda eſt accuratiſſima diſſertatio *Clar. Jacobi Perizonii*, amici noſtri plurimum honorandi.

Nunc ipſa temporis ratio nobis ineunda eſt. Initium ejus ſit a verbis Servatoris, *Matth.* 26. *v.* 2. οἴδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σταυρωθῆναι. Hæc dicta ſunt die

duodecimo menſis Niſan, die quem nos Mercurii vocamus, qui hujus bidui prior eſt. Sequitur alter, qui Jovis eſt, dies menſis decimus tertius, qui a Matthæo, *cap.* 26. *v.* 17. dicitur πρώτη τῶν ἀζύμων, a Marco, *cap.* 14. *v.* 12. πρώτη ἡμέρα τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον. Hoc eſt, non prima azymorum, ſed, ut dictum eſt, pridie azymorum latiori ſignificatione dictorum, quo ipſo die, ἐφίας γινομένης, ſacra cœna inſtituta eſt, *Matth.* 26. *v.* 20. *Marc.* 14. *v.* 17. qua finita Jeſus tranſiit Cedronem, atque in hortum Gethſemané ſe contulit. Succeſſit dies Veneris, ipſa dies qua ex lege mactandum erat paſcha, luna ſcilicet decima quarta, qua die inter duas veſperas, Chriſtus, agni paſchalis ἀντίτυπον, in cruce pro peccatis noſtris immolatus exſpiravit, ipſo temporis articulo, quo Judæis mactandum erat paſcha. En brevem hujus ſupputationis ὑποτύπωσιν:

Menſis Niſan, ſive Abib dies

XII. Dies Mercurii: Biduo ante paſcha.

XIII. Dies Jovis: πρώτη τῶν ἀζύμων, Pridie

die azymorum, late dictorum, quo die S. cœna inſtituta eſt.

XIV. Dies Veneris; παρασκευή. ipſum Paſcha, ἡμέρα ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, *Luc.* 23. *v.* 7. quo die Jeſus inter duas veſperas in cruce obiit.

XV, Dies Sabbati ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ſtricte dictorum, quo die paſcha mactari nefas.

Hinc jam luce meridiana clarius liquet Jeſum Chriſtum paſcha nec edere debuiſſe, quia tempus determinatum anticipare, niſi violata Dei lege, non licuit: nec potuiſſe, quia eo ipſo temporis articulo, quo agnus erat mactandus, ipſe, agnus Dei, noſtrum paſcha, peccata noſtra in cruce portavit, & luit, ad minimum usque apicem typum implens legalem.

Sunt & alia argumenta eandem ſententiam adſtruentia. Si enim ritus,, a Chriſto & diſcipulis in hac cœna adhibitos, conferamus cum illis quos in celebratione paſchatis præſcripſit Deus, *Exod.* 12. quam illi diſſimiles? In tota

hac hiſtoria cœnæ, non baculus, non lumbi accincti, non herbæ amaræ apparent. nec ſtantes, ſed accumbentes comederunt. Domo egreſſus Judas, egreſſus ipſe Jeſus, quod lege vetitum.

Atque hæc non in primo tantum paſchate, in Ægypto celebrato, ſed etiam in reliquis obſervanda quidem erant, ut tanto melius memoriam liberationis, ex acerbiſſima ſervitute Ægyptiaca, exprimerent, & ad poſteros propagarent, dicente legiſlatore: *Obſervate rem hanc, pro ſtatuto tibi* & filius tuis *usque in ſeculum*. Exod. 12. v. 24. Sed diuturna praxis Judæorum hæc deinceps neglexit dum ea minus neceſſaria judicant. Vid. Byn. *de Hebr. calc. lib.* 2. *cap.* 1. §. 8. In paſchate omnia fercula ex agno igne erant aſſata: in hac autem cœna etiam juſculum appoſitum, unde panis intinctus Judæ porrectus.

Quinetiam ipſa ratio miniſterii Jeſu Chriſti hoc exigere videtur. Quid enim? an neceſſarium erat ut Chriſtus, ad implendam legem, ipſum etiam paſcha immolaret? annon lex & prophetæ usque ad

Johan-

Johannem? a quo Jeſus baptizatus omnem juſtitiam legalem implevit. Inde regnum Dei euangelizatur, & filius hominis oſtendit ſe legis & ſabbati Dominum eſſe, ut paulatim evaneſcerent ceremoniæ. Neque usquam videtur poſt baptiſmum ſuum legalibus obſervationibus uſus data opera; ſed ut plurimum diſſimulanter ipſi conſuetudini cum ſuis condeſcendiſſe. Quidni de ſacrificiis Leviticis pro immunditia aut peccato non offerendis a Chriſto, aut pro Chriſto accipimus τὸ ῥητὸν illorum verborum? ὅτι θυσίαν καὶ προσφορὰν καὶ ὁλοκαυτώματα, καὶ περὶ ἁμαρτίας οὐκ ἠθέλησας, οὐδὲ εὐδόκησας. Τότε εἴρηκεν. Ἰδοὺ ἥκω τοῦ ποιῆσαι, ὁ Θεὸς, τὸ θέλημά σου. Ex *Pſalmo* 40. *Hebr.* 10. *v.* 8, 9. Nam ubi ab Euangeliſtis narratur Jeſum feſtivis diebus Hieroſolymam veniſſe, non dicitur tamen ipſum quippiam eorum, quæ ad feſta pertinebant, peregiſſe, neque omnino ſub ipſum tempus ſacrificii acceſſiſſe, quamvis ad populum erudiendum non ſemel ſupervenerit. Leproſo quidem mundato mandavit, ut ſe oſtenderet Sacerdoti, & munus lege præſcri-

ptum offerret, *Math.* 8. *v.* 4. Sed is leproſus non erat diſcipulus. Jeſus autem voluit per hoc miraculum & Sacerdotibus, & a Sacerdotibus populo manifeſtari ipſum eſſe Meſſiam, qui & talia nunc patraret, & olim Moſi talia præcepiſſet. Si quis porro urgeat omnino neceſſarium fuiſſe ad implendam legem ut Jeſus Chriſtus paſcha manducaret, idem neceſſarium etiam fuiſſe fateatur oportet, ut ipſum etiam diem decimum quartum lege præſcriptum obſervaret: die enim decimo tertio, ſive quinta hebdomadis, qua S. cœna inſtituta eſt, ut demonſtravimus, ex lege hoc fieri omnino non potuit. Atque hæc fere totius eccleſiæ Græcæ ſententia fuit, quæ ex hac hypotheſi, non azymo ſed fermentato pane in ſacra ſynaxi uſa eſt. Eorum teſtimonia Patrum qui nobiſcum ſentiunt huc tranſcribere nihil attinet. legi poſſunt in Caſaubono, *exercit.* 15. *ad Baronii annales*, §. 12. *ſive ad A. C.* 35. & Joh. Gerhardi *Harmon. Euang. cap.* 166. *&* 169.

Deinceps nobis ea removenda ſunt, quæ ſententiæ noſtræ obſtare videntur.

Ubi

Ubi imprimis occurrunt verba ipſius Jeſu Chriſti, qui *Luc.* 22. *v.* 15. hoc modo ſuis locutus eſt: ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν, πρὸ τοῦ με παθεῖν. *Deſiderio deſideravi hoc paſcha vobiſcum edere, antequam patiar.* Cum enim hic paſchatis meminerit, cujus deſiderio teneretur, ipſum etiam cum diſcipulis ſuis idem celebraſſe ac manducaſſe conſequi videtur.

Verum ſi penitius textus circumſtantias inſpiciamus, videbimus hic non legale veteris teſtam. paſcha celebratum eſſe, quia tempus non convenit. Hoc enim factum eſt ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα. *Luc.* 22. *v.* 14. ὀψίας γενομένης. *Matth.* 26. *v.* 20. ſcil: πρώτῃ τῶν ἀζύμων pridie azymorum, illorum ὅτε πάσχα ἔθυον, latiori ſignificatione, id eſt, die decima tertia, qua die paſcha mactari nefas. Deinde contra feſti ſolennitates non fuit Jeſus lumbis accinctis, non ſtetit, ſed ἀνέπεσεν, ἀνέκειτο. *Matth.* 26. *v.* 20. Præterea pronomen τοῦτο nos manifeſte in rem præſentem ducit. Quia quaſi digito panem & vinum in S. cœna demonſtravit, aſſerens quodcun-

que hic ageret eſſe καινῆς διαθήκης. *Matth.* 26. *v.* 28. *Marc.* 14. *v.* 24. *Luc.* 22. *v.* 20. Nihil typicum, legale, vetus, ſed novum; quod etiam paſcha appellavit, quia idem utriusque & veteris & novi myſterium eſt, quo ſenſu Paulus dixit, 1. *Cor.* 5: 7. Τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη, Χριστός. Nec alia mens Tertulliani, lib. 4. adv. Marcionem, cap. 40. *Profeſſus ſe concupiſcentia concupiſſe edere Paſcha ut ſuum (indignum enim ut quid alienum concupiſceret Deus) acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei.*

Denique & hoc conſideratione dignum, quod euangeliſtæ, poſt verba hæc a Servatore prolata, non paſchatis ullam mentionem faciant, ſed e veſtigio S. cœnæ inſtitutionem ſubjiciant. Difficultatem ex *verſ.* 17. *&* 18. *cap.* 22. *Lucæ*, interpretes variis modis tollere conantur. Syrus, qui quidem antiquiſſimus, eos plane omiſit. Alii tranſpoſitionem quandam excogitarunt. Plerique tamen faciunt cum Auguſtino, qui *lib.* 3. de conſenſu Euangeliſt. *cap.* 1. ſic ſcripſit: *Quod*

Lucas

Lucas de calice bis commemoravit, prius antequam panem daret, deinde poſtquam panem dedit: illud, quod ſuperius dixit, praeoccupavit, ut ſolet, illud vero, quod ordine ſuo poſuit, non commemoravit ſuperius. utrumque autem conjunctum hanc ſententiam facit, quae & illorum (Matthæi & Marci) *eſt.* Sed nec inſolens tum apud Judæos, tum apud alias gentes, non minus ante quam poſt cœnam poculum convivis propinare. Videre hoc eſt apud Stuckium, *antiq. conviv. lib.* 2. *cap.* 37. Buxtorf. *ſynag. Jud. cap.* 7. Dougt. *anal. ſacr. ad N. Teſt. excurſ.* 37. Ideoque ad paſcha hæc nihil attinent.

Unicus tandem reſtat ſcrupulus, quem injicit colloquium inter Jeſum Servatorem & Apoſtolos habitum de parando paſchate. *Matth. cap.* 26. *v.* 17, 18, 19. *Marc.* 14. *v.* 12-16. *Luc.* 22. *v.* 7-13. Cur enim parari juſſit paſcha, quod celebrare illi in animo non erat? cur ſumtus fecit non neceſſarios? cur & ſuis diſcipulis, & hoſpiti moleſtiam creavit? Sed & hic ſcrupulus facile eximetur, ſi paulo attentius hujus colloquii tempus inſpi-

ciamus. Erat enim πρώτη ἀζύμων, pridie azymorum, dies menſis decimus tertius, quo parari quidem poterant, imo debebant ea, quæ ad paſcha rite celebrandum, erant neceſſaria: mactari autem paſcha illo die nefas. Itaque præparationis meminerunt Euangeliſtæ, non ipſius mactationis, quæ ſane præparationem non neceſſario ſequitur. Cum revera ſæpius

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου,
Multa cadant inter calicem, ſupremaque labra.

Quid? nonne & Abrahamus ſacrificium divinitus parare juſſus eſt, quod tamen non peregit? In promtu erant ignis, lignum, culter: de agno ipſo curam ſanctiſſimus Patriarcha in Dei providentiam pie conjecit. Nec tamen fruſtra ſe fatigavit, hoc enim fidei exercitium Deus ei præſcripſerat, qui παρ' ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι credidit Deo, etiam defunctos ad vitam revocanti. *Gen.* 22. *Rom.* 4. *v.* 18. Quidni idem de paſchali hoc ſacrificio dicamus? monſtratus erat locus, ut Abrahamo Moria, omnia erant parata. A-

gnus

gnus autem ubi? nempe aderat agnus, mactatus a jacto mundi fundamento, quem digito monſtraverat Johannes Baptiſta, ferentem peccata mundi. Qui, omnibus, quæ ad typicum ſacrificium paranda erant, paratis, ipſe poſtridie, die decimo quarto, ut in omnibus etiam minimis vere ſe antitypum oſtenderet, in cruce pro peccatis noſtris mactatus eſt.

DISSERT. SEPTIMA,

De conſuetudine dimittendi reum in feſto apud Judæos.

Dimiſſio vincti in feſto. Petrus in carcere. Conſuetudo Athenienſium in Bacchanalibus & Panathenaeis. De Theſſalis aliisque. Romanorum humanitas in occurſu Veſtalium: Imperatorum. Socratis mors propter feſta Delia dilata. Sævitia Tiberii, Marii. Kalendæ Januariæ, Natalis imperii. Saul. David. Carolus Gelriæ Dux. Paulus II.

&

& Sixtus V. Papæ R. Dies cœnæ Dominicæ. Lex Valentiniani, Theodoſii, Arcadii, A. A. A. Carolus II. Rex Neap. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus. Zamoſcius. Pœnitentes eccleſiæ reconciliati die cœnæ Dominicæ. An hæc libertas in aliis feſtis etiam conceſſa ſit? An in memoriam liberationis ex Ægypto? Locus Num. 34. v. 15. *Jonathan mortis periculo exemtus. Romani liberos eſſe juſſerunt Græcos, Siculos, Antiochenſes. Lex Dei de homicidio. De Caïno, quare Deus eum morti non tradiderit? Davidis in Joabum lenitas.* Amoſi cap. 1. & 2. *Clementia qualis Principem deceat. Chriſti regnum non politicum, ſed ſpirituale. de adultera.* Joh. 8.

FUit hæc apud Judæos inolita conſuetudo, quæ, tractu temporis, legis etiam vim obtinuiſſe videtur, quamque avi-

avidiſſime arripuit Pilatus, cum Jeſum ſervatorem noſtrum manibus Judæorum eximere conaretur, ut die feſto vinctum aliquem, a populo poſtulatum, quamvis capital commiſiſſet, e carcere dimitteret Præſes liberumque ac immunem eſſe juberet. Notarunt hoc omnes Euangeliſtæ, *Matth.* 27. *v.* 15. *Marc.* 15. *v.* 7. *Luc.* 23. *v.* 9. *Joh.* 18. *v.* 40. Quo privilegio ne gauderet Petrus ſollicite admodum cavit Herodes, qui illum in cuſtodia tenuit, producendum poſt paſcha. *Act.* 12. *v.* 4.

Morem hunc primo quidem ex aliarum gentium inſtitutis illuſtrare libet: deinde autem accuratius paulo examinare hæc tria: 1. Utrum in paſchatis feſto ſolum, an etiam in aliis mos idem obtinuerit? 2. Quæ conſuetudinis hujus origo apud Judæos? 3. Quænam ejus æquitas juxta leges tam divinas quam humanas?

In reliquis gentibus primum locum Athenienſibus damus, a quibus hoc humanitati conceſſum, ut feſtis quibusdam ſolennitatibus vinctos ad tempus tantum ſolverent, quo publici gaudii participes

quidem

quidem eſſent, poſtea tamen ad priorem miſeriam redirent. De Bacchanalibus hoc teſtatur Ulpanus Demoſthenis interpres, in fine enarrationis illius orationis quam in Androtionem dixit Orator: ἔθους γὰρ ὄντος ἀνίεσθαι τότε διὰ τὴν ἑορτὴν, εἶτα ἐμβάλλεσθαι. *Moris eſt eo tempore* (Bacchanalibus) *ſolvi captivos propter feſtum, deinde rurſus in vincula conjici.* De Panathenæis idem in orat: contra Timocratem: τότε δὲ ἐξῆν ἀφεῖσθαι τοῦ δεσμοῦ τοὺς δεσμώτας διὰ τὴν πανήγυριν. *tum vero licebat vinctis exire vinculis propter celebritatem ludorum.* Similis erat Peloriorum apud Theſſalos feſtivitas, teſte Athenæo, *lib.* 14. non tantum omnes peregrinos convivio excipiebant, ſed etiam vinctos ſolvebant, & ſervi una cum ſuis dominis ſumma cum licentia accubuerunt, epulatique ſunt, dominis autem illis miniſtrarunt. Talia apud Cretenſes, Trœzenios, Babylonios actitata fuiſſe, atque inde Saturnaliorum apud Romanos originem eſſe idem Athenæus judicat. Sed de his videndus *Hoſpinianus de feſtis.*

Multo vero major Romanorum humani-

manitas, apud quos Veſtalibus Virginibus is honor exhibitus fuit, ut miſeros morte liberarent, ſi reo ad ſupplicium ducto, non conſilio ſed caſu fuiſſent obviæ. Lipſium vide ſyntagmate *de Veſta & Veſtalibus.*

Præterea (teſtem laudo Ovidium) *lib. 2. pont. eleg. 8.*

Cæſaris adventu tutus gladiator arena
Exit, & auxilium non leve vultus habet.

Hoc etiam obſervatum eſt, ne, quoties Auguſtus urbem introiret, ſupplicium de quoquam ſumeretur. *Sueton. Auguſt. cap.* 57. Ubi vide *Cl. Pitiſci* notas n. 17. Certos quoque dies hoc beneficio inſignitos voluerunt Romani, imprimis feſtos. Seneca Pater, lib. 5. controv. IV. *Accuſatus eſt a fratre parricidii, damnatus. Diebus feſtis intercedentibus pœna* ex lege *dilata eſt.* Sic Livius *lib.* 5. *cap.* 13. in deſcriptione lectiſternii, quod primum Romæ factum eſt: *Vinctis quoque dempta in eos dies vincula; religioni deinde fuiſſe, quibus eam opem Dii tuliſſent, vinciri.* Socrates in carcere Athenienſi triginta dies in expectatione mortis exegit, propterea

rea quod feſta Delia peragerentur, lex vero non ſineret in quenquam animadverti antequam oraculi conſultores Delò reverterentur: quod Xenophon notavit. Ideoque Suetonius, *cap.* 61. Tiberii ſævitiam exaggerat, narrans, nullum a pœna hominum ceſſaviſſe diem, ne religioſum quidem & ſacrum.

Kalendis imprimis Januariis triſte nihil publice privatimque patratum, nedum ut pœna exigeretur. Ideoque in Mario hunc religionis contemtum notavit Plutarchus, quod eo die Sextum quendam Licinium de ſaxo dejecerit, quod impendentium malorum maximum viſum ſit præſagium. Similia de Tiberio habet Tacitus, *annal.* 4. *cap.* 68. *&* 70. Flagrante etiam bello ab armis Romani abſtinuerunt. Quod Appianus ſubindicat, *lib.* 5. *bell. civ.* Νουμηνίας δὲ ἔτους ἐς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν οὔσης, φυλάξας ὁ Λεύκιος τὴν ἑορτὴν, ὡς ἀμελείας τοῖς πολεμίοις αἰτίαν, ἐξέθορε νυκτὸς ἐπὶ τὰς πύλας αὐτῶν. *Novilunio anni in ſequentem diem futuro, Lucius feſtum diem obſervans, quod hoſtes eo die negligentius cuſtodias acturos putaret, ad portas nocte procurrit.*

Hæc

Hæc diei hujus religio in cauſa videtur fuiſſe quod quamvis gentiles in primordio naſcentis eccleſiæ, cunctis ſine diſcrimine diebus, Chriſtianos perſequerentur, hac tamen una die a cæde horum abſtinerent. Unde, Hieronymus ut obſervavit, nullus fuit toto anno, præter Kalendas Januarias, dies, quo non ſupplicio affecti e Chriſtianis quingenti martyres numerentur.

Imperii quoque natales ſimili privilegio honeſtatæ fuerunt. Philo Judæus contra Flaccum: τοῖς ὀρθῶς πολιτευομένοις τῶν ἀρχόντων, καὶ μὴ προσποιουμένους τόλμαν, ἀλλ' ὄντως τιμῶσιν εὐεργέτας, ἔθος ἐστὶ μηδένα κολάζειν τῶν κατακρίτων, ἄχρις ἂν αἱ ἐπιφανεῖς γενέθλιοι, καὶ πανηγύρεις αὐταὶ τῶν ἐπιφανῶν Σεβαστῶν διεξέλθωσιν. *Bonis Præſidibus, & recte, non inſolenter adminiſtrantibus rempublicam, mos eſt in neminem damnatum animadvertere, donec ſolennes celebritates, natalitiaque Auguſtorum feſta prætereant.* Scilicet, juxta Lucanum, lib. 8.

——Mitiſſima ſors eſt.
Regnorum ſub Rege novo.

De talibus autem feſtivitatibus natalitiis,

vide ſis ſyntagma noſtrum *de luſtrationibus veterum gentilium*, *cap*. 20.

Saulus primus Rex Iſraëlis, quo die victoriam obtinuerat contra Hammonitàs, noluit ut quiſquam morti traderetur. 1. *Sam*: 11. *v*: 13. Et David poſt victoriam de Abſchalomo reportatam vetuit interfici Simei maledicum. *Hodiene afficeretur morte quisquam in Iſraële? nam nonne agnoſco hodie me eſſe Regem ſupra Iſraëlem?* 2. Sam: 19. *v*: 23. Huc ſpectat, quod in Gelrorum annalibus a Pontano notatum reperi de Carolo Egmondano Gelriæ Duce, qui urbem Doesburgum intrans, magno civium applauſu exceptus, proclamari juſſit, omnes cujuscunque criminis reos, ſe liberos immunesque habiturum, quicunque ad tiliam arborem, quam præteriturus erat ſe recepiſſent. Similem gratiam exulibus, circulo ex fune facto circumſcriptis, in his & conterminis regionibus, a Principibus factam eſſe Slichtenhoriſtius ad illum Pontani locum notavit. Paulus II. Papa Rom: ipſo die coronationis ſuæ carceres aperuit, quod antea ab aliis fa-

ctum

ctum erat nunquam, voluit, vinctisque libertatem ac immunitatem conceſſit, quod ejus deinde ſucceſſores imitati ſunt. Sixtus tamen V. ut in ejus vita, *lib. 7.* Gregorius Leti narrat, hunc morem abrogavit, eosque qui inveterata hac conſuetudine nixi, pœnas facinoribus ſuis dignas ſe evaſuros ſperaverant, pro more & genio ſuo, ſevere admodum puniri juſſit.

Apud veteres Chriſtianos, die cœnæ Dominicæ, quo die, quod mirum, Papa Romanus ſibi adverſantes excommunicare ſolet, captivi libertate donari, & pœnitentes reconciliari ſolebant. De captivorum liberatione teſtis eſt auctor operis de cardinalibus operibus Chriſti, quod Cypriano tribuitur, ſermone de unctione Chriſmatis, *Hodie*, inquit, *carceres & damnati libertate donantur, ſeveritate depoſita hodie judices miteſcunt.* Hinc in hymno ad lotionem pedum cani ſolebat:

Nexi ſolvuntur hodie
Carnis & cordis carcere.

Quo pertinet lex Valentiniani, Theodoſii, Arcadii A. A. A. qua tamen excipi-

untur rei illorum, quæ enumerantur, criminum. extat ea Cod. *lib.* 1. *tit.* 4. qui eſt de Epiſcopali audientia: *Nemo deinceps tardiores fortaſſis affatus noſtræ perennitatis expectet. Exequantur judices quod indulgere conſuevimus. Ubi primus dies paſchalis extiterit, nullum teneat carcer incluſum, omnium vincula diſſolvantur. Sed ab his ſecernimus eos, &c.* Carolo II. Regi Neapolitano ad mortem damnato, die Veneris, ante paſcha, juſſu Conſtantiæ Reginæ conjugis Petri Arragonii, denuntiatur, ut morti ſe paret. Cui ille fortiter reſpondit: *Mori paratus ſum, propter amorem ejus, qui hoc ipſo die pro me mortuus eſt.* Qua reſponſione mota Regina ſententiam mutavit, addens: *Vivat propter illam ipſam rationem, propter quam mori voluit.* Narratur hoc in hiſtoria mulieris Cataneënſis.

Dominica ante paſcha, quæ *Palmarum* vulgo dicitur, ſalutaris fuit Theodulpho Aurelianenſi Epiſcopo, qui, conjurationis in Ludovicum Pium Imp. reus, in carcerem conjectus, alta voce, Imperatore carcerem prætereunte, hymnum a ſe compoſitum, cecinit, quo

Imp.

Imp. ita motus eſt, ut miſerum epiſcopum e carcere liberaverit. Hymnus ille olim in eccleſiis celebris, hic eſt:

Gloria, laus, & honor tibi ſit, Rex Chriſte redemtor,
Cui puerile decus promſit Oſanna pium.
Iſraël tu Rex, Davidiſque & inclyta proles,
Nomine qui in Domini, Rex benedicte, venis.
Cœtus in excelſis te laudat cœlicus omnis,
Et mortalis homo, & cuncta creata ſimul.
Plebs Hebræa tibi cum palmis obvia venit,
Cum prece, voto, hymnis adſumus, ecce, tibi.
Hi placuere tibi, placeat devotio noſtra
Rex pie, Rex clemens, cui bona cuncta placent.
Hi tibi paſſuro ſolvebant munia laudis;
Nos tibi regnanti pangimus, ecce, melos.

Liceat hic, ptopter ſimilem in Poëtas favorem, addere, quod, ex curriculo vitæ *Abrah. Sculteti*, Regenvolſcius in hiſtoria eccleſiarum Slavonicarum narrat, *lib.* 1. *c.* 15. Cum Zamoiſcius, magnus Poloniæ cancellarius, Bitſinum oppidum, in eoque Maximilianum Auſtriæ Archi-

 ducem,

ducem, regni Poloniæ competitorem, anno 1588. caperet, in tanto periculo, Paſtor eccleſiæ illius, Zamoiſcium adiens, hoc diſticho eum allocutus eſt:

Hoſtis es, an hoſpes? nam quis te dixerit hoſtem,
Qui patrio victos victor amore colis?

Quibus verbis adeo ſibi conciliavit literati victoris gratiam, ut multis aureis Hungaricis ab eo donatus, & militum præſidio ſtipatus, in loca tuta, cum ſuis fuerit dimiſſus. Sic olor, ut in fabulis eſt, cantus dulcedine vitam redemit, & Arion a delphino liberatus. Similia apud Pontificios ad introitum novi Epiſcopi, aut occurſum Cardinalis fieri notavit Voetius, *diſpp. ſelect. tom.* 3. *pag.* 127.

Hæc de captivis: Sed & pœnitentes die cœnæ Dominicæ eccleſiæ reconciliari ſolebant. Cyprianus, in fine ſermonis paulo ante laudati: *Et omnino convenit, ut eo tempore, quo Chriſtus captivos eduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad eccleſiam reducantur, & quo confracta ſunt infernalis repagula carceris, judiciaria ſeveritas manſueſcat, & quo ab infernalibus tormentis ceſſatum*

ceſſatum eſt, humana ſupplicia crudelitatis horrorem deponant. Quomodo hæc in ridiculam ſuperſtitionem abierint videri poteſt in hiſtoria de Adamo in eccleſia Halberſtadienſi, apud Chemnitium, in fine tomi 4. examinis concilii Tridentini: & proceſſione a Jeſuitis & Capucinis, anno 1587. celebrata Antwerpiæ, narrante Meterano, *in fine annal.* 13.

Nunc ad Judæos nobis redeundum eſt, atque inquirendum, utrum in ſolo paſchatis feſto, an etiam in aliis hoc privilegium obtinuerit? Poſterius tuetur Theod. Beza, *in Marc.* 15. *v.* 6. conſentientem habet Syrum interpretem. Pugnat hoc argumento, quod articulus in Græco contextu non ſit additus. Urget etiam vim præpoſitionis κατὰ, hanc enim ait diſtributivam eſſe, ut *Act.* 2. *v.* 46: κατ᾽ οἶκον, *Tit.* 1. *v.* 5. κατὰ πόλιν, *oppidatim.* Alii tamen hoc beneficium ad ſolum paſchatis feſtum reſtringere malunt, quia *Joh.* 18. *v.* 39. diſerte dicitur ἐν τῷ πάσχα, ita ut ἑορτὴ in Marco ϛυνεκδοχικῶς capienda ſit, quomodo & Syrus intelligendus. Sed nec articuli ellipſis alia feſta hic in-

cludit, cum ea, docentibus Grammaticis, frequens ſit. *Glaſſ. philol. ſacr. lib. 3. tract. 2. can. 3. Paſor. Gramm. Gr. Novi T. lib. 2. cap. 1. §. 15.* Univerſalitas autem, quam & Syrus, & præpoſitio κατὰ notare videntur, de toto feſti hujus tempore, quod plurium dierum fuit, capienda eſt, aut de ipſo quidem feſto, ſed ſingulis annis recurrente: In hoc enim ratio occurrit probabilis, quæ de aliis feſtis adferri nequit, memoriam enim liberationis majorum ſuorum ex ſervitute Ægyptiaca tunc temporis Judæi celebrabant, in aliis non item.

Origo porro & antiquitas hujus conſuetudinis inveſtiganda. Hanc alii a Judæis, alii arceſſunt a Romanis. Antiquitas hujus conſuetudinis apud Judæos apparet nulla, cum Joſephus, aliique antiquitatum antiquiſſimarum Judaicarum ſcriptores ejus mentionem non faciant. Ex traditionibus ergo πατροπαραδότοις, quibus hæc gens addictior fuit, origo repetenda eſt. Forte propter memoriam liberationis ex Ægypto, ut modo dictum. Sed male: Deus enim aliud ejus liberatio-

nis

nis μνημόσυνον inſtituerat, ipſum ſcil. paſcha, *Exod.* 12. ſingulis etiam ſabbatis in memoriam revocandum. *Deut.* 5. *v.* 51. Quod humana ſapientia hic addit ſtultum eſt. Præterea ingens hic eſt diſſimilitudo: Nam primo quidem Iſraëlitæ non propter aliquod perpetratum crimen, ſed plane ex Regum Ægyptiacorum tyrannide miſerrimam hanc ſerviebant ſervitutem: contra autem tales λῃσαὶ, qualis & Barrabas, ſecundum leges, propter peccata in vincula compacti.

Deinde, ille qui Iſraëlem liberavit, & Iſraëlis, & Ægypti, imo totius univerſi ſine provocatione Dominus, vitæ necisque arbiter, adeoque liberos vincire, vinctos in libertatem aſſerere potis: At magiſtratus, qualis hic Pilatus Judææ Præſes, homo eſt, miniſter eſt juſtitiæ, ejusque vindex, qui clauſis oculis, ſine affectibus, juxta leges judicare tenetur.

Cyrillus Alexandrinus antiquam putat fuiſſe conſuetudinem, ſed quæ tamen ex ſacris literis originem duceret, eamque refert ad eam legem, quam de cæde in-

 volun-

voluntaria Deus ipſe tulit, *Numer.* 35. *v.* 24. in hæc verba: *Judicabit inter percuſſorem & propinquum ſanguinis ſynagoga, & liberabit innocentem de manu ultoris.* Verum his non probatur talis reum dimittendi conſuetudo, ſed potius innocentis mandatur defenſio. Alii exemplum allegant Jonathanis, ex *cap.* 14. *lib.* 1. *Samuelis*, qui a populo ex præſentiſſima morte, a patre illi denuntiata liberatus eſt. Sed & hoc valde diſſimile. Nam *primo* Jonathan non peccaverat in divinam legem, quæ in θεοκρατείᾳ maxime vigebat, ſed in novum patris ſui edictum; regium quidem, ſed tamen humanum, imo ſatis temerarium. Itaque *ſecundo*, contra jus & fas a patre ad poenam poſcebatur. *Tertio* denique non tam abſoluta Regum in Iſraëlem poteſtas fuit, imprimis in illis regni primordiis, quin jus provocationis ad populum, penes quem jus majeſtatis originaliter erat, concedi potuerit. quomodo & Romæ, regnante Tullo Hoſtilio, Horatius parricidii reus, a populo, ad quem provocaverat, abſolutus eſt. *Liv. lib.* 1.

cap. 26. Niſi quis judicet populum Iſraëliticum pœnam Jonathanis potius deprecatum eſſe, quam vitam ejus jure a patre poſtulaſſe: non ſecus ac Q. Fabius noxæ damnatus populo Romano deprecanti a Papyrio Dictatore donatus eſt. *Liv. lib:* 8. *cap.* 35. Romanorum ergo moribus alii hanc conſuetudinem adſcribunt, vel propter feſti religionem, qualem & ipſos in ſuis ſuperſtitionibus obſervaſſe, ſupra jam dictum eſt: vel quia Judæis hac in parte gratificari e re ſua duxerunt: una cum αὐτονομίᾳ genti ad ſeditiones propenſæ leviores res facile conceſſerunt, unde Reſp. nihil detrimenti caperet. Quomodo Philippo Rege, Macedonibusque devictis, S. P. Q. R. & T. Quintius Imperator, liberos, immunes, ſuis legibus eſſe juſſit omnes gentes, quæ ſub ditione Philippi Regis fuerant. *Liv. lib.* 33. *cap.* 32. Et Cicero, *lib.* 2. *in Verrem*, de Siculis, *ut cives inter ſe ſuis legibus agerent.* Quo pertinet privilegium Antiochenſibus circa bona defunctorum ſtabilitum ex legibus ſuis. *l. Antiochenſium* 37. ff. *de reb. auct. Jud. poſſ.* Julius Cæ-

ſar

ſar primum Hyrcano Pontifici Judæorum conceſſit, ut ſi qua controverſia oriretur de Judaica diſciplina, judicium penes ipſum eſſet. *Joſeph. antiquit. lib.* 14. *cap.* 17.

Reſtat ut de hujus conſuetudinis jure atque æquitate quæramus. Humanitatis quidem aliquam ſpeciem præ ſe ferre videtur, legibus tamen tam divinis quam humanis repugnat. Mundo poſt diluvium reſtituto ſeveriſſime hanc legem ſanxit Deus, Gen. 9. v. 6. *Qui effundit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis ejus effunditor: quoniam ad imaginem ſuam hominem fecit Deus.* Lex Moſis agit χωρὶς οἰκτιρμῶν. *ſine miſericordia.* Hebr. 10. v. 28. vide eam *Num.* 35. *v.* 17 *fin.* Conſentit Salomo, Prov. 28. v. 17. *Homo oppreſſus propter ſanguinem hominis, ad foveam usque fugiat: ne ſuſtentato eum.* In homicidarum pœnis mirabilem obſervare eſt Dei juſtitiam.

Quin & humanæ leges negant intueri lucem fas eſſe ei, qui a ſe hominem occiſum eſſe fateatur. Talis autem pœnæ perſecutio non judicantis voluntati mandatur, ſed legis autoritati reſervatur, ut

ait

ait Marcianus, *l.* 1. §. 4. *ad Sc. Turpillianum.* Nec vanæ populi voces audiendæ, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem comdemnari deſiderant. *C. de pœnis, l. Decurionum.*

Non deſunt tamen argumenta, quæ æquitatem antiquam huic Judæorum conſuetudini adfuiſſe ſuadere videntur. Caïni fratricidium non gladio, ſed exilio tantum ipſe Deus puniendum voluit. David Joabum, quamvis homicidii in Abnero & Amaſa interfectis manifeſtum, ſupplicio tamen non affecit. Propheta Amos *cap.* 1. *&* 2. graviter taxat Moabitas, Ammonitas, Edomæos, quod male vexaverint & prodiderint Hebræos, qui ad eos confugerant, cum a Chaldæis vaſtarentur, cum tamen a Deo in illam calamitatem injecti fuiſſent. Quin & ipſi Chaldæi, a prophetis ſunt reprehenſi, quod adverſus Judæos male egerint. Jus præterea aſylorum, & Miſericordiæ ara apud Athenienſes huic conſuetudini favere videntur. Quin & olim in juſtis ſuppliciis intercedebat Epiſcoporum autoritas, & ſubinde nocentem e judicum

mani-

manibus extorquebat, ut in epiſtolis ſuis, 54. & 158. 159. 160. teſtatur Auguſtinus. Tum etiam nulla virtus magis decet Principem quam Clementia. Ipſe tandem Chriſtus promtiſſime peccata condonavit, omnesque ultro in gratiam recepit.

Verum enimvero, ſi hæc accuratius conſideremus, nullum plane huic cauſæ præſidium hic inveniemus. Caïnum primo quod attinet, Deus illum morte mulctari noluit, Non ſacrificio placatus, ut Joſephus cenſet, *antiquit. lib.* 1. *cap.* 2. quod enim hoc ſacrificium? an quod jam oblatum erat? atqui Deus hoc reſpicere non dignatus fuit. An vero qnod deinceps Caïn obtulerit? ſed de hoc Moſes tacet. An autem priori Deo magis acceptum eſſet hoc poſterius, cum ipſe Cainus deinceps non magis placeret Deo, quam cum prius illud offerret? Adamum autem pro filiorum peccatis expiandis ſacrificaſſe, ut Jobum, *cap.* 1. *v.* 5. feciſſe accepimus, ſacræ literæ non docent, nec etiam tale quid lachrymis ac pœnitentia ſua meruiſſe. Neque rem ipſam tetigiſſe videtur Grotius, *lib.* 1.

de

de jure belli & pacis, *cap.* 2. §. 5. quem ſequitur Heideggerus, *hiſtor. Patriarch. part.* 1. *exercit.* 5. §. 35. Deum nempe, primis illis temporibus, aut ob hominum raritatem, aut quia paucis adhuc graſſantibus minus opus erat exemplo, id, quod naturaliter licitum videbatur, edicto repreſſiſſe, & contractum quidem ac commercium homicidæ defugi voluiſſe, at vitam ei non eripi. Quomodo & Plato in legibus conſtituit, & olim in Græcia uſurpatum his verſibus docet Euripides:

Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πατέρες οἱ πάλαι.
Ἐις ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ ἔιων περᾷν,
Ὀυδ' ἐις ἀπάντημ', ὅςις αἷμ' ἔχων κυρεῖ.
Φυγαῖσι δ' ὁσιοῦν, ἀνταποκτεῖναι δὲ μή.

Quam bene parentum ætas provida ſtatuerat:
Vt cogeretur de via decedere,
Hominumque viſu cæde patrata nocens,
Fugaque lueret triſte, non letho, ſcelus?

Quo pertinet & illud Thucydidis, *lib:* 3. ἐικὸς τὸ πάλαι τῶν μεγίςων ἀδικημάτων, μαλακωτέρας κεῖσθαι ἀυτὰς (τὰς ζημίας) παραβαινομένων δὲ τῷ χρόνῳ ἐις τὸν θάνατον αἱ πολλαὶ ἀνήκουσι. *Credibile eſt antiquitus quamvis gravium delictorum, leves fuiſſe pœnas: ſed cum ea, progreſſu temporis, contemnerentur, ventum ad mor-*

mortem. Lactantius, *Adhuc enim videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines, ſupplicio affici.* Hoc patriarchali poteſtati magis convenire videtur, cum, juxta illud Terentii, Andr. Act. 5. ſi. 3.

Pro peccato magno parum ſupplicii ſatis ſit patri.

Verum hæc nullius momenti ratio eſt, nec enim iſta hominum raritas fuiſſe videtur, quaſi ſcilicet quatuor tantum, vel pauculi homines tum extiterint, cum potius humanum genus, ex benedictione divina, non parum multiplicatum fuiſſe credibile ſit, ſi cum viris doctiſſimis cædem hanc anno a mundo condito 129. factam eſſe ſtatuamus. Adeoque vel maxime exemplo opus fuit, ut ab infando hoc homicidii crimine reliqui deterrerentur. Aliæ ergo rationes ſubeſſe videntur quare Deus Cainum non gladio ſed exilio punire voluerit. Primo quidem in illo mundi primordio jus gladii nondum inſtitutum erat: æquitas quidem naturalis requirebat, ut ſicarius capite plecteretur, illa tamen poteſtas nulli homini delata: penes Deum vitæ neciſque

arbitrum manebat, qui hoc in caſu cœleſtem magis quam terreſtrem judicem egiſſe videtur: qui etiam, cum jam ante diluvium, gigantum ætate, promiſcua invaluiſſet cædium licentia, inſtaurato poſt diluvium humano genere, ne mos idem invaleſceret, ſeverius lege lata occurrendum cenſuit, *Gen.* 9. *v.* 5. 6.

Præterea autem non ſimplex fuit Caïni exilium, ſed continua morte ſociatum angore ſcilicet lancinantis conſcientiæ, quæ mille mortium tormentorumque non exæquat modo, ſed & ſuperat dolores, morſibus enim continuis occidit. *Morsque minus pœna quam mora mortis habet.* Recte Ambroſius: de Cain & Abel. lib. 2. cap. 10. *Iſti Cain longævitas indulta vindicta eſt, eo quod vixit in metu, & prolixum ſpatium multo cucurrit & infructuoſo labore, qua pœna nihil gravius, quam ut quis ipſe ſibi majorum cauſa pœnarum ſit.* Conſcientia ἀνληχαφδὸς ubique præſens, tortor occulto flagello animum quatiens. Nec omittenda videtur nonullorum apud Philaſtrium obſervatio: *Quod Dominus per unum illum Cainum omni humano ge-*

neri velut generalem docendo modum per patientiam tribuerit bonitatis ſuæ indulgentiam copioſam, ut jam, deſinente ſcelere, bonorum operum fructuoſitatem ſequerentur, certaque ab eo cuncti cognoſcerent complectenda, dicente Domino: Nolo mortem peccatoris, quam ut revertatur, & vivat. *Vt tanti ſceleris cunctis per eum pateſceret pœnitentia, inque eo indulgentia pariter copioſa, ut pœnitentiæ jam bona fructuoſitas, hortamento Dei monſtraretur hominibus, quo eam pervidentes, ſalutem potius, quam mortem ſibi deſiderent acquirendam.*

Videamus nunc Davidis in Joabum lenitatem: hæc quidem ratiunculis quibusdam defendi poſſe videtur: Joabum gratioſum fuiſſe apud milites, nec, ſine magno tumultu, ſupplicio affici potuiſſe, ideoque caviſſe Davidem ne quid detrimenti caperet reſpublica: ut de Honorio Imp. dicitur, cum Stiliconem rei militaris præfectum interfeciſſet, ipſum ſibi manus amputaſſe. Deinde, præceptum de puniendis ſceleribus affirmativum erat, nec ad omne tempus obſtringebat: ideoque David pœnam in oppertu-

portunius tempus differre potuit. Quamvis enim potentia Joabi impediretur, animum tamen puniendi non defuiſſe ei, patet ex mandato, quod moriens dedit Salomoni filio, ne pateretur canos ejus cum pace deſcendere ad inferos. Adhæc Principes eſſe medicos reipublicæ, qui pharmaca adhibere non debeant, ubi res ita ſunt deſperatæ, ut curari nullo modo poſſint.

Verum, his non obſtantibus, Davidem in hæc cauſa largiter peccaſſe judicamus, cum manifeſte legem Dei contemſetit & conculcaverit. Videbat forte periculum propter potentiam Joabi impendere. Sed ipſe a partibus ſuis habebat Deum infinite potentiorem, cujus promiſſio non in vento, aut in aqua ſcripta erat, ſed ſtabilis & æterna. Deinde omnes Iſraëlitæ, qui Abnero tantum tribuerant, Davidem, in puniendo Joabo, haud dubie adjuviſſent. Et quid ſi regno dejectus fuiſſet? annon Deus eum in integrum reſtituere potuiſſet? ut factum poſt bellum cum Abſalomo. Videmus ergo ita concuſſum fuiſſe Davidem

ut nonnihil penderet ab hominibus. Difficile quidem fuiſſet punire Joabum, at ſaltem tentaſſet: nunc nihil facit, tantum de Joabi potentia queritur. Non equidem nego, interdum differri poſſe ſupplicia, & expectari commodas occaſiones: prorſus autem nihil facere, nimis magnæ fuit lenitatis. Neque dico eum ſtatim fuiſſe occidendum: capiendus erat, in carcerem conjiciendus, cauſa cognoſcenda, poſtremo ſumendum ſupplicium. Ad mortem autem usque rejicere nimis magna erat dilatio. Moriens quidem vindictam mandat Salomoni, ſed ipſe longe aliud reſpondebat. 2. Sam. 3. v. 39. *Deus judicet.* Hoc certe non eſt Magiſtratus cognitionem cauſarum in Deum rejicere. Si pharmacum hoc fortaſſe non profuiſſet Joabo, aliis tamen profuiſſet.

Quod ex propheta Amoſo, populos, qui Hebræos male vexaverant, taxante, affertur æque infirmum eſt. Judæi enim non fuerunt traditi puniendi Moabitis, Ammonitis, Edomæis: ſed Chaldæis, ut prophetæ vaticinati fuerant.

Quare

Quare cum Deus nihil iſtis populis, de Judæorum exitio per illos exequendo patefecerit, jure ſunt reprehenſi & damnati crudelitatis. Nam cum eſſent illis vicini, & alioqui genere cognati, non præſtiterunt eis humanitatem & hoſpitium in ea calamitate, quemadmodum conveniebat. Chaldæi vero idcirco reprehenduntur, quod modum exceſſerint contra victos: neque ſævierunt in Judæos, ut voluntati divinæ ſatisfacerent, ſed ut ſuam ambitionem & odium explerent. Neque hic admittenda illa adeo prædicata ſupplicum jura & aſyla. Hæc enim illis proſunt qui immerito odio laborant, non qui commiſerunt quod ſocietati humanæ, aut hominibus aliis ſit injurioſum, de quibus conſulendus Grotius, *de jure belli & pacis, lib.* 2. *cap.* 21. §. 5. & 6. Toloſanus, *de Rep. lib.* 13. *cap.* 22. & 23. aliique rerum politicarum ſcriptores.

Nunc ad veteris eccleſiæ Epiſcopos, imprimis Auguſtinum hæc res rediit, hic enim reos ac damnatos ſibi tradi ac donari a præſidibus Africæ volebat, mo-

do promiſſionem emendationis ac pœnitentiæ interponerent, Macedonius, qui reum ei donaverat, ſcripſit ad illum ſe mirari, quomodo ad officium Epiſcoporum hoc pertineret, & ſuas adducit rationes, quare non ita videretur. Argumenta utrinque allata recenſet P. Martyr, *Locor. comm. Claſſ.* 4. *cap.* 14. ubi legi poſſunt, & contra Auguſtini ſententiam concludit.

Pulchra ſane laus eſt, & digna principibus clementia, a quorum facie neminem oporteat diſcedere triſtem. Ipſi hoc animadvertentes in ſuis titulis primo ferme loco clementiam deſcribunt, & a ſubditis clementiſſimi ſalutari amant. Eaque thronum corroborari dixit Salomon, *Prov.* 20. *v.* 28. Clementia Cæſaris a Cicerone ſæpius laudatur. Si hic affectus non adverſetur juſtitiæ, non violet jus & leges, nec rerum humanarum confuſionem pariat, materia virtutis eſt. Sin vero eam inducat, jam non virtus eſt, ſed in vitium degenerat, abitque in ſegnitiem, negligentiam & mollitiem. Peccat Achabus dimittendo Benhadadum, quia Deo

vult

vult eſſe clementior. 1. *Reg.* 20. *v.* 32. Peccat Saul dum parcit Agago Amalechitarum Regi, contra quam ipſi præſcripſerat verbum Dei. 1. *Sam.* 15. *v.* 9.

Chriſti tandem exemplum huc nihil facit. Condonat ille quidem, ſed in regno eccleſiæ, non politico, non condemnavit adulteram, *Joh.* 8. quia judiciis politicis non præfuit. Nec eam ad magiſtratus detulit, quia ipſe eam in adulterio non deprehenderat: quare cum teſtis non eſſet idoneus, lege non adſtringebatur hujusmodi accuſationem perſequi. Interim quod ſuæ functionis erat non prætermiſit, quippe illam monuit ut poſtea a peccato abſtineret. Concludimus itaque hanc Judæorum conſuetudinem Legi Dei & juſtitiæ repugnare.

DISSERT. OCTAVA,

De notis quibusdam & ſtigmatibus.

Sectio I.

Rerum diſtinctiones utiliſsimæ. Dictum Socratis. De Orationibus: Senatu Romano. Locus 2. Tim. 2. v. 15. *Hominum quorundam ſimilitudo: & ovorum. Item diſſimilitudo, in voce, in facie, in ſenſu animi. diſcrimina ſtellarum, Angelorum, florum. Notæ quibusdam propriæ, Seleuco, Ciceroni, Fabio Max.* Δίκοροι. *De comitibus Habſpurgicis: Regibus Corzanis. Jacobo I. Britanniæ Rege: Joh. Frederico Saxone: B. Euſtochia. Notæ familiarum. Ænobarborum: Judæorum. Politiani. Hobbeſii. Spuriorum.*

Sectio

Sectio II.

Notæ brutorum. Ovium. de Patriarcha Jacobo. Equorum: Boum. Apis Ægyptiorum, quæ ejus notæ, & unde. Stiĉte Actæonis.

Sectio III.

Signum Caino impreſſum. Notæ fraudis admiſſæ. Dei imago, κοιναὶ ἔννοιαι. *Pythagoræ tranſanimatio. Sententia Stoïcorum & Academicorum. Lex cordibus inſcripta. Arrhabo Spiritus Sanctus. Character indelebilis in ſacramentis. Veſtigia ſcelerum in anima poſt mortem.*

Sectio IV.

Porci eximii. Animalia ἄφετα. *nota Fax, aures fiſſæ. Paſtores* נקדים *ſignatores.* Μῆλα ἀσήμαντα. *Equorum ſigna. Bucephalus.* Βȣ *intenſivum.* Καππαφόροι, κοππατίαι. Σαμφόραι. *Rota. de Tamerlane. Nicanor Stigmatias. Literatus. ſtigmata in dextra & fronte. Nobili-*

 tatis

tatis inſignia, Locus Ezech. 23. v. 23. *Gentes ſtigmatæ multæ, Geloni, Britanni. De lege Remmia. De Conſtantino M. Henrico VII. Angliæ Rege. Theodorico. Mulieres Thraces.* 4000. *Græci. Samii literati. Servi Hebræorum. Locus* Pſ. 40. v. 7. *Bion Boryſthenites. ſtigmata ſervorum & militum. Idololatrarum. Epimenidis. Locus* 2. Chron. 36. v. 8. *de Arabibus hodiernis. Sacerdotes Cybeles. Deorum inſignia varia. Loci* Ap. 13. v. 16. & 14. v. 1. Zach. 13. v. 6. Jeſ. 44. v. 5. Lev. 19. v. 28. *Signum crucis. Circumciſio Abyſſinorum. Stigmata Franciſci: Magorum.*

Sectio I.

IN accurrata rerum diſtinctione humanæ ſapientiæ non minima pars verſatur. Qui res diſtinctas confundit, nil niſi nebulas intellectui offundit, & ad תהו ובהו dedu-

deducit: contra qui bene diſtinguit bene docere recte dicitur. Socrates apud Platonem *in Phædro*, profitetur ſe διαιρέσεως doctorem, tanquam Deum aliquem, ſecuturum. Facilius enim, ut ait Seneca, *epiſt.* 89. per partes in cognitionem totius deducimur. Cicero, *in Bruto*, agens de Hortenſio, cum alia in eo laudat, tum illud imprimis quod maximis exercitationibus conſecutus erat rem memoriter amplecti, & *dividere acute.* Hoc enim magnum & memoriæ ſimul ac eloquentiæ adjumentum, juxta illud παρῳδικὸν,

Verbaque diviſam rem non invita ſequentur.

In Senatu Romano, cum aliquis in dicenda ſententia duas, pluresve res complexus eſſet, eæ ſi non omnes probarentur, poſtulabatur ut *divideret*, id eſt, ut de rebus ſingulis referret, quod Aſconius Pædianus ad Milonianam notavit. Quid quæſo aliud voluit Apoſtolus. 2. *Tim.* 2. *v.* 15. quando voluit ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον eſſe ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, quam ut cura adhibeatur diſcernendi membra doctrinæ diverſa? Verbum ὀρθοτομεῖν a ſacrificiorum ritu deſumtum. Non

Non enim licebat victimarum carnes quoquo modo lacerare: certæ enim partes porriciendæ, aræque impoſitæ Deo cremandæ erant, ut adeps, lumbi, cauda: Aliæ erant Sacerdotum, ut pectus, & armi. Hic igitur artis erat opus. Ideoque ipſe creator, qui

Pondere, menſura, numero Deus omnia fecit,

rerum ſpecies diſtinxit, & ipſa etiam ſingularia ſic diſcrevit, ut in eodem etiam genere, vix duo ſibi per omnia ſimilia inveniantur. Miraculi loco habitum eſt ſi qui reperti fuerint qui difficulter admodum diſcerni potuerunt, quales enumerat Plinius, *hiſtor. natur. lib.* 7. *cap.* 12. & Val. Maximus, *lib.* 9. *cap.* 14. Hinc ridiculi in fabulis Amphitruo & Soſia, tum & Menæchmi, quos neque nutrix, neque, quæ pepereat, mater dignoſcebat. Simile de Serviliis geminis teſtatur Cicero, 4. *Academ.* & de hoſpitis ſui, Senatoris Mechlinienſis filiis Ludovicus Vives, comment. ad Auguſtinum, de Civ. Dei, *lib.* 21. *cap.* 8. Julius Capitolinus, pro ſui admiratione ta-

cendum non credidit Gordianum ſeniorem Auguſti vultum ſic repræſentaſſe, ut & vocem, & morem, & ſtaturam ejusdem oſtentare videretur: filium vero Pompejo ſimillimum viſum: quamvis Pompejus obeſi corporis fuiſſe denegetur. Nepotem autem Scipionis Aſiatici faciem retuliſſe.

Nihil tamen ita ſimile quin etiam ſit diſſimile, alias enim idem plane eſſet. Ideoque & geminos mater conſuetudine oculorum internoſcit. *Videſne*, ait Cicero, loco, cit. *ut in proverbio ſit ovorum inter ſe ſimilitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complures, qui gallinas alere permultas, quæſtus cauſa, ſolerent. Hi cum ovum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant. Stoicum eſt*, ſcribit idem, *nullum eſſe pilum omnibus rebus talem, qualis eſt pilus alius, nullum granum.*

Hoc maxime in homine mirandum, qui cum homini ſimillimus ſit, idem tamen diſſimillimus: ut nymphis marinis 2. metam.

——— Facies non omnibus una eſt,
Non diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.

quod

Quod eleganter in Thalmude, Cod. Sanhedrin, *cac.* 4. § 5. expreſſum eſt. אדם טבע מטבעות בחותם אחד וכלן דומין זה לזה ומלך מלכי המלכים הקבה טבע כל אדם בחותמו של אדם הראשון ואין אחד מהן דומה לחבירו *Homo quidem, uno ab annulo, licet multa, non niſi ſimilia ſigna exprimit; At ille rex Regum eminentiſſimorum, Sanctus ille & benedictus, omnium hominum formas a primi hominis typo expreſſit, ita tamen ut nemo unus alteri conſimilis reperiatur.* Qua artis & naturæ diſtinctione facile refellitur, quod Cicero, eodem libro proponit: *Si hominum ſimilitudo tanta eſſe non poteſt, ne ſignorum quidem? Dic mihi, Lyſippus eodem ære, eadem temperatione, eodem cælo, cæteris omnibus, centum Alexandros ejuſdem modi facere non poſſet? qua igitur notione diſcerneres? quid ſi in ejuſmodi cera centum ſigilla hoc annulo impreſſero, ecquæ poterit in agnoſcendo eſſe diſtinctio? an tibi erit quærendus annularius aliquis, quoniam gallinarium inveniſti Deliacum illum, qui ova cognoſceret?* Argumentationem ab arte ad naturam recte procedere negarent profecto logicorum filii. Sed & ſi artem advocatam ſenſibus adhibeamus, ſoluti-

onem

onem ſuggerit ipſe Cicero : *Piſtor videt quæ nos non videmus*: *& ſimul inflavit tibicen, a perito carmen agnoſcitur.* Diſſimilitudo hæc inter homines , notante , ad dictum talmudis locum Cl: Coccejo, in tribus conſiſtit : בקול במראה ובדעת *in voce, in facie, in ſenſu animi.* Voce enim diſtiguuntur non tantum brutorum animalium variæ ſpecies, quas diligenter congeſſit Schoockius, de anima belluarum, *diſp.* 2. §. 12-18. *& diſp.* 3. *&* 4. Sed & homines ſingulares , quos etiam in tenebris loquentes dignoſcimus. De facie in fabuloſis Patrum vitis narratio occurrit, ubi ſcilicet diabolus quærit, quid maxime mirum in re parva Deus fecerit? reſponſum, in facie humana : inter tot enim diverſisſimos in mundo homines, inter tot millies millena millia nunquam duos reperias facie omnino ſimiles, in qua tamen Deus omnium ſenſuum externorum ſedem locavit. Nec minor in animi ſenſibus diſſeritas. Quot capita tot ſenſus ; quot ſenſus tot diſſenſus. Recte Perſius, ſat. 5.

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Ideoque

Ideoque incertus hæret Demipho Terentianus, *Phorm. act. 2. ſc. 4.* Inter ſtellas diſcrimen ſtatuit Apoſtolus. 1. *Cor.* 15. *v.* 41. Ἄλλη δόξα ἡλίου, καὶ ἄλλη δόξα σελήνης, καὶ ἄλλη δόξα ἀστέρων. Ἀστὴρ γὰρ ἀστέρος διαφέρει ἐν δόξῃ. Inter Angelos, corporis quamvis expertes, non ſolum individualem, ut loquuntur, ſed & ſpecificam differentiam invenit ſcholaſticorum ſubtilitas apud Thomam Aquinatem, *part.* 1. *quæſt.* 50. *art.* 4. Notas diacriticas in floribus canit paſtor Virgilianus, Eclog. 3.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores, & Phyllida ſolus habeto.

De arboribus & liliis ad ſepulchra monachorum enatis, cum inſcriptione verborum *Ave Maria*, fabellas ex Craſſeto narrat Gallæus de Sybillis, *cap.* 25. *in fine.*

Hominum quoſdam præ cæteris, propriis quibuſdam notis inſignitos fuiſſe hiſtoriarum monumentis traditum eſt. Seleucus ancoræ figura inſignis fuit, quæ in femore nata cum ipſo parvulo fuit. *Juſtin. lib.* 15. *cap.* 4. Qui in ſua gente princeps *Cicero* cognominatus eſt in extremo naſi in modum ciceris cæcam inciſuram

habuit,

habuit, unde cognomen illud accepit. Et Marcus Tullius quæſtor in Sicilia donum argenteum Diis conſecravit, in quo initia inſcripſit duorum nominum *Marc. Tull.* tertii loco ludens cicer juſſit artifici proxime illas literas incidere. *Plutarch. Cic.* Fabio Maximo nota corporis cognomen *verruoſo* dedit, quod verruca parva ei ex ſummo extuberaviſſet labio. *Plut.* Δίκοροι quidam dicti quod pupillas diverſi coloris haberent. Quod de Alexandro M. Joh. Tzetzes his verſibus ſcripſit:

Ὁ βασιλεὺς ὁ μέγιςος Ἀλέξανδρος Φιλίππου
Γλαυκὸν τὸν ἕνα ὀφθαλμὸν ἔχειν θρυλλεῖται πᾶσι,
Μέλανα δὲ τὸν ἕτερον· Τοῖς ὀφθαλμοῖς τοιοῦτος.
Rex maximus Alexander Philippi
Ceſium unum oculum habuiſſe narratur ab omnibus,
Nigrum autem alterum: oculis talis.

Talis & Anaſtaſius Silentiarius qui ante Juſtinum Romanorum fuit Imperator. Auguſtum item notis quibusdam inſignem fuiſſe Suetonius, cap. 80. notavit: *Corpore traditur maculoſo, diſperſis per pectus atque alvum genitivis notis in modum, & ordinem, ac numerum ſtellarum cæleſtis urſæ.* Draconem

potius has notas exhibuiſſe auctor eſt Sidonius Apollinaris, cujus verba, ut & alios de his notis agentes ſcriptores laudatos videbis in Doctiſſ. & diligentiſſimi *Pitiſci* noſtri commentario ad Suetonium. Phil. Camerarius, *hor. ſubciſ. cent.* 3. *cap.* 42. Ex Suevorum hiſtoriis narrat comites de Habsburg ab utero matris crucem auream in dorſo habere, hoc eſt, pilos candidos in crucis modum protractos. Reges item Corzanorum ſignum aquilæ nigræ ſuper humeros ſuos de utero matris ſuæ producere, & per dies vitæ hoc ſigno inſigniri. Idem ex fide dignorum hominum relatione ſe cognoviſſe ſcribit, Regem Britanniæ tunc regnantem (Jacobum I.) ex utero materno, certa ſigna regia, non obſcura, recens natum, leonem videlicet & coronam in corpore impreſſa protuliſſe: quidam etiam addunt gladium. Addit ex Indice Chronologico Bucholceri, Joh. Fredericum Saxoniæ electorem, Johannis filium, in lucem editum 30. die Juny. 1503. futuri ſui fati omen ex alvo materna ſecum tuliſſe. Naſcenti enim in dorſo viſa eſt crux, aureo co-

colore fulgens: quam ubi conſpexit a matronis aulicis accerſitus Sacerdos admodum ſenex & pius, *hic puer*, inquit, *crucem geſtabit toti orbi conſpicuam, cujus indicium tam manifeſtum in ipſius ortu ſeſe exerit.* Ejus rei initium quoddam hoc fuit: quod mater Sophia die poſt partum duodecimo extincta eſt. Fabellam de B. Euſtochia Patavina narrat Bern. Scardeonius, *de antiq. urbis Patavii, lib.* 2, *Claſſ.* 6. hujus defunctæ corpus cum lavarent Sorores, ſuper mamillam ejus ſiniſtram, qua parte propior cordi eſt, nomen JESUS ita carni impreſſum eſſe conſpexerunt, ut nullo pacto deleri, aut omnino tolli poſſet.

Familiarum etiam quædam naturales notæ notatæ a ſcriptoribus. Ubique obvium hoc eſt, cum *laudantur ſimili prole puerpera.* Signata apud Romanos præ ceteris fuit *Ænobarborum* familia. L. Domitio originis & cognominis autori, juvenes gemini, Caſtores fuiſſe creduntur, imperarunt, nuntiaret Senatui victoriam, de qua incertum adhuc erat, atque in fidem majeſtatis malas ei permulſerunt, adeo

ut e nigro rutilum æriqueaſſimilem capillum redderent, quod inſigne manſit & in poſteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt, quod Plutarchus *in Æmylio*, Sueton. *Neron. cap.* 1. narrant. Barbam tactu *irrufatam* dixit Tertullianus. *Apol. cap.* 22. Talis fere Judæorum eſſe ſolet. Perfida hæc, pervicax, pertinax natio, tot jam per ſecula, in hunc usque diem, quamvis per omnia mundi climata, populosque diſperſa ſit, tamen in facie manifeſta iræ Dei ſigna gerit, quibus tanquam characteribus ita ſignata eſt, ut lividum colorem, tetrumque odorem retineat, atque ab aliis facile diſcerni poſſit. Aureum autem barbæ colorem eos inde a majoribus habuiſſe, quorundam opinio fuit: Poſt commiſſam in vitulo aureo idololatriam, cujus ſcobem aqua aſperſam Moſes eos bibere juſſit: qua ſpeciali nota vituli cultores a reliquis dignoverit, quaſi hæc aqua ſimilem vim habuerit cum potu zelotypiæ. Vide hac de re Bocharti Hieroz. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* . Salden. *ot. theol. lib.* 6. §. 15. Jam olim verbio jactatum: *cave a ſignatis.* Quod

Co-

Cognatus explicavit, addito illo Martialis tritiſſimo in Zoilum:

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Lege Edonis Neuhuſii theatrum ingenii humani, *lib.* 1. *cap.* 2. Non omittendum videtur quod Jovius de Angelo Politiano, in ejus elogio notavit: *Erat*, inquit, *diſtortis ſæpe moribus, uti facie nequaquam ingenua & liberali, ab enormi præſertim naſo, ſubluſcoque oculo perabſurda. Ingenio autem aſtuto, aculeato, occulteque livido; cum aliena ſemper irrideret, nec ſua, vel non iniquo judicio, expungi pateretur. Ferunt eum ingenui adoleſcentis inſano amore percitum, facile in letalem morbum incidiſſe. Correpta enim cithara, quum eo incendio, & rapida febre torreretur, ſupremi furoris carmina decantavit; ita ut mox delirantem vox ipſa, & digitorum nervi, & vitalis denique ſpiritus, inverecunda urgente morte, deſererent.* Noſtratibus inviſi, qui nigros alunt capillos, barbam autem rufam, juxta illud:

Daer de Vos light onder de Raven
Is de Duyvel onder begraven.

Talis fuit celebris ille Philoſophus Thomas Hobbeſius, *habuit capillitium, antequam incanuit, nigrum, barbam autem ſubflavam*, qui ſane color quantillum a rubro differt. *vid. vitam Hobbeſii. p.* 103. Superſtitioſa quorundam religio credidit ſpuriis characterem quendam ineſſe natalitiorum quo illegitimus coitus accuſaretur. Hinc Homerus apud Heliodorum, *lib.* 3. *Æthiop.* Ægyptiis ſpurius creditus, quod notam indicem illegitimi actus, ἐν τοῖς μηροῖς in utroque femore ſignatam referret: unde *Homerus* dictus. Quanquám Græci, Homerum Ægyptiis invidentes, longe aliam hujus nominis cauſam adſignent. Hebræi Rabbini, *ex cap.* 10. *v.* 3. Eccleſiaſtæ: qui ex interpretatione Montani, *Et etiam per viam ſecundum quod ſtultus ambulans cor ejus deficiens, & dicit omnibus ſtultis ipſe*, ſpurios a legitimis diſtinguunt, quod dicant hanc veram & legitimam illegitimorum notam, ſc: inceſſum. Nec enim unquam ſpurium tres legitimos paſſus, & rectos continuare poſſe, quin alius alio brevior vel longior ſit. Viguit apud Perſas hæc per-

perſuaſio, ut crederent eum ſpurium, cujus auricularis digitus medici digiti ſupremum articulum ac juncturam non ſuperaret. Quæ ſi eſſet nota vere notans non eſſet quare apud Germanos Rhenus gurgite ſuo eos exploraret, aut apud Pſyllos aſpis, ut Lucanus auctor eſt, *lib.* 9. aut Wilfridi acus apud Britannos, *Cambd. Britan. p.* 565. ut aquilæ fœtus ſuos ad Solis radios. *vid. Joh. Bapt. Pii annot. poſter. cap.* 23. Arabes non minori ſuperſtitione uſi dicuntur, ut per fiſſilem arborem partum ſæpius tranſmitterent: qua & Chriſtianos alicubi uſos dolendum eſt.

Sectio II.

Nunc ad bruta accedimus. *Ovibus* ſuis notas quasdam naturales aſtu impreſſit Jacobus Patriarcha, ut ſuos greges a ſoceri Labanis pecore, ex pacto, ſegregaret. Virgis enim ſumtis ex arboribus, quæ illis locis ſuppetebant, amovit corticem per certa intervalla, usque ad alburnum, quod apparens inter corticem fuſcum diſcolores virgas efficiebat. Has ſic aptatas aquarum canalibus, ipſo ad-

miſſuræ tempore, circumpoſuit, ut ex earum conſpectu matres foetus diſcolores conciperent, & ſuo tempore in lucem ederent: quos ſibi deberi ſtipulatus erat. Qua ratione & ſuam innocentiam, in tractandis ſoceri rebus, & ſuam in naturæ myſteriis ſagacitatem oſtendit Patriarcha. An vero hoc naturale, an divinæ omnipotentiæ fuerit opus? Item an Jacobo licuerit ſocerum & avunculum ſuum his artibus maxima & optima gregum parte ſpoliare? vide disquirentes interpretes, imprimis Heideggerum, *Schol. patriarch. t. 2. exercit.* 15. §. 19, 20. & Bochartum, *Hieroz. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 49. Notas *Equi* generoſioris has notavit Maro. 3. Georgic. v. 79.

——— Illi ardua cervix,
Argutumque caput, brevis alvus, obeſaque terga,
Luxuriatque toris animoſum pectus, honeſti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis,
Et gilvo. ———

Apud Homerum, Iliad. ψ. v. 445, 455. Idomeneus Cretenſium Dux præ aliis equis oculos in eum vertit

Ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ
λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο, περίτροχον ἠΰτε μήνη.

Eobanus Heſſus vertit:

——— Equum ſpadica colore,
Integrum fronte excepta, quam parva notabat
Alba nota, in formam revocantis cornua lunæ.

Ab equis non ad aſinos, ſed ad *Boves* tranſimus, de quibus Virgilius, 3. Georg. v. 51. & ſeqq.

——— Optima torvæ
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus, omnia magna,
Pes etiam, & camuris hirtæ ſub cornibus aures.
Nec mihi diſpliceat maculis inſignis, & alba,
Aut juga detrectans, interdumque aſpera cornu,
Et faciem tauro propior, quaque ardua tota,
Et gradiens ima verrit veſtigia cauda.

De *Apide*, decantatiſſimo apud ſcriptores, qui res Ægyptias attigerunt tum Græcos tum Latinos, bove ſacro, divinis honoribus ab Ægypriis culto, me-

moratur, eum notis quibusdam inſignitum fuiſſe. Herodotus, *lib.* 3. ἔχει δὲ ὁ μόσχος οὗτος, ὁ Ἆπις καλεόμενος σημήια τοιάδε ἐὼν μέγας (alii legunt μέλας) ἐπὶ τῷ μὲν μετώπῳ λευκὸν τετράγωνον φορέει. ἐπὶ δὲ τοῦ νώτου αἰετὸν εἰκασμένον. ἐν δὲ τῇ οὐρῇ τὰς τρίχας διπλᾶς, ἐπὶ δὲ τῇ γλώσσῃ κάνθαρον. *Habet hic vitulus qui appellatur Apis hæc ſigna: toto corpore eſt niger, in fronte habens candorem figuræ quadratæ, in tergo effigiem aquilæ, duplices in cauda pilos, cantharum in palato.* Hunc divinæ originis eſſe Ægyptii, teſte eodem loco Herodoto, tradidere, vaccam enim fulgure ictam, ex eo Apim concipere: quod & Pomponius Mela *lib.* 1. *cap.* 9. ſcripſit. & Ælianus de animal. *lib.* 11. *cap.* 10. Audiamus & Plinium, lib. 8. cap. 46. *Bos in Ægypto etiam numinis vice colitur. Apim vocant. Inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus lunæ creſcere incipientis. Nodus ſub lingua, quem cantharum appellant. Non eſt fas eum certos vitæ excedere annos, merſumque in ſacerdotum fonte necant, quæſituri luctu alium, quem ſubſtituant, & donec invenerint mœrent, deraſis etiam capitibus, nec tamen unquam diu quæ-*

ritur.

ritur. Poſt: *Fœmina bos ſemel ei anno oſtenditur, ſuis & ipſa inſignibus quanquam aliis, ſemperque eodem die & inveniri eam & extingui tradunt.* Vide & Strabonem, *lib.* 17. Diod. Siculum, *lib.* 1. *cap.* 85. Euſeb. *lib.* 2. *cap.* 1. *lib.* 3. *cap.* 3. Ammian. Marc. *lib.* 22. Huc pertinet nummus percuſſus ab Adrianotheritis, exhibitus a Spanhemio, de uſu & præſtantia numiſmatum *pag.* 654. in cujus uno latere eſt quidem ANTINOOC ΗΡΩC ΑΓΑΘΟC, in altero autem Apis Ægyptiorum, qualis olim vulgo depictus, juxta Ammiani deſcriptionem, maxime corniculantis lunæ ſpecie latere dextro inſignis: quam figuram etiam in *Tabula Iſiaca*, & in nummo quodam Adriani Ægyptio expreſſam eſſe idem Spanhemius monet.

Fuit hic Apis Lunæ ſacer, quamvis non Lunæ tantum, ſed & Solis ſigna præferret. Solis quidem, notante Porphyrio, *de abſtin. carn.* τὸ μέλαν τοῦ σώματος, καὶ ὑπὸ τῇ γλώσσῃ κάνθαρος· *nigror corporis, & nodus ſub lingua, quem cantharum vocant.* Lunæ autem ſymbolum τό τε διχότομον, καὶ ἀμφίκυρτον. *dimidiatæ, & utrinque curta lunæ*

næ figura. Macrobius, *ſaturn. lib. 1. cap. 21.* miracula ejus, naturæ Solis convenientia, conſiderat. *Nam & per ſingulas horas mutare colores affirmatur, & hirſutus ſetis dicitur in adverſum naſcentibus, contra naturam omnium animalium. Unde habetur veluti imago Solis in adverſam mundi partem nitentis.* Hujus Ægyptiacæ religionis ad Germanos & Gallos propagatæ monumentum, e ſepulchro Childerici Francorum Regis Tornaci effoſſum ante aliquot annos hodie in Bibliotheca regia viſitur: bubulum nempe caput auro effictum, Solis imagine in fronte notatum: Ipſius Apidis effigies. *Huet. Demonſt. Euang. propoſ.* 4. *pag.* 171. *edit. in* 40. Pluribus de Apide egit Voſſius, *de idolol. gent. lib.* 1. *cap.* 29. *& lib.* 3. *cap* 74.

Ægyptii, teſte Æliano, *de animal. lib.* 11. *cap.* 10. notas novem & viginti huic bovi aptas & decoras eſſe voluerunt, quas tamen Ælianus non enumerat: addit tamen cujuſnam ex ſideribus naturam unumquodque inſigne per notas deſignet Ægyptios ſatis ſuperque declaraſſe. Etenim Nili adſcenſum unum inſigne ſigni-

ſignificare docuerunt: aliud mundi, aliud lunaris figuræ, aliaque inſignia aliarum rerum ſignificationes fuiſſe, prophanis & divinæ hiſtoriæ ignaris intellectu difficiles. Quin & de vario ejus colore ſic diſſerunt, ut fructuum varietatem hoc ſymbolo notari innuant. Alius præterea Bos *Mneuis* Soli ſacer apud Ægyptios cultus, qui & ipſe ſuo quodam inſigni, quo verus & genuinus cognoſcebatur, conſpicuus fuit, quæ autem illa ſigna fuerint, Ælianus, *eodem libro, cap.* 11. non expreſſit.

Quid autem de his notis, quibus hæc Ægyptiorum idola inſignita fuerint, veteres Chriſtiani judicaverint, ex Auguſtino audire lubet. Is in *lib.* 18. de Civ.
„ Dei, *cap.* 5. ſic ſcripſit. Quo bove mor-
„ tuo, quoniam quærebatur, & reperi-
„ ebatur vitulus coloris ejusdem, hoc eſt,
„ albis quibusdam, ſimiliter inſignitus:
„ mirum quiddam & divinitus ſibi pro-
„ curatum eſſe credebant. Non enim ma-
„ gnum erat dæmonibus ad eos decipien-
„ dos phantaſiam talis tauri, quam ſola
„ cerneret, oſtentare vaccæ concipienti

„ atque

„ atque prægnanti, unde libido matris „ attraheret, quod in ejus fœtu jam cor- „ poraliter appareret: ſicut Jacob de vir- „ gis variatis, ut oves & capræ variæ na- „ ſcerentur, effecit, quod enim homines „ coloribus & corporibus veris, hoc dæ- „ mones figuris fictis facillime poſſunt „ animalibus concipientibus exhibere. Atque hæc de notis ab ipſa natura *im*preſſis, quæ innatæ dici poſſunt. Adde tamen στικτὴν in canibus Actæonem devorantibus. 3. *metam*. *v*. 218.

Sectio III.

Progredior ad eas notas, quæ Hominibus a cauſis externis profectæ ſunt, ſc: vel a Deo, vel ab hominibus, vel a diabolo.

A Deo vel corpori vel animæ imprimuntur.

Corpori Caïni fratricidæ a Deo ſignum aliquod impreſſum eſſe aliqui colligunt ex Gen. cap. 4. v. 15. *Impoſuit Jehova Caïno ſignum, ne eum cæderet ullus, qui foret inventurus eum.* Interpretes non excutiemus, unum audiamus Heideggerum, *ſchol. patriarch part.* 1. *exercit.* 5. §.

,, 37. Quale ſignnm illud fuerit, quæ-
,, ritur. Libere hic pro more ſuo nu-
,, gantur Hebræi. R. Salomon Jarchi i-
,, ta explicat: חקק לו אות משמו במצחו *Impreſ-*
,, *ſit fronti ejus literam ex nomine ſuo.* In
,, Tanchuma vero, *fol.* 4. divinant, ſi-
,, gnum hoc שבת *ſabbatum*, quod in re-
,, miſſionis ſignum datum fuerit Adamo,
,, & poſtmodum Caïno. R. Eliezer in Pir-
,, ke, *c.* 21. contendit, fuiſſe ſignum illud
,, literam unam ex Alphabeto Hebraico
,, brachio Caïni impreſſam. Alii etiam
,, putant, ubicunque locorum fuerit Ca-
,, in, partem aliquam circumſtantis ter-
,, ræ, tremuiſſe. יש אומרים כי האות קרן ואחרים
,, אמרו שנתן חזק בלבו והסיר פחדו ממנו ותלין שהשם
,, עשה לו אות שהאמין והכתובה לא גלה האות *Sunt*
,, *qui dicunt, quod ſignum illud fuerit cornu.*
,, *Alii dicunt, quid deus cordi ejus firmitu-*
,, *dinem indiderit, & pavorem ab eo ſuſti-*
,, *lerit. Mihi vero videtur, quod Deus in eo*
,, *patraverit miraculum quo ſe non iri occiſum*
,, *perſuaderetur. Quale vero illud fuerit,*
,, *ſcriptura non explicat.* Plerique ſancti pa-
,, tres hoc ſignum faciunt ingentem tre-
,, morem corporis, & conſternationem
,, vul-

„ vultus. Quibus etiam Patricides Arabs
„ conſentit, qui ita explicat: וכאן קין פזעא
„ *Et fuit Caïn tre-* מרתעשא האיסא איאם חיאתה
„ *pidus, & capite nutans omnibus vitæ ſuæ*
„ *diebus*. Ex Moſe hoc conſtat illud non
„ fuiſſe extra Caïnum, ſed בקין *in ipſo*
„ *Caïno*. Signi autem modum exponi non
„ poſſe arbitror. Niſi quis forte ſtatue-
„ rit, Caïnum ex terroribus conſcien-
„ tiæ ita aſpectu horrendum fuiſſe, &
„ aliqua qualitate patibili ſic affectum,
„ ut omnes quoque aſpicientes itidem
„ affecerit. Adde Saldenum, *ot. theolog.*
„ *lib. 2. exercit. 6. pag.* 345. 346.

Fuit hæc gentilium ſuperſtitioſa opinio, ut putarint eos quibus in naſo, vel lingua, tubercula, ut fit, aut hujusmodi corporis vitia in alia ejus parte orirentur, aut mentitos eſſe, aut depoſitum non reddidiſſe, aut aliquid denique fraudis admiſiſſe. Hanc religionem tangit Theocritus, idyllio IX, cum ait:

Μηκέτ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς.
Ne gravis in ſumma ſurgat mihi puſtula
lingua.

& idyll. XII.

'Εγὼ

——— Ἐγὼ δὲ σε τὸ καλὸν αἰνῶν
Ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφυσῶ.
Verum ego te laudans, formoſe, haud mentiar unquam,
Nec tenui gravis innaſcetur puſtula nari.

Ad locum idyll. 9. notavit ſcholiaſtes: ὅταν ὀλοφυγδὼν γένηται ἐπὶ τῇ γλώσσῃ, εἰώθασι λέγειν αἱ γυναῖκες, ὡς ἀποτεθεῖσαν σοι μερίδα οὐκ ἀποδεδώκασιν. *Quando puſtula in lingua naſcitur, dicere ſolent mulieres, depoſitum non eſſe redditum.* Ad idyllium autem XI. hæc habet: εἰώθασι γὰρ ἔνιοι τὰ ἐπάνω τοῦ ῥινὸς φυόμενα ψευδέγκια, ψεύσματα καλεῖν, καὶ εἶναι ταῦτα σημεῖον ψευδολογίας. ἢ ψεύδεα ῥινὸς, φύσκαι ἐπὶ τοῦ ῥινὸς λευκαὶ αἱ λεγόμεναι ἴονθοι, ἢ ὄνθιοι, ὡς κατὰ τὸ ἄνθος τῆς ἡλικίας γινόμενα, ἃς ψευδέγκια ἐκάλουν. Καί οἱ σικελιῶται τὸν ταῦτα φύσαντα ψευδηγόρον ἐσημαίνοντο εἶναι. *Solent aliqui puſtulas ſupra naſum enatas* Mendacia *vocare. Easque dicunt ſigna eſſe falſiloquii.* Aut mendacia naſi: *puſtulæ albæ in naſo, quæ lanugines appellantur, quia circa florem ætatis naſcuntur. Siculi his ſignatum mendacem eſſe ſignificarunt.* Nec Græcos tantum hæc ſuperſtitio tenuit, ſed & Romanos. Ovid. lib. 3. amor. eleg. 3.

Eſſe Deos credamne? Fidem jurata feſellit;
Et facies illi quæ fuit ante manet;

Quam longos habuit nondum perjura capillos,
Tam longos poſtquam numina læſit, habet.
Candida candorem roſeo ſuffuſa rubore
Ante fuit: niveo lucet in ore rubor.
Pes erat exiguus, pedis eſt aptiſſima forma,
Longa, decensque fuit: longa, decensque manet.
Argutos habuit: radiant ut ſidus ocelli,
Per quos mentita eſt perfida ſæpe mihi.

Horat. lib. 2. od. 8.

Ulla ſi juris tibi pejerati
Pœna, Barine, nocuiſſet unquam
Dente ſi nigro fieres, vel uno
Turpior ungui,
Crederem. Sed tu ſimul obligaſti
Perfidum votis caput, eniteſcis
Pulchrior multo: juvenumque prodis
Publica cura:

Animæ humanæ ſignum a Deo impreſſum vel commune eſt omnibus, vel proprium ad vitam æternam electis. Omnibus communis eſt illa Dei imago, ad quam primus Adam conditus fuit; quæ quamvis per peccatum valde obſcurata ſit, ejus tamen reliquiæ igniculis quibusdam & ſcintillis ſeſe produnt, quas κοινὰς ἐννοίας, & προλήψεις vocarunt Philoſo-

loſophi. Plato animis noſtris, antequam corporibus hiſce uniantur, omnium ſcientiarum habitus conceſſos fuiſſe, neque in hac vita ullam a nobis ſcientiam comparari exiſtimavit: ſed ſolum hanc eſſe reminiſcéntiam, qua recordamur ea quæ ante noveramus, quorumque propter materiæ circumfuſæ caliginem, jam, tanquam lethæo flumine rigati, obliti eramus. Nec longe ab ea ſententia diſceſſit Pythagoras ſua tranſanimatione, quem ferunt recordatum fuiſſe nonnulla talia, quæ nunquam fuerat expertus, cum hic alio jam fuiſſet in corpore. Videatur Auguſtinus, *de Trinit. lib.* 12. *cap.* 15. Stoici contra nitentes, ut eſt apud Plutarchum, de placitis Philoſ. *lib.* 4. *cap.* 11. docent, ubi homo in lucem prognatus eſt, principem animi facultatem, perinde ac ſi ageret de conſcribenda charta, in anima ſingulas excitare notitias, primumque inſcriptionis modum eſſe a ſenſibus. De quo Stoicorum dogmate, hæc cecinit Boethius, de conſolatione Philoſophiæ, lib. 5.

Quondam porticus attulit
Obſcuros nimium ſenes,

Qui ſenſus & imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi,
Vt quondam celeri ſtylo
Mos eſt æquore paginæ,
Quæ nullas habeat notas,
Preſſas figere literas.

Hinc infinitæ inter Stoicos & Academicos rixæ; ut & inſanæ ſcholaſticorum de intellectu agente & patiente altercationes, quæ & hoc tempore, ut nihil novum ſub ſole, in ſcholis philoſophicis reviviſcunt. Ariſtoteles ſibi non conſtare videtur, nam *lib.* 3. *de anima*, *cap.* 4. mentem ait eſſe inſtar tabulæ, in qua nihil ſcriptum, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. contra autem *lib.* 6. Ethic. *cap.* 13. πᾶσι δοκεῖ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει πῶς. *Omnibus videntur ſinguli mores natura aliquo modo ineſſe.* Et poſt: καὶ παισὶ, καὶ θηρίοις αἱ φυσικαὶ ὑπάρχουσιν ἕξεις. *Et pueris & belluis naturales inſunt habitus.*

Homo itaque tanquam Dei nummus, expreſſam ejus gerit imaginem, non tantum in principiis theoreticis, ſed etiam in practicis, in turpis & honeſti diſcrimi-

mine, adeoque oſtendit ἔργον νόμου ſcriptum in corde ſuo, ut ait Apoſtolus, *Rom.* 2. *v.* 15. Inſignis in hanc rem eſt locus Auguſtini, *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 15. quem adſcribere juvat: *Etiam impii cogitant æternitatem, & multa recte reprehendunt, recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis indicant, niſi in quibus vident quemadmodum quiſque vivere debeat, etiam ſi nec ipſi eodem modo vivant? ubi eas vident? neque enim in ſua natura, cum procul dubio mente iſta videantur, eorumque mentes conſtet eſſe mutabiles, has vero regulas immutabiles videat, quiſquis in eis & hoc videre potuerit: nec in habitu ſuæ mentis, cum illæ regulæ ſint juſtitiæ, mentes vero eorum conſtet eſſe injuſtas. Ubinam ſunt iſtæ regulæ ſcriptæ, ubi quid ſit juſtum & injuſtus agnoſcit? ubi cernit habendum eſſe quod ipſe non habet? ubi ergo ſcripta ſunt, niſi in libro lucis illius, quæ veritas dicitur? unde omnis lex juſta deſcribitur, & in cor hominis qui operatur juſtitiam, non migrando, ſed tanquam imprimendo transfertur, ſicut imago ex annulo & in ceram tranſit, & annulum non relinquit. Qui vero non operatur, & tamen videt quod operandum ſit,*

ipſe eſt qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur. Qui autem nec videt quemadmodum ſit vivendum, excuſabilius quidem peccat, quia non eſt trangreſſor cognitæ legis. Sed etiam ipſe ſplendore aliquoties ubique præſentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur. Hactenus Auguſtinus.

Signum proprium animis hominum a Deo ad vitam æternam electorum impreſſum, non niſi Deo imprimenti, & homini accipienti notum, eſt arrhabo & ſignaculum Spiritus S. quo fideles de æterna ſua ſalute certi redduntur, & obſignantur in diem redemtionis. *Epheſ.* 1. *v.* 13, 14. *&* 4. *v.* 30. 2. *Cor.* 1. *v.* 22. Quod adumbrabant ſignatores apud Ezechielem, *cap.* 9. *& Ap.* 7. Quæ de litera Hebraica ת aut figura crucis, quam Tau Samaritanum exprimere alii ajunt, alii negant, hic aliqui commentantur repetere operæ pretium non videtur. Ut nec operoſe refutandus character ille indelebilis, quem animæ, efficacia quorundam ſacramentorum, imprimi docent Pontificii: cum ipſe Scotus fateatur eum aut ex manifeſto aliquo ſcripturæ teſtimonio, aut ex Patribus

bus probari non poſſe. Et Gabriel etiam dubitet, an Eccleſia id definierit. *Bellarm. de ſacram. lib.* 2. qui agit de effectu ſacramentorum, *cap.* 19. An autem character in Magis etiam deleatur, vide diſputantem Wierum *de Lamiis*, *lib.* 3. *cap.* 3.

Plato in Gorgia, ad Philoſophos enim redire fert animus, eorum animis, qui ſeſe magnis facinoribus in hac vita obſtrinxerunt, maculas inuſtas eſſe docuit: Sicut enim in cadavere ſuperſunt veſtigia verberum, quæ vivus ille accepit corpore, ſic & in anima res ſe habet. Ἔνδηλα πάντα ἐςὶν ἐν τῇ ψυχῇ ἐπειδὰν γυμνωθῇ τοῦ σώματος. Τάτε τῆς φύσεως, καὶ τὰ παθήματα, ἃ διὰ τὴν ἐπιτήδευσιν ἑκάςου πράγματος ἔσχον ἐν τῇ ψυχῇ ὁ ἄνθρωπος. Ἐπειδὰν οὖν ἀφίκωνται παρὰ τὸν δικαςὴν, οἱ μὲν ἐκ τῆς ἀσίας, παρὰ τὸν ῥαδάμανθυν, ὁ ῥαδάμανθυς ἐκείνους ἐπιςήσας, θεᾶται ἑκάςου τὴν ψυχήν. Οὐκ εἰδὼς ὅτου ἐςι. Ἀλλὰ πολλάκις τοῦ μεγάλου βασιλέως ἐπιλαβόμενος, ἢ ἄλλου ὁτονοῦν βασιλέως ἢ δυνάςου κατεῖδεν οὐδὲν ὑγιὲς ὂν τῆς ψυχῆς. Ἀλλὰ διαμεμαςιγωμένην, καὶ οὐλῶν μεςὴν ὑπὸ ἐπιορκιῶν καὶ ἀδικίας. Ἃ ἑκάςῳ ἡ πρᾶξις αὐτοῦ ἐξωμόρξατο εἰς τὴν ψυχὴν, καὶ πάντα σκολιὰ ὑπὸ ψεύδους καὶ ἀλαζονείας, καὶ οὐδὲν εὐθὺ διὰ τὸ ἄνευ ἀληθείας τετράφθαι, καὶ ὑπὸ ἐξουσίας καὶ τρυφῆς, καὶ ὕβρεως, καὶ ἀκρατίας τῶν

πράξεων, ἀσυμμετρίας τε καὶ αἰσχρότητος γέμουσαν τὴν ψυχὴν εἶδεν. *Manifeſta ſunt omnia in anima, poſtquam e corpore exceſſit. Et naturalia, & motus quos dum quiſque ſuis rebus ſtudet, homo in anima habuit. Poſtquam igitur ad judicem veniunt, qui quidem ex Aſia ad Rhadamanthum. Rhadamanthus, illis præfectus, intuetur uniuscujusque animam neſciens cujus. Sed ſæpius magni alicujus Regis animam apprehendens, aut alterius alicujus Regis aut Judicis, videt in illa animâ nihil eſſe ſani: ſed verberibus notatam & cicatricibus plenam per perjuria & iniquitatem. Quæ uniuscujusque actiones animæ ſuæ impreſſerunt, & omnia tortuoſa per mendacium & vanam jactantiam, & nihil rectum, quia absque veritate educata eſt, & propter dominatum, & luxum, & contumeliam, & actionum intemperiem, plenam incongruitatis & turpitudinis animam videt.* Platonem imitatur Claudianus *lib.* 2. *in Rufinum*, Rhadamanthum Rufini animam apud inferos ita alloquentem facit:

Quid demens manifeſta negas? en pectus inuſtæ
Deformant maculæ: vitiisque inoleuit imago,
Nec ſeſe commiſſa tegunt.

Idem

Idem Rhadamantus apud Lucianum in Cataplo: Ὁπόσα ἂν τὶς ὑμῶν πονηρὰ ἐργάσηται παρὰ τὸν βίον, κατ' ἕκαστον αὐτῷ ἀφανῆ στίγματα ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει. *Quot ſcelerum quisque veſtrum in vita patravit, tot notas, ſed quæ non facile appareant, in anima circumfert.* Atque hinc originem habent illæ animarum purgationes a Philoſophis & Poëtis decantatæ, quibus hæ maculæ ac notæ vel per aërem & ventos, vel per aquam, vel per ignem, diſſipabantur, eluebantur, exurebantur, de quibus egimus in noſtro *de luſtrationibus veterum gentilium ſyntagmate, cap.* 15.

Sectio IV.

Porro ab hominibus ſtigmata inuſta fuerunt vel beſtiis, vel aliis hominibus. Beſtiis quidem vel religionis vel diſcretionis cauſa. Religionis cauſa beſtiæ aut aris, aut ἀφέσει deſtinatæ notis notatæ. Prioris exemplum occurrit 12. *Æneid.* ubi porcus & ovis aris admoventur, ſed ſacrificantes

> ——— *Tempora ferro*
> *Summa notant pecudum.* ———

hoc eſt, explicante Servio, poſt probationes an animal ſacrificio aptum eſſet, obliquum cultrum a fronte usque ad caudam ante immolationem ducebant. Inde porcus *eximius* dictus, autore Donato, *ad Terent. Hecyr. act.* 1. *ſc.* 1. qui exemtus eſt a grege, atque ſignatus macula aut nota. Sic vitulos diſcernere jubet Maro, 3. Georg. v. 858.

Continuoque notas, *&* nomina gentis *inurunt,*
Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo,
Aut aris ſervare ſacris, *aut ſcindere terram.*

Ἀφέσεως cauſa Diis ſacra animalia notis quibusdam inſignita fuere. Quod Plutarchus in Lucullo docuit: Βόες ἱεραὶ νέμονται περσίας Ἀρτέμιδος, ἣν μάλιστα θεῶν οἱ πέραν Εὐφράτου βάρβαροι τιμῶσι. Χρῶνται δὲ ταῖς βουσὶ πρὸς θυσίαν μόνον, ἄλλως δὲ πλάζονται κατὰ τὴν χώραν ἄφετοι, χαράγματα φέρουσαι τῆς θεοῦ, λαμπάδα. *Dianæ Perſicæ, quam eximie venerantur barbari trans Euphratem colentes, ſacræ paſcuntur boves. His ad victimam ſolum utuntur, de cætero vagantur liberæ notam Deæ ferentes, Facem.* Arabes antequam Mahumeti nomen dediſſent quædam jumenta

menta & pecora, puta camelos fœminas, oves & capras Diis ſuis devovebant: devota *auribus ſiſſis*, hæc nota erat, relinquebant, ut libere paſcerentur. *vid. Bochart. Hieroz. lib. 2. cap.* 54.

Diſcretionis cauſa & gregum & armentorum cuſtodes, ut ſua ab alienis internoſcerent, eis ſigna quædam imprimebant. De gregibus Iſidorus, lib. 20. Orig. cap. 16. *Character eſt ferrum coloratum* (alii malunt *caloratum*) *quo notæ pecudibus inuruntur.* Columella de re ruſt. lib. 11. cap. 2. *Maturi agni, & reliqui fœtus pecudum, nec minus majora quadrupedia, charactere ſignari debent.* Palladius, April. cap. 7. *Serotini fœtus hoc menſe ſignentur.* Meminit hujus conſuetudinis Calphurnius, Eclog. 3.

——— Vivi quoque pondera mille
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impreſſurus ovi tua nomina.

Virg. 1. Georg.

Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervis.

& 3. Georg.

Continuoque notas, & nomina gentis inurunt.

Quoniam autem pecorum magiſtris ſignandi

gnandi atque inde dignoſcendi pecoris cura incumbit, an inde Hebræis *paſtores* נקדים dicantur eruditi diſputant. Vox ea in num. plur. reperitur *Amoſ.* 1. *v.* 1. ubi Propheta hic dicitur fuiſſe בנקדים vulgo, *inter paſtores*. In ſingulari, 2. *Reg.* 3. *v.* 4. Ubi Meſa, Rex Moabitarum, dicitur נקד *pecuarium* vertunt Junius & Tremellius. David Kinchius iu Amoſi locum, *paſtorem*, ideoque dici נקד quia pecudum nonnullæ ſint נקודות id eſt, κατάστικτοι, ſeu maculoſæ, ut oves Jacobi & Labanis, *Gen.* 30. & 31. Druſio autem נקד potius ille eſt, qui pecora ſua ſignat, quo ab aliis dignoſci poſſint. Neutrum placet Bocharto, *Hierozoic. lib.* 2. *cap.* 44. Non prius, quia cum in magno grege maculoſæ oves pauciſſimæ ſint, ab iis pauciſſimis denominari paſtorem parum veriſimile ſit. Non poſterius, quia Hebræis oves non dicuntur נקודות propter characterem in certo loco a paſtore impreſſum, ſed propter maculas ubique a natura ſparſas. Judicat autem Bochartus, vocem hanc deductam eſſe ab Arabica נקד quæ ovis aut capræ genus deſignat vile

vile ac pumilum & deforme, quamvis ejus lana magni æſtimetur. Cui autem probabile videri poſſit rei pecuariæ ſtudioſum a viliſſima pecoris ſpecie denominari? imprimis Regem qualis fuit Meſa ille Moabitarum Rex. Generalius ergo quid hac voce notatur, quia ipſe Amoſus, *cap.* 7. *v.* 14, 15. ſe dicit נוקד *pecuarium*, & ſumtum a cuſtodiendis ovibus. Cum autem verbum Arabicum נקד pungendi notionem habeat, & inter cætera quoque defigendi viſum in re aliqua: annon igitur, & ab affixione animi pecuarius vocetur נוקד aliis judicandum reliquit Cl. Coccejus in lexico, reſpiciens forte ad illud Salomonis, Prov. 27:23. *Diligenter cognoſce præſentes pecudes tuas, appone animum tuum ad greges.* Nec defuerunt qui paſtorem Græcis ζημάντορα, quaſi pecorum ſignatorem dici voluerunt. Falſi autem ſunt. In Apollonio quidem *lib.* 1. Argonaut. legas: Δμῶες ἐμοὶ ςαθμῶν ζημάντορες. At vero ςαθμῶν ζημάντορες non ſunt pecudum aut ſtabulorum ſignatores ſed *præfecti & præſides*, horum ex officio curam gerentes, additur enim

— Οἷσι

——— Οἷσι μέμηλεν
Δεῦρο βόας ἀγέληθεν ἐϋκρίναντας ἐλάσσαι.

Hoc eſt, interprete Hartungo:

Famuli mei, ſtabulorum præſides, quibus curæ eſt
Huc boves e grege optimos agere.

Sic μῆλα ἀσήμαντα non ſunt μῆλα ἀσφράγιστα *oves non ſignatæ*, ut quidem Suidas velle videtur, ſed quæ paſtore carent. Homerus. Iliad. K. v. 485.

Ὡς δὲ λέων ἀσημάντοισιν ἐπελθών.

Hoc eſt, interprete Eobano Heſſo:

Sicut enim Leo ſive ovium, ſeu forte caprarum
Per deſerta gregem nactus paſtore carentem.

Didymus: Ἀσημάντοισιν. Ἀφυλάκτοις, ἀφροντίστοις, οὐκ ἔχουσι ποιμένα. Euſtathius: ἀπροστατεύτοις, præfecto carentibus. Nec multo aliter Heſychius, imo ipſe Suidas, addens: ἀσημάντοις, ἀφυλάκτοις, οὐκ ἔχουσι σημάντορας, τοὺς ἐπιστάτας.

Inter armenta *equi* inprimis inſigniti fuerunt. Anacreon:

Ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι	*Equi ſolent inuſtum*
Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι.	*Coxis habere ſignum.*

Apulejus, metam. lib. 2. *Nec non & equum illum meum reducentibus, quem diverſum diſtractum nota dorſualis cognitione recuperavimus.*

mus. Cur Alexandri M. equus Bucephalus dictus variæ rationes a ſcriptoribus allegantur. Prima quidem a frontis latitudine, & ingenti vultus torvitate, qua taurum referret. Strabo, *lib.* 15. ἐκαλεῖτο δὲ Βουκεφάλας, ἀπὸ τοῦ πλάτους τοῦ μετώπου. niſi forte Strabo hic ſolam capitis magnitudinem reſpexerit. Græci enim, autore Feſto, aſſueti magnis & amplis rebus præponere Βου, ſcilicet ἐπιτατικὸν, propter bovis magnitudinem, ut videbatur

Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis,

cui mater, quamvis ſe inflans, par non futura erat, etiamſi ſe rupiſſet, ut feſtive Horatius, *lib.* 2. *ſat* 3. Hinc eſt quod grandes pueros Βούπαιδας appellant, & mariſcam ficum Βούσυκον, & magnam famem Βουλιμίαν. Sic uva *Bumaſtus* Virg. 1. Georg. v. 112. Quam Varro de re ruſt. lib. 2. cap. 20. *Bumammam*, Macrobius ſaturn. lib. 3. cap. *Bumammiam* vocat. Eandem Bucephali denominationis rationem reddit Agell. *lib.* 5. *cap.* 2. Aliam rationem alii petierunt ab alba in capite nota; bovis capiti ſimillima: Arrianus, *lib.* 5. Οἱ δὲ λέγουσιν ὅτι λευκὸν σῆμα ἔχειν

ἐπὶ

ὄπι τῆς κεφαλῆς, μέλας ὢν αὐτὸς, εἰς βοὸς κεφαλὴν μάλιστα εἰκασμένον. Tertiam denique alii reddunt characterem Bovis huic equo inuſtum, quam & indicant Arrianus & Solinus. Heſychius; Βουκέφαλος, ἵππος ἐγκεχαραγμένος, ἔχων τοῖς ἰσχίοις βούκαρον. *Equus coxas notatas habens capite bovino.* Solam hanc rationem admiſit vetus Ariſtophanis interpres in Nubes: οὐ γὰρ, inquit, Βουκεφάλους ἵππους καλοῦμεν διὰ τὸ μορφὴν τοιαύτην αὐτοὺς ἔχειν, ἀλλὰ διὰ τὸ οὕτως ἐγκεχαράχθαι, ὡς καὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ἵππος ἦν. Idem & Joh. Tzetzes narrat his verſibus:

Τὴν δὲ Βουκεφάλου κλῆσιν δὲ τοιουτοτρόπως ἔσχε,
Βοὸς ὡς ἔχων κεφαλὴν ἐν τῷ μηρῷ σφραγῖδα,
Οὐ μὴν Βοὸς ἐκέκτητο ἢ κεφαλὴν, ἢ κέρας.
Bucephali autem nomen hoc modo habuit,
Bovis tanquam habens caput in fœmore ſignaculum.
Haud vero habuit bovis vel caput, vel cornu.

Propter literam Κ vel *Kophe* equis inuſtam κοππαλίαι dicebantur & καππαφόροι quos inter diſcrimen notavit Voſſius, *de art. Gram. lib.* 1. *cap.* 32. docens κοππαλίας dictos a Syrorum Kophe, ejusdem poteſtatis ac Latinorum Q. Καππαφόρους autem a Κ Græcorum.

Nec defuerunt qui putarent κοππαλίαν a Græ-

a Græcis dici, quia terram ungula κόπτει, ἢ κοιλαίνει pulſat & cavat. Scholiaſtes Ariſtophanis in Nubes: Τίνες κοππαλίαν ἐξηγήσαντο τ̄ κόπτοντα ἢ κοιλαίνοντα τ̄ ὁπλαῖς τὸ ἔδαφος. Quod tamen is jure merito rejicit. Sic & equi figuram literæ ſigma vel ϛὰν gerentes ϛαμφόραι dicebantur q. ϛὰν φοροῦντες. de quibus Voſſius ibidem videri poteſt. Utriusque autem & κοππαλίυ & ϛαμφόρυ mentio eſt apud Ariſtophanem *in Nubibus Act.* 1. *ſc.* 1. Corinthiorum Rex Siſyphus animalium ungulis monogrammaton nomen ſuum inſcribebat, ut furto intercepta eo repeteret argumento. Fuit & triſippion, velut rotula quædam, nota publica, quæ candens malis equorum imprimebatur qui jam conſenuiſſent, quæ & ἵππυ τρόχος dicebatur. *C. Rhodig. L. A. lib.* 7. *cap.* 31. In vita Tamerlanis, ab Hottingero, *pag.* 4. *hiſt. Eccleſ. N. Teſt. p.* 160. notatum eſt, ipſum non tantum nummos aureos & argenteos, ſed etiam beſtias hac nota $\overset{o}{oo}$ inſignivisse.

Sequuntur notæ quas hominibus homines imprimunt: quibus inſignes *Sti-*

gmoſi Petronio Arbitro, & Plinio, *lib.* 1. *epiſt.* 5. dicuntur. Itemque *Stigmatiæ*, quo nomine & Nicanor Grammaticus notatus, quod nihil aliud niſi περὶ στιγμῆς de interpunctione commentaretur. *C. Rhodig.* L. A. *lib.* 7. *c.* 31. Quo pertinet epigramma Eupithii Athenæi στίξαντος τὴν καθόλου, qui diſtinxerat librum univerſalem. ἀνθολ. lib. 1. cap. 17.

Ταυτολόγων κανόνων φεῦ πλῆθος, ἠδ᾽ ἀιδήλων
Σημάων λεπτὸς τοὺς ἐχάραξε δόναξ.
Ὄμματα μὲν κέκμηκε, τένων, ῥάχις, ἶνιον, ὦμοι,
Τῆς καθόλου δὲ φέρω τὴν ὀδύνην καθόλου.

Tautologorum canonum vah quanta copia! & obſcurorum
Characterum, ſubtilis quos aravit arundo.
Oculi mei defatigati ſunt, cervix, ſpina, nervi, humeri.
Ab univerſali nempe reporto dolorem univerſalem.

Quod autem veræ literæ fronti imo vultui toti inſcriptæ *Literati* dicti, Plaut. Caſin. Act. 2. ſc. 7. v. 49. *Si hic literatus me ſinat.* Imo plura verba quæ crimen continerent, cauſamque notæ, puta *Cave a fure*: *a fugitivo*. Duo monachi quod Imp. Theophilum liberius monuiſſent duodecim verſuum epigramma excipere

coacti,

coacti, teſte Zonara. Petronius ſatyrico: *Impressit Eumolpus frontes utriusque ingentibus literis, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Ratio autem inſcribendi ita habuit, ut primitus literæ inurerentur candenti ferro: deinde atramentum infunderetur, quo eminerent magis literæ, & præberent ſe lectui. *vid. Lipſ. elect. lib.* 2. *c.* 15.

Notabantur autem imprimis dextra manus & frons, quoniam hæc difficulter admodum occultari poſſunt. Ideo beſtiæ antichriſto déditi χάραγμα accepiſſe dicuntur ἐπὶ χειρὸς τῆς δεξιᾶς, καὶ ἐπὶ τῶν μετώπων. *Apoc.* 13. *v.* 16. *&* *c.* 14. *v.* 9. Frontem autem ſtigmari Conſtantinus M. vetuit, Cod. *lib.* 9. *tit.* 47. qui eſt de pœnis l. 17. *Si quis in metallum fuerit, pro criminum deprehenſorum qualitate, damnatus, minime in ejus facie deſcribatur, cum & in manibus & in ſuris poſſit pœna damnationis una inſcriptione comprehendi: quo facies quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis eſt cœleſtis figurata, minime maculetur.*

Stigmata autem hominibus ab hominibus aliis impreſſa erant 1. Politica,

 2. Oeco-

2. Oeconomica. 3. Militaria. 4. Religioſa.

Politica rurſus vel honeſta erant, vel ignominioſa.

Honeſta erant ſtigmata apud Thraces, nobilitatis enim inſigne, teſte Herodoto, *lib.* 5. ignobile contra frontes non eſſe punctis notatas.

Atque hinc ſtigmata notæ Threjiciæ Ciceroni dictæ, *lib.* 2. *Offic. cap.* 7. Strabo, *lib.* 7. de Japodibus: κατάστικτοι ὁμοίως καὶ τοῖς ἄλλοις Ἰλλυρίοις καὶ Θρᾳξί. Apud Babylonios ducibus & viris principali dignitate conſpicuis mos fuiſſe videtur, ut notis in carne impreſſis inſignirentur. Nam Ezechiel, *cap.* 23. *v.* 23. inter hoſtes Hieroſolymæ Babylonios Chaldæos tanquam præfectos & Principes recenſet קוע & שוע פקיד quorum primum פקיד *Præfectum*, ſecundum שוע *Principem* notant. Tertium autem cum ſit ἅπαξ λεγόμενον, a quibusdam ad radicem קעע & קעקע refertur; quod ſtigmatis ſignificationem habet, ut videre eſt, *Lev.* 19. *v.* 28. unde hic Babyloniorum mos intelligitur. Vid. *Glaſſ. Philol. ſacr. lib.* 4. *tractat.* 3. *obſer.* 17. de aliis gentibus ſcribit Sextus Empiricus,

cus, *lib.* 3. Pyrrhoniarum hypotheſeon, *cap:* 24. compunctum notis eſſe apud eos turpe, at multi Ægyptii & Sarmatæ ſuos fœtus compungunt. Idem corporis atque oris habitus apud Gelonos in honore habebatur, quod ex Claudiano *lib.* 1. in Rufinum colligere eſt:

Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus.

Sic Virg. 2. Georg. *pictosque Gelonos*, ubi Servius: *Stigmata habentes, populi Scythiæ, ut: pictique Agathyrſi.* Ubi tamen, 4. *Æneid. v.* 146. longe aliter idem ſentit: *Picti, non ſtigmata habentes, ſicut gens in Britannia, ſed pulchri, hoc eſt, cyanea coma placentes.* Quod hic de Britannis Servius ait, affirmatur & a Tertulliano, de vel. Virg. cap. 10. *Debebunt ſibi & ipſi aliqua inſignia defendere, aut pennas Garamantum, aut crobylos Barbarorum, aut cicadas Athenienſium, aut cirros Germanorum, aut ſtigmata Britonum.* Herodianus, *lib.* 3. de Britannis ait; Τὰ δὲ σώματα ςίζονται γραφαῖς ποικίλων ζώων παντοδαπαῖς εἰκόσιν. Ὅθεν ὐδ' ἀμφιέννυνται, ἵνα μὴ σκέπωσι τοῦ σώματος τὰς γραφάς. Audiamus Cambdenum Britannum, qui in Britan-

nia ſua de Britanniæ nomine agens ſic
„ ſcribit: Britannos ſe glaſto (*Glaſſ* cœ-
„ ruleum etiamnum illis ſignificat) de-
„ pinxiſſe graviſſimi quique autores,
„ Cæſar, Mela, Plinius, &c. docent.
„ Quid ſi a depictis corporibus dictos
„ Britones fuiſſe conjectarim? quicquid
„ enim depictum & coloratum, *Brith*,
„ patria & antiqua lingua appellant. Nec
„ eſt cur quis hanc duriuſculam aut ab-
„ ſurdam eſſe Britonum etymologiam
„ exiſtimet, cum quæ in etymis maxi-
„ me requiruntur, & voces conſonent,
„ & nomen, tanquam rei imago, rem
„ ipſam exprimat. *Brith* enim & *Brit* o-
„ ptime conſonant, & *Brith* illud Brito-
„ nibus denotat quod Britones reipſa
„ erant, i. picti, depicti, infecti, colo-
„ rati, ut Latinis Poëtis dicuntur, &
„ αἰολόνωτοι, variegatum tergum haben-
„ tes, ut Oppiano in cynegeticorum pri-
„ mo nominantur. *Idem de nomine Picto-*
„ *rum agens*: Ritus ille pingendi & co-
„ loribus ſe oblinendi utrique genti com-
„ munis erat. De Britannis jam ante do-
„ cuimus, de Pictis pro nobis docet Clau-
„ dianus, qui canit:

Nec

,, ——— *Nec falſo nomine Picto*
,, *Edomuit* ———
,, Et alibi:
,, *Perlegit exanimes Picto moriente figuras.*
,, Nec minus diſerte Iſidorus: *Non abeſt*
,, *genti Pictorum nomen a corpore, quod mi-*
,, *nutis opifex acus punctis, expreſſos nati-*
,, *vi graminis ſuccos includit, ut has ad*
,, *ſui ſpecimen cicatrices ferat, Pictis artubus*
,, *maculoſa nobilitas.* Adde verba Guil.
Malmesburienſis laudata Cambdeno, p. 77. 78. *Erant tunc temporis Angli veſtibus ad medium genu expediti, crines tonſi, barbas raſi, armillis aureis brachiis onerati, picturatis ſtigmatibus cutem picturati.*

De novi orbis populis ſic Hornius in Arca Noæ. p. 459. *Vix ulla gens Americana non picturata, ſi* Mexicanos *excipias. Et modus pingendi utrobique idem. In* Cangigu *viri & mulieres faciem, totumque corpus pingebant imaginibus* Leonum, Draconum, Avium, *quæ aboleri non poterant. Quo quis plures imagnies habebat, eo pulchrior videbatur.* Venetus *lib.* 11. *cap.* 46. *Idem* Agathyrſis (*Marcell.* 31.) *& per* Virginiam Floridamque *receptum.*

Stigma ignominioſum quod peccantibus pœnæ loco inuſtum. Plato *lib.* 8. de legg. ſacrilegos manibus & fronte inurit: ὃς δ' ἂν ἱεροσυλῶν, inquit, ληφθῇ ἐὰν μὲν ᾖ δοῦλος ἢ ξένος, ἐν τῷ προσώπῳ καὶ ταῖς χερσὶ χαραχθεὶς τὴν συμφορὰν, καὶ μαστιγωθεὶς ἐκτὸς τῶν ὅρων τῆς χώρας ἐκβληθήτω. Id eſt. *Si quis ſacrilegium commiſerit, ſi quidem ſervus aut hoſpes fuerit, in facie manibusque crimen inſcriptus & flagellatus, extra fines patrios projicitur.* Philippus Macedo militi in hoſpitem ingrato ſtigmata inſcripſit ingratum hoſpitem teſtantia. *Senec. de benef. lib.* 4. *cap.* 37. Lege Remmia, (vel Memmia) calumniatori in fronte imprimebatur litera, qua indicabatur eum calumniatum eſſe. Cicero pro S. Roſcio: *Literam illam, cui vos usque eo inimici eſtis, ut eam etiam omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut poſtea neminem alium, niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis.* Sic Papinianus *leg.* 13. *ff* de teſtibus. & *leg.* 1. *ff.* ad SCtum Turpilianum.

Conſtantinus M. Judæis rebellantibus auriculas amputavit, ſignumque inobedientiæ corpori eorum impoſuit. *Chryſoſt. orat.*

orat. 3. *adv. Judæos*. Henrici VII. Angliæ Regis conſtitutione homicidæ, ſub pollice manus, inuſtus character M. quia *Meutre* homicidium vocant: furibus litera T. quia fur eſt *Theſht*. ex Polydoro Virgilio Toloſanus *de Rep. lib*. 16. *cap*. 13. Idem Rex lege juſſit, ut Eccleſiaſtici, criminis convicti, ſtigmate in manu notarentur; quod notavit G. Burnetus, *lib*. 1. *hiſtor. reform. Angliæ*.

Sub Eduardo autem VI. mendici vagantes litera V. in pectore inſigniti. *ibid. lib*. 2. Theodoricus Gothorum in Italia Rex Opilioni & Gaudentio minatus eſt, ni Ravenna urbe decederent, ut notas inſigniti frontibus pellerentur. *Boëth. conſol. Phil. lib*. 1. ad quem locum R. Vallinus ex G. Neubrigenſis hiſtoria Angl. notavit, hæreticos publicanos, tanquam infames, clave candenti in fronte notari, eorumque præterea magiſtrum & in mento.

Mulieres etiam apud Thraces a viris ſtigmatis compungebantur, ulciſcendi Orphei cauſa. *Plut. de ſera num. vindicta*, Ut hac ratione ſceleris ſui in Poëtæ illius nece recordarentur; quod & Phanocles his verſibus canit:

Ἃς ἀλόχους ἔςιζον, ἵν᾽ ἐν χροῒ ςήματ᾽ ἔχουσαι
Κυάνεα, ςυγεροῦ μὴ λελάθοιντο φόνου.
Ποινὰς δ᾽ ὀρφῆϊ κταμένῳ ςίζουσι γυναῖκας
Εἰσέτι νῦν, κείνης εἵνεκεν ἀμπλακίης.

Quæ ſic interpretor;

Uxores ſtigmant, ut corpore ſigna gerentes
Cyanea, haud cædis dememiniſſe queant.
Nunc etiam Orpheja cædis ſtigmata mœſta,
Peccati pœnas fœmina pelle luit.

Sequuntur ſtigmata Oeconomica, quæ ſervis Domini inurebant, ſigna vel miſeræ ſervitutis, vel pœnæ. Servi bello capti hoc ſæpe amiſſæ libertatis indicium gerebant, quale miſerabile agmen Alexandro occurrebat, apud Curtium, *lib.* 5. *cap:* 5. Captivi erant Græci ad quatuor millia fere, quos Perſæ vario ſuppliciorum modo affecerant. Alios pedibus, quosdam manibus, auribusque amputatis, inuſtisque barbararum literarum notis, in longum ſui ludibrium reſervaverant. Teſte Plutarcho in Pericle, Athenienſes captivos noctua in fronte notarunt, reddita contumelia, quia Athenienſes antea Samios Samæna inſcripſerant: hoc autem navigii genus in Samo primo viſum.

viſum. Paulo aliter Ælianus, *var. hiſt. lib.* 2. *cap.* 9. Ad hæc ſtigmata ajunt Ariſtophanem obſcure alluſiſſe hoc verſu:

Σαμίων ὁ δῆμος ἐςὶν ὡς πολυγράμματος.

Alii narrant Samiorum gentem ita a tyrannis eſſe afflictam, ut ob inopiam adminiſtrantium rempublicam coacti ſint ſervos manumittere, eosque admittere in conſortium adminiſtrandi magiſtratus. Vel quod apud Samios primo a Calliſtrato inventæ fuerint literæ 24. Sic Suidas in Σαμίων ὁ δῆμος, & Eraſmus prov. *Samii literati.* Syracuſani victos Athenienſes ὡς οἰκέτας ἐπώλουν, ςίζοντες ἵππον εἰς τὸ μέτωπον, *pro ſervis vendiderunt, equo in fronte compunctos.* Plut. in Nicia. Leontidæ Thebanorum Duci, ac ſociis, cum Xerxi ſeſe dedidiſſent, juſſu Regis ſtigmata inuſta ſunt, *Herodot. lib.* 7. Quem locum exagitat Plutarchus, libro de Herodoti malignitate. Apud Hebræos, ſervo, qui ex amore heri, imo & conjugis & liberorum ſuorum in libertatem aſſeri nolebat, publice coram judicibus auris perforabatur ex lege *Exod.* 21. ſerviebatque ſervitutem usque ad Jubilæum, qua ratione & Meſſias

Pſ. 40.

Pſ. 40. Profitetur ſe ſervum, quia Deus aures ipſi perforaverat; qua de re legenda Jac. Altingii diſſertatio 6. in heptade ſeptima, Et Almeloveenius meus Amœnit. Theol-Phil. *pag.* 24. 25. 26. Pœnæ autem loco ſervis ſæpiſſime ſtigmata inuſta. Qua in re multorum dominorum crudelitas ſe exeruit, a qua eos deterrere conatus eſt Phocylides, hoc carmine. 214.

Στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονειδίζων θεράποντα.

Notas ne inſcribas, opprobrio afficiens ſervum.

De patre ſuo Bion philoſophus Boryſthenites apud Diogenem Laërtium narrat, eum in facie ſcripturam acerbiſſimi Domini habuiſſe. Servi ab Antiſtio Reſtione vinculorum pœna coërciti, & inexpiabili literarum nota, per ſummam contumeliam inuſti fidem laudat Val. Maximus, *lib.* 6. *cap.* 8. Talis ſtigmatias Ἀτταγᾶς Græcis dictus. Ariſtophanes in Avibus:

Εἰ δὲ τυγχάνει τις ὑμῶν δραπέτης ἐστιγμένος,
Ἀτταγᾶς οὗτος παρ' ὑμῖν ποικίλος κεκλήσεται.

Si quis e vobis erit fugitivus atque uſtus notis,
Attagen is ſane apud vos varius appellabitur.

Cæterum videndus Lipſius, *elect. l.* 2. *c.* 15.

Pergimus ad militaria, de quibus compendio egit Godſ. Stewechius, comm.

ad

ad Vegetium de re militari, *lib.* 2. *cap.* 5. cujus verba huc tranſſcribimus: Cer-
„ tum eſt milites punctis ſeu ſtigmatis ſi-
„ gnari ſolere. Quod etiam Accurſium
„ video non ignoraſſe, Inſt. de teſtam.
„ militis. Idemque in fabricenſibus fieri
„ ſolitum oſtendit Impp. Arcadii & Ho-
„ norii conſtitutio, C. de fabricenſibus,
„ lib. 11. *Stigmata hoc eſt, nota publica fa-*
„ *bricenſium brachiis ad imitationem tironum*
„ *infligantur, ut hoc ſaltem modo poſſint lati-*
„ *tantes agnoſci.* Notati autem milites pun-
„ ctis, ſeu notis, in manu, ut docet Jac.
„ Cujacius, ad dictam conſtitutionem,
„ & Turnebus *lib.* 24. adverſ. *cap.* 12. I-
„ dem probant epiſtolæ D. Gregorii, ex
„ quibus diſcimus conſtitutum fuiſſe, *ne*
„ *quis manu ſignatus, ante expletam militi-*
„ *am, in monaſteriis reciperetur.* Julianus
„ omnes Cæſarienſes clericos in nume-
„ ros militum adſcripſit, teſte Sozome-
„ no, *lib.* 5. *cap.* 8. Valens ut omnes mo-
„ nachi militarent, legem dedit, teſte
„ Diacono, *l.* 12. hiſtor. & Euſebii Chro-
„ nico. Sed redeamus ad notas. Aqua-
„ rios etiam ſeu hydrophylacas, cuſto-

„ diæ

„ diæ aquæductuum deputatos, nomi-
„ ne ſuo manibus ſingulorum impreſ-
„ ſo ſignari præcepit Imperator *Zeno.*
„ decernimus, C. de aquæductibus, *lib.*
„ 11. Hæc Stewechius. Addo hæc ex
„ Lipſio, *lib.* 1. de militia Romana: Ti-
„ rones jam captos compungebant, &
„ in cute ſignabant. Vera hæc ſtigmata
„ erant, & quidem manibus impreſſa
„ militum. Inſcribebatur autem nomen
„ Imperatoris: unde D. Auguſtinus *Re-*
„ *gium characterem* appellat, Chryſoſto-
„ mus σφραγῖδα. Duplex autem iſtis ri-
„ tus: & de ſervis, qui compungi ſole-
„ bant dominico nomine, ut agnoſceren-
„ tur: & de militibus, qui præferre Im-
„ peratorem. Petitum hoc videtur vel
„ ab eo, quod olim nomen Imperatoris
„ in ſcutis, haſtis, vexillis ſolitum in-
„ ſcribi, atque eo exemplo tunc in cute.
„ Vel a ſacris, quos enim Deo alicui con-
„ ſecrabant, & initiabant, hos ſtigma-
„ tibus inurebant. Potuit igitur exem-
„ plo quodam parvæ religionis primo
„ hoc induci, ut talis quaſi conſecratus
„ militiæ oſtenderetur, tum etiam ab hac

„ cau-

„ cauſa, ut agnoſci poſſet, nec latitaret. Atque hactenus etiam ex Lipſio.

Religionis, ſed κατωχρηςικῶς dictæ, adeoque potius ſuperſtitionis, cauſa, ſtigmata facta ſunt tum a gentilibus, tum a Chriſtianis. Apud gentiles hæc vel ordinaria erant vel extraordinaria. Ordinaria erant, quæ idololatræ plerique vel eorum ſaltem Prophetæ & Antiſtites, ut pote diabolo magis ſolenniter conſecrati, corporibus ſuis inuſta præferebant. De hodiernis gentilibus Cormandelenſibus ex Abrahamo Rogerio ſcribit Godefridus Carolinus, tractatu Belgico de ſtatu hodierni gentiliſmi, *lib*: 1. *cap*: 8. Illi qui ſectæ, quam *Romanouwa Weſtnouwa* vocant, nomen dederunt, in fronte quidem ſe figura quadam, inſtar literæ Pythagoræ Y ſignant, materia ex gypſo aut creta: Circa ſcapulas autem aliud ſibi ſtigma inurunt, quod ſolum ſibi ſufficere arbitrantur, adeo ut opus non ſit, alia etiam corporis membra quotidie novo ſtigmate inſignire. Brachmanes aures perforare pueris, quos in perpetuam ſervitutem Deo ſunt mancipaturi,

nota-

notavit Huetius, *demonſtr. Euang. propoſ.* 4. *cap.* 6. §. 2. Ad veteres redeo: Lucianus de miniſtris Deæ Syriæ conſecratis inquit: ςίζονται δὲ πάντες, οἱ μὲν ἐς καρποὺς, οἱ δὲ ἐς αὐχένας, καὶ ἀπὸ τοῦδε ἅπαντες Ἀσσύριοι ςιγματοφορέουσι. *Certis autem notis compunguntur omnes, alii quidem in vola manus, alii autem in cervice. Et inde eſt quod omnes Aſſyrii notis inſcripti prodeant.* Horum ſtigmatum meminit Primaſius locum Apoſtoli, *Rom.* 1. *v.* 24. explicans, ubi agitur de contumeliis, quibus idololatræ corpora ſua afficiebant, nam, inter alia, *ſibi characteres*, inquit, *& uſtiones infligunt in conſecrationibus idolorum.* Epimenidis cutis, autore Suida, *in Epimenides*, punctis variis inuſta, poſt mortem ejus, deprehenſa eſt. Qua ſuperſtitione etiam Joachimus Judææ Rex correptus videtur, memorantur enim abominationes ejus, & *quod in eo inventum eſt.* 2. *Chron.* 36:8. Raſchi notat: כתובת קעקע Vatablus autem: *Intelligunt ſtigmata quædam impreſſa corpori ejus, qualia imprimere ſolent impoſtores hominibus credulis & ſuperſtitioſis. Solebant ſibi imprimere notas idolorum quibus ſerviebant.*

Sic-

Sic etiam Judæi noſtri temporis ſolent ſibi quædam imprimere. Similia de hoc S. Hieronymus ſcripſit. Ex hujus antiqui moris reliquiis ortum videtur, quod hodieque Arabes frontem, genas, labia, brachiaque, cœrulei coloris notis, acu tenui factis tingant, inficiantque. Ejus vivum exemplum exhibuit nobis, vir Rev. & doctiſſimus, *Abrahamus à Waerden*, antehac eccleſiæ mercatorum Batavorum in urbe Smyrna, nunc autem Dotechemienſis eccleſiæ Paſtor vigilantiſſimus, noſter amicus, honoris cauſa hic nominandus, cujus brachium talibus etiam notis inſignitum eſt: qui idem ex Gabrielis Bremondi Galli narratione, Italica lingua conſcripta, nobis ſuppeditavit modum quo hæ notæ inuruntur. Scilicet: Hieroſolymis & Bethlehemi mos obtinet, ut peregrini, qui religionis cauſa ea loca adeunt omnes ſtigmate aliquo notentur. Fit hoc ab Arabibus Chriſtianis, artis illius gnaris, ſubſervientibus conventuum fratribus. Plurimas habent formas ligneas, quibus inſculpta vel imago cruci-fixi Servatoris, vel figura

 templi

templi in monte Oliveti, & ſimilia. Hinc pro lubitu ſibi quisque unam, pluresve eligit. Hæ nigro carbone inficiuntur, deinde brachio, vel alii corporis membro applicantur. tum ſiniſtra manu pelle detracta, acum duabus aciebus pungentem dextra tenent, hanc nigro colore tingunt, maximaque celeritate, juxta figuram corpori applicatam punctim puncta infligunt, unde color oritur cœruleus, non ſine dolore. Cum enim illa corporis pars compuncta intumeſcit, febris oriri ſolet, niſi quis ſui acurate curam gerat. Poſtea fellis bovini & ſmegmatis mixtura locus ille notatus inungitur, poſt biduum aut triduum cruſta decidit, & nota apparet, eaque indelebilis. Hæc Bremondus. Nos ad gentiles revertimur. De Sacerdote Cybeles ſtigmata recepturo ſic cecinit Prudentius, hymno X. periſteph.

Quod quum ſacrandus accipit ſphragitidas
Acus minutas ingerunt fornacibus:
His membra pergunt urere: ut igniverint
Quacunque parte corporis fervens nota
Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.

Audi-

Audiamus etiam in hanc rem amplum Philonis Judæi teſtimonium ex *lib.* I. de monarchia: ἔνιοι τοσαύτῃ κέχρηνται μανίας ὑπερβολῇ, ὡς οὐδ᾽ ἀναχώρησιν ἑαυτοῖς πρὸς μετάνοιαν ἀπολίποντες, ἵενται πρὸς δουλείαν τῶν χειροκμήτων, γράμμασιν αὐτὴν ὁμολογοῦντες, οὐκ ἐν χαρτιδίοις, ὡς ἐςὶ τῶν ἀνδραπόδων ἔθος, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς σώμασι καταςίζοντες αὐτὴν σιδήρῳ πεπυρωμένῳ, πρὸς ἀνεξάλειπτον διαμονήν. Οὐδὲ γὰρ χρόνῳ ταῦτα ἀμαυροῦνται. Id eſt: *Non deſunt quidam eo prolapſi inſaniæ, ut, ne receptum quidem ad pœnitentiam ſibi reliquum faciant, ad cultum ſimulachrorum præcipites ruant: confirmantes ſervitutem literis, non in chartula ſcriptis ſicut mos eſt mancipiorum, ſed inuſtis ferro ignito, ne deleri queant poſtea. Nam hæ nullo tempore obſcurantur.*

Charagmata hæc idoli, cui ſe conſecraverant, inſigne, vel notam aliquam hieroglyphicam exprimebant. Varia erant Deorum παράσημα vel inſignia: nam fulmen Jovem, galea vel haſta Martem, caduceus Mercurium, tridens Neptunum, hedera Bacchum ſignificabat. Hinc Ptolemæus Philopater juſſit Judæos omnes, a religione patria deficientes χαράττεσθαι παρασήμῳ Διονύσου, κισσοφύλλῳ *nota-*

ſigni Liberi patris, hederæ folio, lib. 2. Maccab. 2. v. 21. Ipſe etiam Ptolemæus Philopater cutem propriam hoc Bacchi charactere notandam præbuit, prout Etymologici-ſcriptor his verbis docuit; Γάλλ@, ὁ φιλοπάτωρ πτολεμαῖ@. διὰ τὸ φύλλοις κιοσῦ κατεςίχθαι, ὡς οἱ Γάλλοι. *Gallus, Philopater Ptolomæus, quod ei, ut Gallis ſolet, hederæ folia imprimerentur.* Ad hunc ritum alludere videtur Johannes, Apoc. 14. v. 1. ubi ſervi Dei deſcribuntur, *habentes nomen Agni, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.* Servi autem Antichriſti, ejus characterem habent in manu dextra vel fronte. *Apoc.* 13. *v.* 16. Huc facit & locus Prophetæ Zachariæ, cap. 13. v. 6. *Quæ ſunt plagæ iſtæ* (iſtæ notæ & ſtigmata) *in medio manuum tuarum? Et dicet, his plagatus ſum, in domo diligentium me.* Grotius παραφράζει, *hæc ſtigmata non ad Deum quemquam pertinent, ſed ad honorem alicujus potentis, qui me ut clientem ſuum dilexit, & cujus patrocinio me dedi.* Huc etiam LXX. Interpp. reſpexiſſe videntur, dum verba Eſaiæ, cap. 44. v. 5. *Hic ſcribet manu ſua Domino*, ſic tranſtulere: ἐπιγράψει τῇ χειρὶ αὐτοῦ

ἑαυτοῦ, τοῦ θεοῦ εἰμι. *Scribet in manu ſua*, DEI SUM. Sicut nempe milites Imperatorum, ſervi dominorum nomen manui inſcriptum gerebant.

Hinc Paulus ſermonem de ſuo ſtigmate *Gal.*6.*v.*17. tranſtuliſſe videtur. Atque hæc de ſtigmatibus religioſis ordinariis. Extra ordinem veteres illi idololatræ corporibus ſuis ſtigmata inurebant amicorum manibus parentantes. Quamvis autem hujus ſtigmatis nulla, quod ſciam, apud Græcos latinosve ſcriptores mentio occurrat, omnesque hi Moſe ſint longe recentiores: facile tamen eſt hunc morem gentium colligere ex lege Dei circa funera, quam Moſes promulgavit Deut. 14. v. 1. *Filii eſtis Jehovæ Dei veſtri: ne incidite vos, neque inducite calvitium inter oculos veſtros propter mortuum.* Item, Lev: 19. v: 28. *Neque cæſuram pro ullo mortuo inditote carni veſtræ, & inſcriptionem ſtigmatis ne imponite vobis.* Cur enim Deus legem illam de hoc ſtigmate tuliſſet, illamque alteri, contra ritum corporis incidendi & laniandi apud gentes uſitatum, conjunxiſſet, niſi talia inter idololatras

 tras

tras uſurpata fuiſſent? Nunc addam hujus legis interpretationem, quam ex Talmudis codice Maccoth: *cap.* 3. §. 6. propoſuit Maimonides, de idololatria, *c.* 12.

כתובת קעקע האמור בתורה הוא שישרט על בשרו וימלא מקום השריטה כחול או דיו או שאר צבעונים הרושמים וזה היה מנהג גוים שרושמין עצמן לעבודה כום כלומר שהוא עבד מכור לה ומורשם לעבודתה ומעת שירשום באחת מדברים הרושמין אחר שישרוט באיזה מקום מן הגוף בין איש בין אשה לוקה; *Scriptum ſtigmatis cujus in lege mentio fit, appellatur, quando quis inciſa carne ſua inciſuram implet fuco, atramento, vel aliis, quibus pingitur, coloribus. Hunc enim in modum ſolent gentiles, in honorem idoli, notare ſervum, eo indicantes, illum venditum, culturæque ergo ſignatum. Simulatque vero nota ejusmodi inſignis erit Iſraëlita; quacunque id corporis parte fuerit, ſeu vir, ſeu mulier, vapulat.* Eodem pertinet & §. 11. quam propterea non omittam.

כתב ולא רשם בצבע או שרשם בצבע ולא כתב בשריטה פטור עד שיכתוב ויקעקע שנאמר וכתובת קעקע בדא בכותב אבל זה שכתבו בבשרו וקעקעו בו אינו חייב אלא אם כן ס״ע נכרי שעשה מעשה אבל אם לא עשה כלום אינו לוקה *Si quis ſe inciderit nec colore infecerit, vel infecerit quidem nec tamen inciderit, liber eſt, usque dum & inciderit, & infecerit.*

cerit. Quia dicitur, Scriptura ſtigmatis. *Quod accipiendum de eo qui inſcribit. Sed is cujus carnem alii inſcripſerunt, & inciderunt, niſi ipſe in eo adjuverit, reus non eſt. Si nihil ipſe egerit non vapulat.*

Nunc porro & Chriſtianos videamus, apud quos ſtigmata religioſa invenio, vel ſuperſtitioſa, vel fabuloſa. Superſtitio maxime circa ſignum crucis invaluit. Veteres quidem Chriſtiani inter ethnicos habitantes, qui ipſis crucem Chriſti, gentibus ſtultitiam, tanquam rem ignominioſam objiciebant, frontes ſuas hoc ſigno notabant, quo ſe de ea gloriari, tanquam honorificentiſſima, teſtarentur: quod nihil aliud erat quam fidei ſuæ confeſſionem edere, & quanti paſſionem Chriſti facerent teſtari. Auguſt. de verbis Apoſt. ſerm. 8. *De cruce Chriſti nobis inſultant ſapientes hujus mundi, & dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum? Apprehendat Zachæus ſycomorum, aſcendat humilis crucem: parum eſt aſcendat, ne de cruce domini erubeſcat, in fronte eam figat, ubi ſedes pudoris eſt: ibi omnino, ibi in quo membro erubeſcitur, ibi figatur unde non*

erubeſcitur. Ante Conſtantinum M. in uſu fuit ſignum crucis impermanens: Is labaro crucis figuram habenti, nomen Chriſti, adjecit, viſione, ut narratur, monitus. Deinde, percuſſis ſuperſtitione animis, Carpocratiani hæretici, eousque proceſſerunt, ut non tantum imagine crucis initiandos ſignàverint, ſed & cauterio quibusdam in corporis partibus illud inuſſerint, teſte Irenæo, *lib.* 1. *cap.* 24. & Epiphanio, *hæreſi*, 27. Paulus Jovius, *lib.* 18. hiſtoriarum ſui temporis, de Abyſſinis, ſubditis Preteiannis, narrat, eos ſacro quidem baptiſmatis fonte ablui, ſed etiam aliqua ex candenti ferro ſtigmata fronti ſuperaddere; nec Hebraicæ conſuetudinis oblitos decidere præputia, & e pudendis mulierum carunculam etiam præcidere. videndi *Steweeh. ad Veget. de re milit. lib.* 2. *cap.* 5. *Merul. in theſauro temporum*, *Belg. ad annum.* 1187. *Scultet. ad Luc.* 3. *v.* 16. Nec deſunt qui his notis excuſationem & patrocinium quærant. Circumciſioni quidem quod ea utantur, non tanquam re aliqua a lege præcepta, quaſi, Judæo-

dæorum inſtar, diſcrimen legis & Euangelii non agnoſcerent: ſed tantum propter cauſam politicam, videlicet ut in corpore ſuo geſtent notam nobiliſſimæ ſuæ originis inde a Davide, ad cujus filium Salomonem Regina Sabæa ſe contulerat, a quo tempore, antequam Chriſtianiſmo nomen dediſſent, hunc circumciſionis ritum obſervaverint; quomodo & Herodotus quosdam Æthiopes circumciſos narret. Nec eis hoc magis vitio verti poſſe, quam ſi quis a carne ſuilla, in lege interdicta, ex conſilio medici abſtineret, aut Chriſtianis ſi eundem feſti Pentecoſtes diem cum Judæis obſervarent. Alteram autem notam, ſtigma ſcilicet crucis cauterio inuſtum frontibus & brachiis infantum, hoc argumento defendunt, quod hac ratione Chriſtianos a Mahumetanis diſtinguant, ut Chriſtiani agnoſci poſſent; & ſi forte a religione deficiant, apoſtaſiæ ſuæ notam gerant. Eos tamen falſo traduci, quaſi igne baptizent.

Fabuloſa pluria ſequioris ævi hiſtorici prodiderunt de ſtigmatis, quibus etiam

in corpore notati fuerint illi qui pro ſanctis populo obtruſi ſunt, quales Ignatius, aliique. Quosdam recenſet Toloſanus. *lib.* 16. *de Republ. cap.* 3. Fabulatorum omnium impudentiam ſuperat fabula blaſphema, de Franciſco Jeſu typico, ſtigmatizato illo idolo, quod quinque Chriſti Jeſu vulneribus inſignitum eſſe clamitant ejus clientes, vide quæ ex libro conformitatum *fol.* 228. 229. excerpta ſunt in Alcorano Franciſcanorum, & ab Hoſpiniano, de origine Monachatus, *lib.* 5. *ſive Claſſe*, 3. *cap.* 13. Unum tantum adjiciam carmen Horatii Turſellini, de his Franciſci ſtigmatibus, quod habet Antonius Poſſevinus, in Biblioth. ſelecta, lib. 17. cap. 27.

Exue Franciſcum tunica, laceroque cucullo:
Qui Franciſcus erat, jam tibi Chriſtus erit.
Franciſci exuviis (ſi qua licet) indue Chriſtum.
Jam Franciſcus erit, qui modo Chriſtus erat.
Quid cæleſtis amor non audes? fingis amantes
Arte nova, effigies ut ſit amantis amans.

Rectius de iſto monachorum idolo alius quidam cecinit:

Quid Franciſce, tuo monſtras in corpore Chriſti
Vulnera? mentiris, ſtigmata Ditis habes.

Solenne

Solenne feſtum ſacris ſtigmatibus S. Franciſci dicatum, toti ordini colendum conceſſit Benedictus XII. *Hotting. hiſt. Eccleſ. N. T. part.* 3. *pag.* 791.

Simile quid narrat Richardus Bakerus, in vita Henrici III. Angliæ Regis, de nebulone, qui quinque ſtigmatibus inſignitus *Chriſtum* ſe nominavit, comitem habens mulierem fanaticam, quæ ſe *Mariam* dicebat, ſed parietibus ſepti hi quidem interiiſſe dicuntur. In theatro autem Regum, lingua Belgica edito a Nicolao Clerico, 1615. invenio blaſphemum hunc, a concilio Oxonii habito, damnatum & crucifixum eſſe. De Anti-Franciſco ſtigmatifero Joh. Ietzero in ordine Dominicanorum apud Bernenſes, præ aliis legendus Hottingerus, *hiſt. Eccleſ. N. T. part.* 5. *pag.* 334.-413.

Superſunt tandem ſtigmata, quæ Magis a diabolo, tanquam ſuis mancipiis imprimi dicuntur, quorum exemplum occurrit in annali tertio Baudartii noſtri, in hiſtoria Ludovici Gaufredi, qui non tantum ſe ſtigmatum eſſe narrat, ſed & alios, imprimis Magdalenam quandam

variis

variis ſui corporis partibus diabolicas notas accepiſſe. De his ſcribit Jacobus VI. Magnæ Britanniæ Rex, dæmonol. lib. 2. cap. 2. *Facit diabolus, ut iſti Deum ipſorum Baptismumque directe abnegare non vereantur, certamque ſui notam quandam in partibus corporis ſecretis imprimit: quæ tantiſper cruda, patens & hians ſine cicatrice relinquitur, dum proxime ſibi rurſus obvii ſint facti: ex eoque tempore nota illa ipſos dolore nullo prorſus afficit, quantumcunque vellicetur, tundatur aut prematur: id quod quotidie ſic ſe habere probatur. Ita vero diabolus cum illis agit, ut eis certo perſuadeat, quod quemadmodum notam illam ipſis imprimendo, dolore eos afficere, eundemque rurſus ſedare potuit, ita quoque omne id quod poſt tempus illud, vel bene vel male faciant ab eo totum dependere concludant.* &c. De his ex libello conjurationum hæc recitat & rejicit Wierus de Magorum pœnis, qui eſt *lib.* 6. de præſtigiis dæmonum. cap. 9. *Conſidera maleficam in fronte illius, quia diabolus abradit eam cum ungula poſt conſenſum ad delendam ſacram unctionem baptiſmatis, ita ut ſtigma in fronte gerat: id quod tamen ſemper*

per, quantum poteſt, cum peplo velare nititur. Audiamus tandem Joh. Bodinum, dæmonom. lib. 2. cap. 4. *De notis tam certum eſt quam quod certiſſimum, & ordinarie judicum oculis compertum, niſi in locis abditiſſimis occultentur. His inter labia, illis ſub palpebris, aliis in ſede ſi metuunt retegi, plurimum ad dextrum humerum, fœminis vero ad femur, ſub axilla, aut in genitalibus.* Hæc pluribus exemplis confirmat, quæ adſcribere non eſt neceſſe. Eorum autem fides penes auctores eſto.

DISSERT. NONA, DE SCRIBIS.

Scriptores antiquiſſimi Moſes, Joſua, Samuel. מחוקק כהן *Prophetæ. Ezras. Scribæ notarii. Lectores. Non ex ſolis Levitis, ſed ex toto Iſraële. Diſcrimen* γραμματέων *&* Νομικῶν *Phariſæi. Sapientes.* Νομοδιδάσκαλοι. *Locus* Matt. 9. v. 3. *De Scribarum inſtitutione ſen-*

tentiæ

tentiæ variæ. Eorum in ligando & ſolvendo poteſtas. Locus Matth. 16. v. 19. *Claves veterum quales? non tantum circa Doctrinam, ſed etiam circa perſonas clavium poteſtas verſatur. Scribæ in aula. In politia Iſraëlitica, horum gradus & officia.* שטרים γραμματοεισαγωγεῖς. Ἐισαγωγεῖς, *apud Græcos. Scribæ ſynedrii. Scribæ militares. Privati. Baruch. Kinæi. &c. Quinam exciſo templo? Apud Ægyptios literarum ratio triplex. Magi. Jannes & Jambres. Sacerdotes* γραμματεῖς. *pœnæ falſariorum. Scribæ Perſarum, Xerxis, Ahaſueri. Apud Athenienſes. Locus* Act. 19. v. 35. *Æſchines Demoſthenis adverſarius. Scribarum gradus & officia.* πράκτωρ. Luc. 12. v. 58. *Apud Thebanos, Macedonas. Romanorum Scribarum decuriæ. Corn. Nepotis cum Cicerone conciliatio. Scribæ*

bæ Pontificum, Imperatorum. Graetzen. *Scribæ Senatus. Terentius corax. Perſei filius.* ταχυγράφοι. *Scribæ Cenſorum, Ædilium, Quæſtorum,* γραμματικοί. *In bello, actuarii teſſerarii, Laterculenſes, notarii. Scriba navalis. Scribæ publicanorum. Privatorum. Ciceronis Tullius Laurea & Tiro. Horatius an ſcriba? notarii in itinere. Chriſtianorum ſecretarii, cancellarii, Silentiarii, Clerici.*

DE Scribis multa a multis ſcripta quis miretur? cum & a ſcribis multa ſcriptitata ſint, quæ & aliis ſcribendi materiam præbuerunt. Horum laboribus & rerum geſtarum memoria, & omnis artium & ſcientiarum cognitio ad abſentes & poſteros propagata. Ideoque nemo paulo humanior indigne feret, ſi hac ſcriptiuncula & ego, poſt alios, quædam de ſcribis conſcribillem. Horum apud gentes non omnino barbaras pluri-

mus

mus & uſus, & utilitas, ut apud Hebræos, Ægyptios, Perſas, Græcos, Romanos, quos videbimus, de aliis minus ſolliciti.

Adamum, Sethi poſteros, Enochum ante diluvium, deinde Abrahamum & patriarchas, imo & Ægyptios ante Moſem ſcripſiſſe quis dubitet? vide Saldeni *Otior. theolog. lib.* 1. *exerc.* 1. Nunc autem nullum ſcriptorem habemus Moſe antiquiorem. Mitto fabulas Judaicas, de lege ante mundi creationem ſcripta, de ipſo Moſe Aharoni, Joſuæ, & ſenioribus legem oralem tradente, quæ legi poſſunt in Hoornbeeckio, contra Judæos, *lib.* 1. *cap.* 1. Moſem mandato Dei hoc egiſſe liquet, Exod. cap. 17. v. 14. *Edixit Jehova, inſcribe hoc monumentum libro.* & cap. 24. v. 4. *Scripſit Moſe omnia verba Jehovæ.* Sic Deut. 31. v. 24. *Abſolvit Moſe ſcribere verba legis hujus in libro, usque ad finem illorum.* Ideoque ספרא רבא *Scriba magnus* dicitur in Targum, *Cant.* 1. *v.* 4. Illius ſucceſſor Joſua, cap. 24. *v.* 26. *Scripſit verba iſta in libro legis Dei.* Samuel quoque jus regni de ſcripſit,

ſcripſit, &c. coram facie Dei depoſuit: 1. *Sam.* 10. *v.* 24. Sed hi Græcis rectius γραφεῖς, quam γραμματεῖς dicerentur: non enim ſcriptorum authores, ſed Dei amanuenſes θεόπνευστοι fuerunt; ſaltem S. Scriptura verbo כתב de illis utitur. Titulo ספרים quo de hic agere animus eſt, nusquam inſigniuntur.

Hoc nomen non alicujus hæreſeos fuit; ſiquidem ex quibuslibet ſectis סופרים fuerunt: non ex ſolis Phariſæis, quod putavit Baronius, caſtigatus propterea à Caſaubono, *exercit.* 1. *pag.* 52. Munus autem denotavit inſervientium tum publico, tum privatis.

Publici ſcribæ vel Eccleſiaſtici erant; vel Politici: Sicut & nomen כהן in duplici ſignificatu reperitur: Hoc enim interdum ſacrum munus notat, & redditur per ἱερέα, interdum politicum & vertitur per αὐλάρχην. 2. *Sam.* 8. *v.* 18. Vox מחקק *Gen.* 49. *v.* 10. ab Onkelo, Jonathane, interprete Hieroſolymitano per Scribam; ut & ab Abenezra vertitur: & tribuitur Politicis, Pſal. 60: 9. & 108: 9. *Juda legiſlator meus.* & Jeſ. 10. v. 1. הוי החקקים *væ*

cernentibus decreta iniquitatis, & ſcribentibus ærumnam. Sic Jud. 5. v. 9. *Cor meum* לחקקי ישראל Deinde & Eccleſiaſtici intelliguntur. Num. 21. v. 18. *Puteo, quem foderunt Principes, quem effoderunt ingenui populi* במחקק *cum legis doctore, ſeu Scriba, ſuis ſciptionibus.* Obſervanda hic eſt τριχοτομία in tribus paſtoribus, *Zachar.* 11. *v.* 8. ubi primum locum occupat ער *vigil,* qui Judices notat: ſecundum ענה *reſpondens,* legis Doctor, qui ſuper dubiis conſultus reſpondet: tertium מגיש מנחה *munus offerens,* Sacerdos. *vide Mal.* 2. *v* 12.

Cæterum Scribæ Eccleſiaſtici etiam נבאים Prophetæ, ut 1. Sam. 10. *Num & Saul inter Prophetas?* בנבאים Jonathan vertit, בספריא. Et 1. Sam. 19. v. 20. הנביאים נבאים *Prophetarum prophetantium.* At & hic Jonathan vertit ספריא משבחין *ſcribarum laudantium.* De horum officio quædam legimus apud authorem libri de vita & morte Prophetarum, qui Dorotheo tribuitur, omnes Prophetas præter Davidem & Danielem, vaticinia ſua non ipſos commendaſſe literis; ſed ſcribas qui in templo erant, ea quotis quibusque diebus

ex

ex vaticinantium ore excepiſſe: quæ cum alia atque alia eſſent, & prout cœleſtis ſe dabat ille ſpiritus, diſſipato & indigeſto ordine funderentur, ita a ſcribis in libros fuiſſe relata. Hæc partim vera eſſe, partim aliter ſe habuiſſe judicat. Huëtius, *demonſtr. Euang. de prophet. Jer.* §. 3. Plures enim quam quos notat Pſeudo-Dorotheus ſuas ipſos prædictiones ad poſteritatis memoriam deſcripſiſſe arbitratur; nec omnium, qui hanc aliis reliquerunt curam, prophetias a ſcribis illis fuiſſe ſcripto conſignatas. Hoc certius, vocem סופרים & *γραμματέων* aliquando uſurpari de librariis & notariis, *Pſ.* 45. *v.* 2. qui legem cum cura deſcribebant, ut notavimus in noſtro de bibliothecis libro ſingulari, *cap.* 3. *ſect.* 2. Paſſim vero tanquam dignitatis in eccleſia nomen occurrere, ac notare peritum legis interpretem, cum de Ezra dicitur, *cap.* 7. *v.* 6. 11. 21. *Nehem.* 8. *v.* 2. 5. 10. quem nos Theologum vocamus. Quoniam autem ad populum pro concione agebant, *ἀναγνῶσται lectores*, dicti ſunt, ut Eſdras, *l.* 3. *c.* 9. *v.* 39. 42. 50. De Judæ-

orum conſuetudine narrat Jacobus, *Act.* 15. *v.* 21. Μωσῆς ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος. Jeſus, in ſynagoga Nazaretana, ad populum verba facturus ἀνέστη ἀναγνῶναι. *Luc.* 4. *v.* 16. Et legiſperito hoc ingeſſit, *Luc. cap.* 10. *v.* 26. πῶς ἀναγινώσκεις; vide D. Heinſ. exercit. ad utrumque hunc Lucæ locum, & Suiceri theſaurum in vocibus Ἀνάγνωσις, ἀνάγνωσμα, ἀναγνώστης. Quæ porro ad εὐταξίαν eccleſiæ ſpectantia ab illis in literas redacta fuerint, in libro noſtro de Bibliothecis, *cap.* 3. *ſect.* 3. legi poſſunt.

Nec neceſſe erat hos originem derivare ex tribu Levi: fuerunt enim e qualibet tribu, alebanturque ad ſtudium legis Dei ſive in ſcholis, apud diſcipulos, ſive in ſynogogis ad populum exponendæ. *Syrac. cap.* 38. *v.* 25, 26. Σοφία γραμματέως ἐν εὐκαιρίᾳ σχολῆς, καὶ ὁ ἐλαττούμενος πράξει σοφισθήσεται. Τί σοφισθήσεται ὁ κρατῶν ἀρότρου, καὶ καυχώμενος ἐν δόρατι κέντρου; *Sapientia Scribæ exiſtit per opportunitatem otii, & qui minus habet negotii ſapiens fit. Quo pacto ſapiens fiat qui tenet aratrum, & gloria-*

tur

tur in haſtili ſtimuli? Certe, qui primi a Moſe conſtituti ſunt, ut omni tempore populum judicarent, ex *toto Iſraële* fuiſſe dicuntur. *Exod.* 18. *v.* 25, 26. Et qui mox ſcriptam legem cuſtodire, & coram toto Iſraële legere jubentur, iidem erant ex *omnibus ſenioribus Iſraëlis*. Deut. 31. v. 9. Et qui Judices a Joſaphato Rege conſtituuntur ad judicia Jehovæ, & ad lites itidem ex primoribus paternarum familiarum Iſraëlis, 2. *Chron.* 19. non ex ſolis erant Levitis. Cum autem & Scribæ decimas ſolverint, eos non neceſſario ex ſacerdotum aut Levitarum ordine fuiſſe collegit Beza, *ad Matth.* 23. *v.* 23. qui decimas ex lege capiebant. *Heb.* 7. *v.* 9. Dices, Moſen peculiari privilegio ornaſſe tribum Leviticam, *Deut.* 33. *v* 10. cum de ea pronunciat: *Docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Iſraëlem.* Verum num reliquas tribus excluſit? dum huic præ cæteris excellentiam tribuit, id alteri non illico negatur. Excellens hoc fuit & præcipuum Levitarum, quod diſperſi in Iſraële, & quaſi a curis omnibus ſepoſiti, portionem in terra non ha-

bentes, ex decimis & oblationibus victitantes, diligentius ſcripturis incumbere, easque ubique docere poterant. Sed idem tamen alii & poterant, & faciebant. Dominus Jeſus publice in templo, in ſynagogis docuit, qui ex tribu Judæ, nec unquam illi objectum, quod non Levita doceret. Similiter Paulus in ſynagogis docuit, qui ex tribu Benjaminis, nec iſto prætextu unquam rejectus eſt. Certum eſt alios etiam præſediſſe & judiciis & legi: Et qui ex alia fuit tribu, ſummum judicem appellari: Joſua ex Ephraimo fuit, Othoniel ex Juda, Ehud ex Benjamine, Barakus ex Nepthali, Tola ex Iſſaſchare, Elon ex Zabulone, Simſon ex Dane, Jair ex Manaſſe. Leges & Altingium, *Schilo*, *lib.* 3. *c.* 15.

Conſiderandum nunc porro diſcrimen *γραμματέων* & *νομικῶν*. qui in eo quidem conveniebant, quod utrique legem tractarent, quomodo autem differrent alia aliorum ſententia eſt. Chriſtus *Luc.* 11. *v.* 46. Scribas & Phariſæos a Legiſperitis diſtinxit, cum enim Scribis & Phariſæis horrendum illud *Væ* denuntiaſſet, ſubdit;

ſubdit; καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς καί. ubi illud καὶ emphaticum eſt. Præterea cum increpuiſſet ſcribas & Phariſæos, reſpondit quidam ex legiſperitis: Magiſter hæc dicens, nobis etiam facis contumeliam; ubi notandum illud, *etiam nobis*, q. d. non modo Phariſæis & ſcribis, ſed *nobis etiam*, quæ verba nihili forent, niſi legiſperiti alii eſſent, alii ſcribæ. Genebrardus inter Scribas & Phariſæos, hoc intereſſe dicit, quod Phariſæi Theologis reſpondeant, qui penitius myſteria ſcripturarum ſcrutantur: Scribæ autem canoniſtis, quia leges civiles & Moſaicas ſecundum legis corticem curabant. Quam opinionem Beza accurate caſtigat, annotationibus, *ad Matth.* 2. *v.* 4. Verum nec omnes Scribæ Phariſæi, nec omnes Phariſæi Scribæ; hoc enim officii, illud hæreſeos nomen. Sed hoc nunc non agimus. De differentia Scribarum & legiſperitorum ita videtur Cameroni, *oper. tom.*. 3. *pag.* 45. 46. ſcribas quidem fuiſſe legis interpretes, ſed qui publice legem in ſynagogis interpretabantur, qui fungebantur munere eccleſiaſtico. Νομικοὶ

vero ii fuiſſe videntur, quos Hebræi חכמים *Sapientes* vocant: qui legem quidem interpretabantur, ſed in ſcholis privatim. Quod videtur poſſe colligi ex verbis Chriſti, Luc. 11. v. 25. *Væ vobis legiſperiti, ſuſtuliſtis enim clavem ſcientiæ.* Nam olim inſigne doctoratus apud Judæos fuit clavis cum pugillaribus. Itaque de quodam R. Samuele ſcripſerunt, eo mortuo (quod filium non haberet) clavem ejus & pugillares in arca fuiſſe reconditos. Verba eorum ſunt: נתנו מפתחו ופנקסו בארונו מפני שלא זכה לבן hoc eſt, *poſtquam mortuus eſt, poſuerunt clavem ejus & pugillares ejus in locula ejus, eo quod non haberet filium.*

Hanc Cameronis ſententiam rejicit Frid: Spanhemius in dubiis Euangelicis, judicans idem ſæpe ſignificari per γραμματέας, νομικοὺς, & νομοδιδασκάλους. Et ſi τῶν γραμματέων nomenclatio latior ſit τῶν νομικῶν, quia illi ſæpe munere politico fungebantur, iſti ſacro tantum: legis expoſitioni, & iis quæ ab ea dependebant in ſolidum vacantes. Omnes ergo νομικοὶ Scribæ, ſed non contra. Ideoque nec arridet

Fidet eidem viro Clariſſ. duplex diſtinctio Joſephi Scaligeri, qui primo quidem contendit νομοδιδασκάλους dictos fuiſſe illos, qui legem interpretabantur: νομικοὺς vero formulas juris præſcripſiſſe, & actiones civiles docuiſſe, & forenſia magis tractaſſe, & ob id vocatos γραμματεῖς, quia hoc proprium τῶν γραμματέων. cui ſententiæ calculum Spanhemius non apponit; quia horum & nomina promiſcue uſurpantur, & prædicata de νομικοῖς etiam ſcribis impingantur. *Matth.* 23. *v.* 4. 13. *Luc.* 11. *v.* 46. Deinde cum Scaliger duplicem conſtituat ſcribarum claſſem, diſtinguens γραμματέας τοῦ λαοῦ, & γραμματέας τοῦ νόμου, illosque dicat fuiſſe actuarios publicos, hos legis interpretes; judicat Spanhemius hoc diſcrimen probari non poſſe: quia ſcriptura non meminit γραμματέων τοῦ νόμου, ſed vel γραμματέων tantum, vel γραμματέων τοῦ λαοῦ, qui & ab Herode, *Matth.* 2. conſuluntur, ut periti legis, non ſuper negotio forenſi, ſed in re ſacra, & a legis tantum & prophetarum gnaris petenda, ubinam Chriſtus naſciturus eſſet. Verum ſi omnino diſtinctio

hos inter quærenda ſit, duplicem hanc admitti poſſe judicat, quarum prior contrariatur ſententiæ Cameronis, *cujus ſupra meminimus.* Nam dicit Scribas fuiſſe homines θεωρητικοὺς contemplationi legis & quæſtionibus theoreticis potiſſimum vacantes: Νομικοὺς vero quæſtionibus practicis, & actui rerum deditos fuiſſe. Alteram in eo poni poſſe judicat, quod νομικοὶ illi Scribæ dicti fuerint, qui tantum legi erant affixi, nec Majorum δευτερώσεις curabant. Γραμματέας autem eos fuiſſe Scribas, qui, juxta Epiphanium, *Hæreſ.* 15. in enarrationem legis introduxerant περιττὴν τινὰ σοφιστικὴν, οὐ κατὰ νόμον μόνον βιοῦντες, ἀλλὰ περισσότερον. qui ſcilicet ſectæ Phariſaicæ addicti fuerunt.

In huic oppoſitam ſententiam abiit Jac. Altingius, Schilo, *lib* 4. *cap.* 8. hic νομικοὺς judicat eſſe δευτερωτὰς, חכמים qui in בית תלמוד *domo doctrinæ* miſchnam & δευτερώσεις tradebant: γραμματεῖς autem qui in בית ספר domo ſive auditorio textuali docebant, bibliorum expoſitioni vacantes. Conjungi ſæpius in N. Teſt. γραμματεῖς καὶ φαρισαίους, quia ſub iſtis nominibus utrumque

que doctorum genus comprehenderetur. Studiorum autem differentiam, ex Th. Godwini Moſe & Aharone, *lib.* 1. *cap.* 6. obſervat idem Altingius, quod, *in Matthæi cap.* 9 *v.* 3. γραμματεῖς Jeſum blaſphemiæ accuſent, ceu legi ſcriptæ adverſantem: Phariſæi autem, *v.* 11. violatarum traditionum reum peragant. Verum quanti hæc obſervatio facienda ſit ex Lucæ *cap.* 5. *v.* 21. & 30. manifeſtum, ubi in utroque illo Scribas & Phariſæos iisdem ſtudiis & verbis conveniſſe narratur.

Scribas autem in novi teſtamenti libris legiſperitis & Phariſæis paulo commendatiores eſſe colligere ex eo eſt, quod Chriſtus nunquam Legiſperitis doctoribus aut Phariſæis confertur: confertur autem ſcribis, *Matth.* 7. *v.* 29. Idem Scribarum interpretationem per diſcipulos propoſitam probat, *cap.* 17. *v.* 10. Doctoribus item a ſe mittendis Scribarum nomen tribuere veritus non eſt. *Matth.* 23. *v.* 34. Denique optimum theologum deſcribens, eum Scribam nominat, *Matt.* 13. *v.* 52. contra Phariſæos & legiſperitos ubique fere perſtringit. *vid. Alt. lib cit.*

Scri-

Scribarum originem ac inſtitutionem alii ad promulgationem legis in monte Sina referunt, quod hac tradita ſcribis deſcribentibus, prælegentibus, interpretantibus opus fuerit: Alii ad Joſaphatum deſcendunt, qui Sacerdotes & Levitas, ad docendum populum per civitates miſit: alii denique poſt captivitatem Babylonicam ortos volunt, vel circa illa tempora, quando prophetiæ donum in Malachia expiravit, Sacerdotes cœpere plus negotiis politicis vacare, quam meditationi legis, vel inſtitutioni plebis. Itaque hanc ſacri miniſterii partem reſervatam fuiſſe certo hominum generi, qui טפרים dicebantur, hoc eſt, expoſitores & interpretes leges. Vel introductos a Schammai & Hillel, ſectarum inter Judæos capitibus. *Vid. Spanh. tom. 2. dub. Euang.* 38, 39, 40. §. 12, 13, 14. Alting. Schilo. *lib.* 4. *cap.* 7, 8. Quæ porro tum ὀνοματολογίαν τῆς כפרים tum autoritatem eorum, ordinem item ac veſtitum ſpectant in eodem Spanhemio & Hott. theſauro Philol. *pag.* 74, 75, 76. legi poſſunt. Unum ſupereſt de eorum in ligando

do & ſolvendo poteſtate, cujus, non ſine juſta Scribarum reprehenſione, meminit Servator, *Matthei*, *cap.* 23. *v.* 4. Δεσμεύουσι φορτία βαρέα, καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων. τῷ δὲ δακτύλῳ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά. *Ligant onera gravia, & portatu difficilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem ſuo eadem movere nolunt.* Quæ & legiſperito exprobrat idem, *Luc.* 11. *v.* 46. Hanc poteſtatem & Apoſtolis conceſſit Chriſtus, *Matth.* 18. *v.* 18. quam elegantiſſima clavium metaphora illuſtrat *Matt* 16. *v.* 19. Δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς: Καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσαι λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Quid? an ligare & ſolvere non potius ad vincula, quam ad claves pertinet? Quin ergo antiquiſſimum clavium rationem conſideramus? Harum, teſte Euſtathio, recentior inventio eſt, earum loco vinculis uſi ſunt veteres. Ἀρχαῖοι δεσμοῖς κατησφάλιζον τὰς θύρας, καὶ τὰς κιβωτοὺς, ἦσαν δὲ δρεπανοειδεῖς. *Veteres vinculis oſtia & arcas muniebant, quæ falcis figura dentata erant.* Huc forſitan pertinet quod ſcribit Plinius, lib. 33. cap. 1. *Con-*

ditas

ditas arcis veſtes Homerum indicare, ac vaſa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non annuli nota. Quanquam non vaſa invicem colligata indicet Homerus, ſed arcam, in qua erant veſtes & vaſa, poſito operculo fuiſſe colligatam firmiſſimo nodo, nequis ex ea quid ſubriperet. Sic enim Arete offerens arcam compellat Ulyſſem, Odyſſ. Θ. v. 443. 444. 445.

Αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα. θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον,
Μή τίς τοι καθ' ὁδὸν δηλήσεται, ὁππότ' ἂν αὖτε
Εὕδῃσθα γλυκὺν ὕπνον ἰὼν ἐν νηῒ μελαίνῃ.

Tu ipſe nunc vide operculum, ſtatim vero vinculum circumliga,
Ne quis tibi in itinere damnum afferat, cum forte
Dormieris dulcem ſomnum profectus in nave nigra.

Cui mox paret Ulyſſes, præligans arcam, nodo multiplici, quem Circe docuerat.

Αὐτίκ' ἐπήρτυε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε,
Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη.

Statim aptavit operculum, celeriter autem vinculum circum ligavit
Varium, quod olim ipſum docuit ingenio veneranda Circe.

Clavium etiam meminit Homerus, quas ἱμαντώδεις vocat non quod lori inſtar facile

cile flecti poſſint, ut nonnullis placere video, nam materia, æs ſcilicet, dura, flecti non poteſt, Odyſſ. Φ. v. 7.

Κάλη, χαλκείη. Κώπη δ' ἐλέφαντος, ἐπῆεν.

Verum quod feræ inſerta circumagi facile poſſet. Clavi autem lorum ſive vinculum additum invenio, apud eundem Homerum, Odyſſ. Δ. v. 802.

Ἐν θάλαμον δ' εἰσῆλθε παρὰ κληῖδος ἱμάντα.

In thalamum ingreſſa eſt (Penelope) *ad feræ lorum.*

Iterum, Odyſſ. Φ. v. 45, 46. eadem Penelope,

Αὐτίκ' ἄρ' ἥγ' ἱμάντα θοῶς ἀπέλυσε κορώνης,
Ἐν δὲ κληῖδ' ἧκε, θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας.

Statim hæc lorum velociter ſolvit annuli,
Immiſit autem clavem, forium vero repulit obices.

minime ergo dura hæc metaphora, cum clavibus ligatio & ſolutio adſcribitur. Proprius harum vocum uſus in eo eſt quod corporum qualiumcunque invicem ligationem per faſces, catenas, funiculos, carceres, & id genus alia ſic ligandi inſtrumenta, atque inde ſolutionem ſignificent. Illinc tranſlatio variatim facta eſt, in jure, aſtrologia judiciaria,

ut

ut notavit Seldenus, *de ſynedriis Heb. lib.* 1. *cap.* 9. In ſacris literis claves ligandi & ſolvendi poteſtatem notare manifeſtum eſt, Jeſ. 22. v. 22. *Imponam clavem domus Davidis humero Eliakimi, eo aperiente nemo claudet, & claudente nemo aperiet.* Regiæ hic aulæ præfectus, κουροπαλάτης, dignitatis inſigne clavem epomidi intextam geſſiſſe dicitur. Quanta cura oſtiarii claves templi cuſtodiverint, ex Sauberti commentario ms. deſcripſit Sagittarius de januis veterum *cap.* 18. Clavium hæc poteſtas non tantum erat in clave ſcientiæ circa doctrinam, *Luc.* 11. *v.* 52. ut Scribæ oſtenderent quid interdictum, ſeu ex lege ligatum aut vetitum, & quid permiſſum, liberum ſeu ex lege ſolutum eſſet: ſed etiam in animadverſionibus & pœnis, quam clavem Chriſtus ſumma tenens auctoritate, *Apoc.* 1. *v.* 18. & 3. *v.* 7. a miniſtris ſuis etiam exerceri voluit. Matt. 22. v. 13. *Dixit Rex* τοῖς διακόνοις, Δήσαντες αὐτοῦ πόδας καὶ χεῖρας, ἄρατε αὐτὸν, καὶ ἐκβάλετε. *Ligatis pedibus & manibus ejus, tollite eum, & ejicite, &c.* Execrationem autem & reſecrationem in ſynagoga Judaica uſitatam,

tam, & vocabulis איסור ligationis, & התרה ſolutionis, pro qua & שריה dicunt, expreſſam eſſe, pro inſigni ſua humanitate docuit me *Campegius Vitringa*, Theologus & Philologus Franequeranus longe celeberrimus, qui, a me conſultus, literis ſuis monſtravit locum in Codice Talmudico Moëd Katon, ubi diſputatur Excommunicatos in cauſis civilibus, non in gravioribus, ſi ſatisfeciſſent cauſæ, propter quam excommunicati fuerant, poſſe eodem tempore, quo excommunicati ſunt, abſolvi. Formula ibi hæc adhibetur: טוּט אָסַר וטוט שרי *Flatus cornu* (ſive ſonitus buccinæ, qualis adhibetur in excommunicatione) *ligat, & flatus cornu ſolvit.* Conferatur factum Mar Zutræ, quod idem vir doctiſſimus, in opere cedro digniſſimo, *de ſynagoga vetere, lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 2. *pag.* 780. allegat. Ille enim ſapientem excommunicaturus, ſeipſum prius excommunicabat. Deinde prius ſe, tum demum ſapientem illum ſolvit. Ubi voces שרי & פיתר ſolutionem notantes, [illegible] שמתא excommunicationi opponuntur. Buccinæ vero uſus in excommunicatio-

eodem illo opere jam laudato exponitur, *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 10. *pag.* 203. 204.

Hanc autem clavium poteſtatem tantum circa res ſive doctrinam, non autem circa perſonas, & in eas animadverſiones verſari nullo modo concludi poteſt ex genere neutro, quo Chriſtus tum ad Petrum *Matth.* 16. tum ad omnes, *Matt.* 18. uſus eſt, dicens ὃ & ὅσα, non ὃς & ὅσους. Cum hæc generis enallage ſatis frequens ſit in Novo Teſt. ut ex locis *Matt.* 1. *v.* 20. Τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν. *Joh. cap.* 3. *v.* 6. Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, Sic *Joh.* 6. *v.* 37. *&* 17. *v.* 2. aliisque videre eſt apud Glaſſium, *Philol. ſacr. lib.* 3. *tractat.* 1. *can.* 21. & apud Paſorem, Gramm. N. Teſt. *lib.* 2. *cap.* 1. § 10. neque Latinis hoc alienum, maſculinum denotare per neutrum: *Horat. lib.* 1. *ſat.* 6.

——— Lydorum *quicquid* Etruſcos
Incoluit fines. ———

Catull. carm. 3.

Et quantum *eſt hominum venuſtiorum.*

De ſcribis eccleſiaſticis hactenus. Politicos in duas claſſes digeram: Alii enim reipublicæ in toga inſerviebant, alii in

ſago.

ſago. Togati erant vel in aula, vel in ſynedrio. Aulicos voco qui Regibus & Magiſtratibus apparebant, iisque legendo, ſcribendo, acta & decreta promulgando, imo & executionem urgendo inſerviebant. Hic & מזכיר dicebatur, ut Joſaphat filius Achiludi. 2. *Sam.* 8. *v.* 16. Ubi LXX. ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, a commentariis, Belg. **kancelier**. Et *Jeſ.* 36. *v.* 3. Joah Aſaphi filius, ὑπομνηματογράφος. Scribæ autem tempore Davidis Seraja. 2. *Sam.* 8. *v.* 17. Seja, *cap.* 20. *v.* 25. Jonathan; 1. *Chron.* 27. *v.* 32. tempore Salomonis; Elioreph & Abia. 1. *Reg.* 4. *v.* 3. tempore Hiskiæ, Sebna. 2. *Reg.* 19. *v.* 2. *Jeſ.* 36. *v.* 3. Joſiæ, Sebna. 2. *Reg.* 22. *v.* 3. Jojakimi, Saphan. *Jer.* 36. *v.* 10. Eliſama. *ibid.* *v.* 12. Qui in aula ſuum conclave habuiſſe ibi narratur.

Quinimo jam in deſerto politia Iſraëlitica ſcribas habuit. Quos enim ſeptuaginta e populo Deus in auxilium Moſi evocavit, a LXX. interpp. dicuntur πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, καὶ γραμματεῖς αὐτῶν. *Num.* 11. *v.* 16. Ubi Moſes eos שטרים vocat. Præterea ex Joſua, *cap.* 23. *v.* 2. colligimus, quatuor

officiorum gradus fuiſſe in Iſraële. 1. זקנים Senes, vel Senatum. 2. ראשי אבות capita patrum, ſingularum tribuum primates, tribunos. 3. שפטים Judices, qui jus noverant & dicebant. 4 שטרים apparitores, qui res judicatas exequebantur, & baculo ac loro populum cogebant ad obſervantiam præceptorum. *Maimonides de ſynedriis, eorumque pœnis. cap.* 1. Græci LXX. habent γερουσίαν, ἄρχοντας, δικαστάς, γραμματεῖς. Sic Joſuæ, *cap.* 1. *v.* 10. ἐνετείλατο Ἰησοῦς τοῖς γραμματεῦσι τοῦ λαοῦ. Scribæ ergo vocantur שטרים a שטר quia ſcheda, libello inſtrumento publico, nomine magiſtratus agebant. Lege Feſſelium, *adv. lib*: 1. *cap*: 1. §: 7. שפטים & שטרים γραμματεῖς καὶ κριταὶ junguntur 1. *Paralip.* 23. *v.* 4. ſed *cap*: 26. *v*: 29. horum officium indicant 72. interpp: ſcilicet: γραμματεύειν, καὶ διακρίνειν. Sic Deut. 16. v. 18. *In unaquaque urbe* שפטים ושטרים *judices & præfectos conſtitues.* Vulgatus fere *Magiſtros* interpretatur, intelligens forte ejuſmodi, qui magiſtratum gerunt, quos & nos *Burgimagiſtros* appellare conſuevimus: Suetonius, in Auguſto, *cap.* 2. *municipalia magiſteria* voca-

vocavit, ad quem locum operæ pretium eſt videre commentarium *Clar: Pitiſci noſtri.* Moſes, *Exod:* 5. *v.* 6. שטרים vocat illos, quos Pharao ſuæ crudelitatis ſatellites Iſraëlitis in Ægypto præfecerat, quos 72. ἐργοδιώκτας indigitant. Tertullianus *Scribas* dixit, lib: 2. ad Marcion: c. 20. *Ut ſolo injuriarum judicio Hebræi Ægyptios repercuterent, liberi homines in ergaſtulum ſubacti: ut ſolas ſcapulas ſuas* ſcribæ eorum *apud ſubſellia ſua oſtenderent, flagellorum contumelioſa atrocitate laceratas.*

Hos Græci nove γραμματο-εισαγωγεῖς dixerunt. *Deut.* 1, *v.* 15. *&* 29. *v.* 10. *&* 31. *v.* 29. aliisque in locis. Quos ad ſcholaſticum vitæ genus relegarunt quidam ex Patribus. *Doctores* vertit Hieronymus, ſeu *magiſtros ad literas, ſeu literarum introductores.* Auguſtinus, de civ. Dei, lib. 18. cap. 39. *Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priusquam divinæ legis ullas literas noſſent. Hos appellat ſcriptura grammaton iſagogos, qui Latine dici poſſunt literarum inductores vel introductores, eo quòd eas inducant quodam modo in corda diſcentium, vel in eas potius ipſos quos docent.*

Idem, lib. 2. quæſt. ſuper Exodum, cap. 69. *Quos autem dicat γραμματο-εισαγωγεῖς poſt decuriones non facile ſciri poteſt, quoniam hoc nomen in nullo uſu habemus vel officiorum vel magiſteriorum. Nam quidam Doctores interpretati ſunt, ut intelligantur utique literati, qui introducant in literas, ſicut reſonat Græcum vocabulum: Hoc ſane ſignificatur, quod ante legem datam habuerunt Hebræi literas, quæ quando cœperint eſſe, neſcio utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur a primis hominibus eas cœpiſſe, & perductas eſſe ad Noë, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Iſraël, ſed unde hoc probari poſſit ignoro.* Longe vero probabilius fuiſſe hos miniſtros qui accuſationes ſcripto comprehenſas ad judices introducerent. Apud Græcos εισαγωγεῖς dicebantur introductores qui athletas in ſtadium inducebant. Plato de legg. agens de certamine monodiæ, hoc nomine cenſet eum qui athletas in theatrum inducit: ἱκανὸς δὲ εἷς ἄρχων αὐτοῖς μὴ ἔλαττον τεσσαράκοντα γεγονὼς ἐτῶν, ἱκανὸς δὲ καὶ περὶ μονῳδίαν εἷς μὴ ἔλαττον ἢ τριάκοντα ἐτῶν, εἰσαγωγεύς τε εἶναι, καὶ τοῖς ἁμιλλωμένοις ἱκανῶς ἀποδιδούς. *Vnus autem ille princeps ſatis eſt, qui non minus quam quadra-*

ginta annos ſit natus. Unum quoque in monodia ſufficere aribitramur, qui non minor ſit natu annis triginta, qui & perſonas opportune in theatrum inducat, & de certantium virtutibus certa & idonea ſententia conſtituat. Apud Athenienſes εἰσαγωγεῖς τῶν γραφῶν dicebantur, qui certam κατηγοριῶν ſpeciem, nimirum τὰς γραφὰς ad judices introducebant. Tales & שוטרים. vide porro *Seld: de ſynedr. Hebr. lib*: 4. *cap*: 15. *Sigon: de rep: Hebr. lib*: 7. *cap*: 7. *Conring: de rep: Hebr.* §. 27. *Job: Vorſt: de ſynedr. Hebr.* §. 27.

Porro & in ſynedrio ſenatoribus ſcribæ apparuerunt. Cod: Sanh. *cap*: 4: §: 3: ושני סופרי הדיינין עומדין אחד מימין ואחד משמאל וכותבין דברי המזכין ודברי המחייבין *Coram illis a dextra & leva ſtabant duo ſcribæ, qui abſolventium & condemnantium annotarent ſententias.* R. Jehuda tertium ibidem addit. אחד כותב דברי המזכין ואחד כותב דברי המחייבין והשלישי כותב דברי המזכין ודברי המחייבין: *unum qui abſolventium, alterum qui condemnantium; tertium qui utrorumque verba conſignaret.* Utrosque autem ſcribas tum Eccleſiaſticos tum politicos voce מחוקקים deſignari oſtendit Altingius, *Schil: lib*: 3. *cap*: 4.

Scribas tandem militares ſubjungimus, qualis in exercitu Uzziæ Regis Jeiel הסופר 72, γραμματεὺς fuiſſe dicitur. 2. *Paralip*: *cap*: 26. *v*: 11. Inter captivos, quos Nabuchodonozor Hieroſolymis Babylonem abduxit numeratur הסופר שר צבא המצבא את עם הארץ γραμματεὺς τοῦ ἄρχοντος τῆς δυνάμεως, ὁ ἐκτάσσων τὸν λαὸν τῆς γῆς. 2. *Reg*: 25:19. Stylo Scribæ ספר Iſraëlitæ ad bellum evocari dicuntur *Jud*: 5: 14. his, in munitionibus urbium mandatur turres ספר *numerare* vel deſcribere. *Pſ*: 48: *v*: 13: qui & *Jeſ*: 33: *v*: 18. ספר את המגדלים *qui turres numerat*, vocatur. Hi *teſſerarii*, de quibus lege Feſſelium, *adverſ*: *lib*: 1: *cap*: 1: §. 10:

Hæc de ſcribis publicis: Sequuntur illi, qui tanquam amanuenſes & notarii privatis inſervierunt, quales illi ταχυγράφοι; de quibus *Pſ*: 45: *v*: 2: Baruchus hoc modo præſto fuit Jeremiæ, *cap*. 32: Huic & Propheta vaticinium ſcribendum & recitandum tradidit: Rex autem Joachim volumen illud ipſius ſcribæ ſcalpello dilaceravit. *cap*: 36. Cui rei operam navare ſolitos fuiſſe Kinæos, nullam alioqui hæreditatem cum reliquis tribubus

Iſra-

Iſraëlis ſortitos, liquet ex 1: *Paralip*: 2:*v*: 55: hi enim סופרים & a 72. γεαμματεῖς vocantur.

Agmen claudat הסופרת Haſſopheret, *Ezr*: 2: *v*: 55: quod nomen proprium illi forte ex ſcribendi arte adhæſit, quod & alibi, imo & apud nos uſitatum eſſe vel *Petri Scriverii* nomen, literatis nec incognitum nec ingratum, arguit. Non ſecus ac inter Heroës Davidis primo loco recenſetur, 2. *Sam*: 23: 8. יושב בשבת תחכמוני. *Sedens in ſolio ſapientiæ*: quod in nomen proprium tranſiiſſe videtur, ut apud Romanos Lælio *Sapientis* nomen jure merito inditum eſt.

Quos porro poſt devaſtatum a Tito templum ſecundum, in fatali hac Judæorum ſub novo teſtamento calamitate, gens ea habuerit ſcribas, Doctores, Rabbinos, Maſorethas, Cabbaliſtas, Amoræos, Tannæos, Geonæos, recenſere hic non eſt neceſſe, legantur Buxtorfius in Tiberiade, Hottingerus in hiſtoria eccleſiaſtica novi Teſt: qui in unoquoque ſeculo peculiarem de Judaiſmo ſectionem habet: Jac: Altingium, *heptad*: 8. *orat*: 1.

quæ Academiarum Hebræarum hiſtoriam continet.

Nunc in Ægyptum migramus. Apud hos triplex omnino literarum via ac ratio, indicante Clemente Alexandrino, *lib*: 5. *ſtrom*: Una ἐπιστολογραφικὴ, altera ἱερογλυφικὴ, tertia ἱερατικὴ ſive Sacerdotalis, qua utebantur ἱερογραμματεῖς, ſive ſcribæ ſacrorum, quos hic imprimis conſideramus. De his Suidas: Οὗτοι παρ' Αἰγυπτίοις ἦσαν δεινοὶ, καὶ περὶ τῶν μελλόντων τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν. Καί τινα τούτων τις ἀναγγεῖλαι τῷ βασιλεῖ, τεχθήσεσθαί τινα, κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, τοῖς Ἰσραηλίταις, ὃς ταπεινώσει μὲν τὴν Αἰγυπτίων ἡγεμονίαν. Αὐξήσει δὲ τοὺς Ἰσραηλίτας, τραφεὶς ἀρετῇ δὲ πάντας ὑπερβαλεῖ, καὶ δόξαν ἀείμνηστον κτήσεται. Περὶ Μωϋσέως λέγων. *Hi apud Ægyptios erant valde periti prædicendi veritatem de rebus futuris. Horum autem quidam Regi prædixit, quendam illo tempore genitum iri apud Iſraëlitas, qui educatus Ægyptiorum quidem principatum eſſet depreſſurus, Iſraëlitas vero aucturus, & omnes virtute ſuperaturus, & gloriam immortalem conſecuturus: De Moſe loquens.* Quæ quidem Suidas ex Joſepho, *lib*: 2. ἀρχαιολ. *cap*: 5. hauſiſſe videtur: addit Joſephus, Regem hoc vaticinio territum infantes a-

qua mergi juſſiſſe. Pergit Suidas: Εὐήνης Αἰγυπτίων βασιλεὺς δίκαιος πάνυ, ἕπεται δὲ τῷ τρόπῳ τοῦ ἀνδρὸς τούτου ἄλλα μὲν ἐκ θεοῦ ἀγαθά. Καὶ μέντοι καὶ ἱερογραμματέα ᾄδουσιν οἱ Αἰγύπτιοι κατ᾽ αὐτὸν γενέσθαι θεοφιλῆ τε καὶ ἐς πολλὰ λυσιτελῆ, ὄνομα αὐτῷ ἰαχίμ. Ὅν φασι περιάπτων καὶ ἐπαοιδῶν ἔμπειρον γενέσθαι. *Euenes fuit Ægyptiorum Rex juſtiſſimus, cujus viri mores & virtutem cum alia divinitus data bona conſecuta ſunt, tum etiam illud, quod Ægyptiaci libri canant, fuiſſe illius tempore* ſacrum-ſcribam, *virum Deo charum, & ad multa utilem, cui nomen erat Jachim: quem amuletorum & incantationum peritum fuiſſe tradunt.* Ægyptiorum Sacerdotes & ſapientes Magiæ deditos fuiſſe ex ſacris literis, *Exod*: 7. manifeſtum eſt. Celebrantur præcipue duo Moſis coætanei *Jannes & Jambres*, quorum etiam Paulus, 2. *Tim*: 3: 8. meminit, & Talmud Babylonicum, & Apulejus in apologia 2. ſecundum antiquam diviſionem. Numenius etiam & Artapanus apud Euſebium, *lib*: 9. *præp*: *Evang*: *cap*: 3. & 4. Mercurium Triſmegiſtum Saturni *Scribam* fuiſſe idem Euſebius, *lib*. 1. *præpar*. *cap*. 7. affirmat; hunc autem Mercurium Ægyptium ipſum Moſem

fuiſſe

judicat Huetius, *demonſtr. Euang: propoſ. 4. cap. 4. §. 2.*

Hi etiam γραμματεῖς ἱεροὶ καὶ προφῆται ſacram navem adornant, qua Apidem, ex loco ubi ad tempus nutritus eſt, Memphim transferunt, teſte Æliano, *lib.* 11. *de animal. cap.* 10. Inter Regis miniſtros apud Diodorum Siculum, *lib.* 1 *cap.* 70. comparet a ſacris libellis Sacerdos, qui poſt ſacrificium conſulta quædam & facta clariſſimorum virorum e commentariis ſacris prælegit. & *cap.* 91. Circa cadaverum ſepulturam primus Scriba, depoſito humi corpore, circum ilia ſiniſtrum latus, quantum inde reſecandum ſit, circumſcribit. In ſacrorum pompa, apud Clementem Alexandrinum, *lib* 6. poſt cantorem & horoſcopum tertio loco procedit ἱερογραμματεὺς, pennas in capite geſtans, habens in manibus librum, regulam in qua atramentum ſcriptorium, & calamus ad ſcribendum. Hunc ſcire oportet hieroglyphica, coſmographiam, geographiam, ordinem Solis, Lunæ, & quinque planetarum, chorographiam Ægypti, ac deſcriptionem Nili, ac omnis

mnis ſacri apparatus, locorumque ſacrorum cum ſua dimenſione, & quicquid in ſacris utile. Sic & in Iſidis pompa, quam Apulejus, *lib.* 11. *metamorph.* deſcribit, γραμματεὺς, cœtu paſtophororum velut in concionem vocato, de libro, de literis fauſta vota præfatur: *Principi magno, Senatuique & Equiti, totique Romano populo, nauticis, navibus*, &c. renunciat ſermone rituque Græcienſi, λαοῖς ἄφεσιν.

Bochoris tandem Ægypti Rex, teſte Diodoro, *lib.* 1. *cap.* 78. Scribis, qui tabulas falſas conſignaſſent, vel de relatis in tabulas publicas quippiam demſiſſent, aut ſyngraphas ementitas obtruſiſſent, lege lata utramque manum præcidi juſſit.

Ab Ægyptiis ad Perſas flectimus. Horum Reges, notante Briſſonio, *de regno Perſ. lib.* 1. Scribas habebant, quos γραμματιστὰς βασιληΐους Herodotus, *lib.* 3. vocat. Γραμματεῖς vocantur, Ezr. lib. 1. cap. 4. & Eſt. cap. 8. & apud Joſephum, lib. 11. Antiquit. cap. 6. *Scribæ Darii* meminit Curtius, *lib.* 7. *cap.* 3. Simſai ſcriba, γραμματεὺς, *Ezr.* 4. *v.* 8. Herodotus, *lib.* 7. de Xerxe, Διεξελαύνων ἐπ' ἅρματος

παρ

παρ' ἔθνος ἓν ἕκαστον ἐπυνθάνετο, καὶ ἀπέγραφον οἱ γραμματισταί. Ἕως ἐξ ἐσχάτων ἐς ἐσχάτην ἀπῆκε. Hujusmodi Scribas prælüs interfuiſſe, ut ea deſcriberent, Joh: Tzetza, *hiſt. Chil.* 1. his, quos de Xerxe conſcripſit, verſibus docet:

Χρυσῷ θρόνῳ καθήμενος, ὥρα τὴν ναυμαχίαν,
Καὶ γραμματεῖς παρίσταντο, μέλλοντες ταύτην
γράφειν.

Aurea ſede ſedens, ſpectabat pugnam nauticam:
Et ſcribæ aſtabant hanc deſcripturi.

Per hos edicta & reſcripta conſcribebantur, & ad provinciarum Præſides dirigebantur, ut apparet, *Eſth. cap.* 3. Καὶ ἐκλήθησαν οἱ γραμματεῖς τοῦ βασιλέως, μηνὶ πρώτῳ, τῇ τρισκαιδεκάτῃ, καὶ ἔγραψαν ὡς ἐπέταξεν Ἀμὰν, τοῖς στρατηγοῖς, καὶ ἄρχουσι κατὰ πᾶσαν χώραν. Et *c.* 8. Ἐκλήθησαν δὲ οἱ γραμματεῖς, &c. καὶ ἐγράφη τοῖς Ἰουδαίοις, ἐγράφη δὲ διὰ βασιλέως, *Joſeph lib.* 11. *antiq. cap.* 6. μεταπεμφθέντας οὖν τοὺς βασιλικοὺς γραμματεῖς, ἐκέλευε γράφειν τοῖς ἔθνεσιν ὑπὲρ τῶν Ἰουδαίων. Alios præterea Regibus Perſarum Scribas fuiſſe, qui πάντα τὰ πραττόμενα, ſive τὰ προσπίπτοντα in ſcripta redigerent apparet ex Joſepho, *lib.* 11. *antiq. cap.* 2. & 3. item ex *lib.* 3. *Eſdr. cap.* 2. *v.* 17. Ac plane actis mandari, & in commentarios referri, quæcunque ſuis tem-

temporibus memoratu digna gererentur, ſtatuerenturque, Reges curabant. Sic Eunuchorum adverſus Regem Ahaſuerum conſpirationem, indicio Mardochæi detectam patefactamque juſſit Rex, ad memoriam poſteri temporis ſempiternam, literis mandari, & in bibliothecam regiam reponi. *Eſt*: 2. *v*: 21, 22, 23. Cujusmodi libri ὑπομνήματα vocantur a Joſepho, & βίβλος ὑπομνηματισμοῦ, *Esdr*: 4. γράμματα μνημονικὰ τῶν ἡμερῶν. *Eſth*. 6. quos libros adiri, inſpicique re ita exigente, conſueviſſe, Joſephus, *lib*: 11. *antiq*: *cap*: 2, 4, 6. oſtendit.

Græcia, omnis elegantiæ, literarum imprimis nutrix, Scribas honorifico loco habuit, eosque rebus graviſſimis publicis privatisque adhibuit. Apud Athenienſes ὁ γραμματεὺς τῆς πόλεως παρελθὼν ἀνέγνω τὴν Νικίου ἐπιστολήν, *Scriba civitatis accedens legit Niciæ epiſtolam. Thucyd*: *lib*: 7. ad quem locum Scholiaſtes notat: γραμματέα λέγει τὸν εἰωθότα ἐν τῷ κοινῷ τὰ τοῦ δήμου γράμματα ἀναγινώσκειν. *Scribam vocat eum, qui publice literas populi legere ſolebat.* In cynoſargis Herculeo templo, Alcibiadis decretum exſculptum e-

rat,

rat, cujus γραμματεὺς ſcriba Stephanus Thucydidis filius. *Athen. lib*: 6. *cap*. 6. hunc γραμμάτων φύλακα Plato, *lib*: 6. *de ll.* indigitat, & νόμων φύλαξι adjungit. Non mirum ergo ſi apud Epheſum, Græcam urbem, tantam, in ſedando populi tumulti, auctoritatem habuerit ὁ γραμματεὺς *Act*. 19: 35. Ideoque in tholo, loco a rotunda figura ſic dicto ἐσιτοδοῦντο οἱ τοῦ δημοσίου γραμματεῖς, ἡ χειροτονηθέντες ἐκ τῆς πόλεως, quod notavit Ulpianus ad Demoſthenem de falſa legatione: qualis ſcilicet erat hieronicarum in πρυτανείῳ σίτησις, quam & ſibi, honoris cauſa, deberi cenſuit Socrates. Inſignis eſt γραμματέως deſcriptio, quam ex Joh. Antiocheni Melalæ chronographia Græca ms, proponit Jac. Lydius, *ſparſ. flor ad paſſion. pag*. 40. Ὁ γραμματεὺς προεχειρίσθη πρῶτος ἀπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου, ὀνόματι πομπειανὸς κοαίστωρ, ὁ ἐκ γένους συγκλητικῶν Ῥώμης ὑπάρχων, φορέσας στολὴν ἄσπρον, καὶ στέφανον ὁλόχρυσον, τύπῳ φυλλοδάφνων. Ὅντινα ἐτίμων, καὶ προσεκύνουν, ὥς τινα Ἀπόλλωνα. *Scriba primus a Senatu & populo deſignatur, nomine Pompejanus Quæſtor, a Romanis Senatoribus genus ducens, geſtabat ſtolam albam, & coronam totam auream ad*

inſtar

inſtar laureæ. Et hunc, ut ajunt, honorabant, adorabantque ad inſtar Apollinis alicujus. Hoc in munere cum minus fideliter verſaretur Æſchines, a Demoſthene, in oratione de corona, dictus eſt γραμματεὺς ὄλεθρος, hoc eſt, interprete Ulpiano, ἢ ὀλέθρου ἄξιος, ἢ ὁ πολλοῖς πραξενίσας ὄλεθρον τῷ μεταβάλλειν τὰ γράμματα ἐν τῷ ἀναγινώσκειν. *Vel interitu dignus: vel qui multis cauſa fuit interitus, mutandis inter recitandum literis.* Idem poſtquam in civium Atticorum numerum relatus eſſet, exprobrante eodem adverſario, in eadem oratione, Demoſthene, εὐθέως τὸ κάλλιστον ἐξελέξατο τῶν ἔργων, ὑπογραμματεύειν, καὶ ὑπηρετεῖν τοῖς ἀρχιδίοις. *Statim pulcherrimum munus ſibi elegit, ut dictata ſcriberet, & in conventiculis locaret operam.* Ex quibus locis officii hujus gradus fuiſſe liquet. In collegio τῶν ἕνδεκα, ſive xivirorum, qui rebus capitalibus præfecti erant, etiam fuit γραμματεὺς cum enim ſinguli ex ſingulis tribubus electi eſſent, atque adeo xnumero eſſent, hic ad explendum numerum undenarium additus eſt, ut ex Julio Polluce docet Ubbo Emmius.

mius. Quæſtorum ordini ampliſſimo ſubjuncti etiam fuere, eodem Emmio docente, x. numero ἐπιγραφεῖς, qui tam ſociorum quam civium facultates æſtimatas in tabulas redigebant, ſecundum quos & φόροι a ſociis, & εἰσφοραὶ a civibus pariter ac inquilinis exigebantur. Ἀποδέκται recipiebant. Ἀντιγραφεῖς autem quod ἀποδέκται in ſenatu, idem illud in concione agebant, tabulas ſcilicet ſimiles conficiebant, ut & populo res omnis conſtaret, & duplici tabularum exemplo fraus facilius averteretur. Τιμημάτων cura etiam ad πράκτορας pertinebat, hi partem reipublicæ debitam, cum nominibus debitorum ſuis indicibus inſcribebant, & curabant. Πράκτορος etiam ſervator meminit *Luc.* 12 *v.* 58. qui ὑπηρέτης vocatur, *Matth.* 5. *v.* 25. Symmachus γραμματέα vocavit, Suidas: πράκτωρ, ὁ τὸν ἐπικείμενον εἰσπραττόμενος φόρον. *Qui tributum impoſitum exigit.* Militibus quidem Baptiſta mandavit Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. *Nihil amplius quam quod conſtitutum eſt vobis exigite.* Adi Feſſel. adv. lib. 1. cap. 1. §. 7.

Apud

Apud Lacedæmonios probationes, quorum in judiciis uſus non tantum teſtibus, ſed & tabulis ſcriptis conſtitere. De privatis autem negotiis aut contractibus quæ conficiebantur tabulæ κλάρια dictæ fuerunt, quod ex Plutarchi Agide idem Emmius tradit.

Apud Thebanos Philidas γραμματεὺς Polemarchorum Philippi & Archiæ, cum omnium arcanorum conſcius eſſet, eos Pelopidæ prodidit. *Plutarch. in vita Pelopidæ.*

Apud Macedonas Eumenes adhuc adoleſcens ſcribæ loco ad manum fuit Philippo Regi. *Corn. Nep. Eum. cap.* 1. Hunc Alexander fecit ἀρχιγραμματέα. *Plut. in Eumene.* Antiphanes ſcriba equitum Alexandri memoratur Curtio, *lib* 7. *cap.* 1.

Scribarum in rep. Romana magnus fuit numerus, ideoque in decurias diſtributi, quarum in aliqua locum ſibi emere conſueverant, qui ſcribæ fieri volebant. Corpus Germanici per municipiorum coloniarumque primores ſuſcipientibus obviis *ſcribarum decuriis*, ad urbem devectum eſſe ſcribit Suetonius *Claud. c.* 1.

Ordinem hunc Corn. Nep. in Eumene valde deprimit, eoſque apud Romanos pro mercenariis tantum habitos, & longe inferiori loco quam apud Grajos fuiſſe ſcribit. Contra Cicero, *lib.* 3. *in Verrem*, eorum ordinem tanquam honeſtum laudat, quia horum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratuum committuntur. Imo imperatores ſæpe, ſuperatis hoſtibus, optime Rep. geſta, ſcribas ſuos annulis aureis in concione donarunt. Sed hæc facile conciliari poſſunt: Primo, quia in hoc ordine alii quidem de Magiſtratibus, adeoque de rep. bene meriti, & fideliter in officio ſuo verſantes, recte præmiis donati, & honeſto loco habiti ſunt; multi autem, ut ibidem fatetur Cicero, non idonei & turpes in eo ordine, quo cuivis licet pretio pervenire. Ideoque Verrem multis exagitat, quod ſcribam ſuum & ſcelerum miniſtrum, advocata etiam concione, annulo aureo donaſſet. Tales notat Livius, *lib.* 30. *cap.* 39. Qui una cum viatoribus ædilitiis pecuniam ex ærario clam egeſſerant, & propterea damnati. Qua in re

appa-

apparuit Catonis Uticenſis induſtria, quam prædicat Plutarchus, quomodo quæſtor factus multa in ſcribis etiam novaverit. Principem inter eos, admiſſæ in hæreditate fraudis convictum, ærario exegerit, alteri teſtamenti ſubjecti formulam intenderit. Deinde pro dignitate magiſtratuum, quibus apparebant, Scribarum etiam dignitas æſtimari debuit. In certas ergo claſſes diſtributi fuerunt.

Alii publici erant, alii privati. Publicorum tum in pace uſus erat, tum in bello. In pace quidem primum locum jure ſibi vendicant qui *Pontificibus* ad manum, qui & *Pontifices minores* dicti ſunt, teſte Livio, *lib.* 22. *cap.* 57. & Capitolino, in vita *Opilii Macrini*. Vetus inſcriptio apud Onuphrium: AGRIÆ, TRIPHOSÆ, VESTIFICÆ, LIVIUS, THEONA, AB EPISTULIS. GRÆC. SCRIBA, A, LIBRIS, PONTIFICALIBUS, CONJUGI, SANCTISSIMÆ. B. D.S.M.

Imperatores in comitibus ſuis notarios habuerunt. Horatius, *lib.* 1. *ep.* 8. ſcribit Albinovano *Comiti, Scribæque Neronis.* Ta-

lis Mneſtheus, quem pro notario ſecretorum habuit Aurelianus Imp. cujus minas cum non fruſtra timeret, alios in Aureliani perniciem excitavit, ut eſt apud Flavium Vopiſcum *in Aureliano*. Atque hinc hodiernum etiam dignitatis *comitum* nomen fluxiſſe videtur, cum enim in hoc ſcribendi miniſterio fidelibus præmia aſſignata fuerint, inde & titulum hunc habuerunt, ut γραφεῖς Germanice autem Graeven dicti ſint. Sed & *alii Magiſtratus* tum in urbe, tum in provinciis ſcribas habuerunt. Qui enim haberi *Senatus* potuit, niſi eſſent qui acta, SCta, auctoritates perſcriberent? Lectu digna in hanc rem eſt epiſtola Caſſiodori, *lib. 12. variar. epiſt. 21.* ubi de officio Scribarum ſeu tabellionum agit ad Deusdedit, Scribam Ravennatem. Qualis & videtur fuiſſe M. Terentius Corax, qui narrante Plinio, *lib. 7. cap. 53.* dum tabulas in foro ſcribit, repente obiit. Perſei Maccedonum Regis a Paulo Æmilio victi filius, Romanis literis & ſermone perceptis, ſciti atque habilis ſcribæ operam magiſtratibus præbuit *Plut. in Æmil.*

Oratio-

Orationes in Senatu ac foro habitas, ab actuariis ταχυγράφοις fere exceptas fuiſſe, docet illud Martialis, *lib.* 14 *ep.* 208.

Currant verba licet, manus eſt velocior illis,
Et vix lingua ſuum, dextra peregit opus.

Orationem Cæſaris pro Metello, ab actuariis, verba dicentis male ſubſequentibus, exceptam fuiſſe Auguſtus exiſtimavit *Sueton. Cæſ. cap.* 55. Et quam Cicero pro Milone dixit itidem exceptam eſſe, & ſuo tempore adhuc extitiſſe aliam ab ea quam adhuc legimus, teſtatur Aſconius Pædianus.

Seneca in apocolocynthoſi: *Multa diſerte dixit in Senatu Deorum, quæ notarius perſequi non potuit.* vid. Lipſium, *cent.* 1. *ad Belg. epiſt.* 27. Cicerejus Scipionis ſcriba fuit. *Val. Max. lib.* 3. *c.* 5. *&* *lib.* 4. *cap.* 5.

Cenſores etiam ſcribas habuiſſe, qui tabulas cenſorias conficerent, colligere eſt ex Varrone, lib. 5, de L. L cap. 9. *Ubi tacet Cenſor*, Scriba, *magiſtratus murrha, unguentis unguntur.*

De *Ædilium* ſcriba: Cicer. pro Cluentio: *Nuper hominem tenuem, Scribam ædilitium D. Matrinium cum defendiſſem a-*

pud..... ædiles curules, perſuaſi ut Scribam *jurati legerent, &c.* Inſcriptio in ſaxo, quod eſt in via Appia Formiis, apud Scaligerum in caſtigationibus ad Feſtum, *pag.* 8.

L. VARRONIO. L. F.
PAL. CAPITONI.
SCRIBÆ. ÆDILIC.
ACCENSO. VELATO.
IIVIRO. QUINQUENN.
CURATORI. VIARUM.
PATRONO. COLONIÆ.
ORDO. REGALIUM.
QUORUM. HONORE.
CONTENTUS.SUA.PECUN.
POSUIT.
L. D. D. D.

Alterius marmoris fragmentum ex *Lazii* commentar. Reip. Rom. D. M. M. ATINIO, ÆL, F PAL. PATERNO, SCRIBÆ, ÆDILI, CURULI, HON. USUS, AB, IMP. EQUO, &c. vid. Dempſt. ad Roſin. antiq. *lib.* 7. *cap. ult.*

Gel-

Gellius, *noct. attic. lib.* 6 *cap.* 9. *Cn. Flavius ſcriptum faciens ædili curuli apparebat.*

De *Quæſtoribus* habemus & Ciceronis & Hortenſii exemplum, *lib.* 3. in Verrem: *Nuper, Hortenſi, quæſtor, fuiſti; quid tui ſcribæ fecerint, tu potes dicere: Ego de meis hoc dico, cum in eadem iſta Sicilia, &c.*

De Catone, quomodo in quæſtura Scribarum licentiam coërcuerit, quendam etiam ærario expulerit ſupra ex Pultarcho notavi. Lapis antiquus. L. LARQUITIO, L. F. POM. ETRUSCO, SULPICIANO; SCRIBÆ, QUÆSTORIO, EX, TESTAMENTO, DE, HS. XX.

Scribas quæſtorios negotiantes, Domitianus venia donavit. Sueton. cap. 9. vid. Claud. cap. 38. Veſpaſ. cap. 3. *Prætoris urbani*, Q. Petillii ſcriba L. Petillius libros Numæ invenit. *Liv. lib.* 40. *cap.* 29. In *Provincia Sicilia* Verres *Prætor* quales ſcribas habuerit depingit Cicero, *lib.* 3. in Verrem, verba ſupra adſcripſimus. In *municipiis*, vid, Codic. lib. 10. tit. 69. ubi tabularii, ſcribæ, logographi cenſuales, decuriones, Boëthi, demo-gram-

mateis, diaſtoleis vocantur. In hunc ordinem redigendi quoque ſunt πραγματικοὶ, qui apud Græcos quidem, teſte Cicerone, *lib. 1. de Orat.* infimi homines erant, qui mercedula adducti, miniſtros ſe præbebant, in judiciis, oratoribus. Verum apud Romanos ampliſſimus quisque & clariſſimus, qui cum ingenio ſibi auctore dignitatem reperiſſet, perfecit, ut in reſpondendo jure, auctoritate plus etiam, quam ipſo ingenio valeret. Hi νομικοὶ dicuntur in Ἀνθολογίᾳ Græcor. epigr. l. 2. tit. 36. χειρομάκτοι autem in hoc epigrammate primo:

Φαῖδρος πραγματικὸς, καὶ ζωγράφος ἤρισε Ροῦφος,
Τίς θᾶσσον γράψει, καὶ τίς ὁμοιότερον;
Ἀλλ' ἐν ὅσῳ Ροῦφος τρίβειν τὰ χρώματ' ἔμελλε,
Φαῖδρος ἔγραψε, λαβὼν ἱκανικὴν ἀποχήν.

Quod ita in Latium tranſtuli:

Pragmatico Phædro, & pictori jurgia Rufo,
Quis cito? quis docta ſcriberet arte magis?
Dumque moras nectit Rufus tundendo colores,
Accuratam apocham jam ſibi Phædrus habet.

In

In bello etiam & caſtris Scribæ, qui *Actuarii* dicebantur, de quibus vide Stewechium, comment. ad Vegetium de re mil. *lib.* 2. *cap.* 19. qui & *Actarii* in veteri lapide, quem ibidem Stewechius exhibet. Iidem *teſſerarii* dicti, quod teſſeram ab Imperatore, Rege, Duce exercitus, aut a tribuno, aut centurione datam, per contubernia militum nunciabant. *vid. Feſſel. adverſ. lib.* 1. *c.* 1. §. 4. Hi & *Laterculenſes*, qui præerant edendis & ſervandis Laterculis, ſive codicibus, in quibus civilium & militarium dignitatum adminiſtrationumque ratio, item mandatorum principalium, & promotionum & conſuetudinum notitia perſcripta erat. Sic dictum, ut quidam volunt, quod in eis laterent arcana: de his videnda Lexica Juridica. C. Mucius, qui deinde Scævola dictus, *Scribam* Regis Porſenæ, militibus ſtipendia numerantem, obtruncavit. *Liv. lib.* 2. *cap.* 12. Hi & *notarii* dicti tum alibi, tum in antiqui marmoris fragmento, in quo Claudianus Poëta prægorioſiſſimus tribunus & notarius dicitur. Exhibetur a Dempſtero, ad Roſini

antiq. lib. 7. *cap. ult.* Adjungatur *Navalis Scriba*, qui, ut ait Feſtus, in nave apparebat. Inter aliud genus ſcribarum minimæ dignitatis habebatur, quod periculis quoque ejus miniſterium eſſet objectum. Et *publicanis* ſcriptura neceſſaria, non tam propter vectigalia & decimas, ſed imprimis propter agrum ſcripturarium; qui ager publicus, teſte Feſto, appellatur, in quo, ut pecora paſcantur, certum æs eſt. Quia publicanus ſcribendo conficit rationes cum paſtore. *Hactenus* fuerunt Scribæ publici. In rebus privatorum plerumque etiam tabularii adhibiti, vel ut pro literarum imperitis ſcriberent, aut ſubſcriberent: vel ut pro ſtipulari nequeuntibus ſtipularentur, quaſi perſonæ publicæ, de quibus ICti latius. Nos de illis, qui privatis ut amanuenſes apparuerunt: qualis M. Tullius cognomento Laurea, Ciceronis libertus, qui Academiam villam verſibus, quos recitat Plinius, *lib.* 32. *cap.* 2. celebravit: quem Cicero *Scribam ſuum* vocat. *lib.* 5. *famil. ep.* 20. Talis & Tiro, ad quem leguntur Ciceronis epiſtolæ.

Var-

Varro de r. r. lib. 3. cap. 2. *Scriba librarius, libertus ejus qui apparuit Varroni.* Horatium Poëtam Scribæ officio functum ſunt qui autumant, non ſatis firma conjectura ex his verſibus, *lib.* 2. *ſat.* 6.

De re communi Scribæ magna atque nova te
Orabant hodie meminiſſes, Quinte, reverti.

Potuit enim Scribis eſſe res communis, nihil ad Horatium pertinens, de qua ejus opera & interceſſione ad Mecœnatem, Agrippam, Auguſtum ipſum, opus haberent. Certe Suetonius ſcribit, Auguſtum uti voluiſſe Horatii opera in epiſtolis ſcribendis, nec tamen obtinuiſſe, quis credat eum voluiſſe eſſe ſcribam aliorum, qui Auguſti eſſe noluerit? Nec ullum publici muneris impedimentum allegat, ubi oſtendit ſibi non vacare ſcribere poëmata. *lib.* 2. *epiſt.* 2.

Diligentiores etiam iter facientes ad latus habuerunt notarios cum pugillaribus, qui etiam inter proficiſcendum dictata excipiebant, ut de Plinio ſeniore teſtatur junior, *lib.* 3. *epiſt.* 5. & de Cæſare Plutarchus, qui &, teſte Suetonio, *cap.* 74. Philemonem a manu ſervum,

qui

qui necem ſuam per venenum inimicis promiſerat, morte punit, ut & Auguſtus, teſte eodem, *cap.* 67. Thallo a manu, quod pro epiſtola prodita quingentos denarios accepiſſet crura effregit. *Hadrianus* autem, ut ait Spartianus, ab epiſtolis & libellis etiam Romanos Equites habuit primus: cui & Suetonius Tranquillus ab epiſtolis fuit. Deinceps ſub Impp. Chriſtianis hi *Secretarii*, *cancellarii*, *Silentiarii*, *&c.* dicti ſunt, de quibus videndus Feſſelius, *adv. lib.* 1. *cap.* 1. Infelicibus autem illis ſeculis, quibus horrenda illa barbaries Chriſtianiſmum occupaverat, ſcribendi hoc officium penes Eccleſiaſticos fere erat; Cum enim *Laici* literas plerique ignorarent, clericos omnibus negotiis, ubi aliquid chartis mandandum erat, tum publice tum privatim, adhibere coacti ſunt, unde illud

Quicquid agit mundus, vult clericus eſſe ſecundus.

Hinc *Clericorum* illa denominatio ſcribis, amanuenſibus, notariis, in hodiernum usque diem, etiam apud Belgas tributa, quamvis a Laicis illorum munera jam

pera-

peragantur. Sic Arabes, quia propriis numerorum characteribus carent Chriſtianis notariis utuntur, ut notavit Huëtius, *demonſtr. Euang. prop.* 4, *cap:* 13. §. 9.

DISSERT. DECIMA.

Continens

Specimen conatuum Poëticorum.

In Nuptias
JOHANNIS RAUWERS,
V. D. M.
Et
MACHTILDIS van RHYN.

VOta ſuas habuere Deos, quæ plurima quondam
Ante aras divum, poſito libamine, ſupplex
Fundebam, ut noſtris tandem illuceſceret oris
Illa dies, mi Jane, ſacro quo carmine veſtros
Ipſa licet tenuis mea fiſtula dicat amores.
Salve feſta dies, qua caſtæ fœdera jungunt,
Et nova jura manus, tandem exoptata veniſti?
Fallor? an exoriens lætus ſua lumina Titan
Duplicat, oſtendens manifeſti ſigna favoris?

Sit

Sit mihi fas iſtas verſu deſcribere flammas,
Et memorem veteres animum volviſſe per annos:
Tempore quo primum ſtudiis nos Pallas honeſtis
Junxit, & ingenuos vibrans Academia faſces.
Vrbs antiqua jacet, Rheni contermina ripis
Plena viris, opibusque, pedo, mitraque ſuperbum
Quæ caput extulerat, cum nox denſiſſima terras
Vrgeret noſtras, regnum & papale maneret:
Nunc pietatis amans, & relligionis avitæ,
Suſcepit ſacras veneranti pectore Muſas;
Hoſpitioque fovet, quo ſe divinior aſtris
Inſerat, & videat naturæ arcana latentis
Nil mirans vulgare animus, ſed numine plenus
Æſtuet, ac totum terræ faſtidiat orbem.
Hic Zenonis opes, hic dogmata dia Platonis,
Et quicquid Stagira docet, tum quicquid ubique
Naturam indagans reperit prudentia noſtro.
Tempore (temporibus quod non concedat avorum)
Sedula doctorum pandet ſapientia Patrum.
Hic poſuit ſua templa Themis, lætiſſima ridet
Juſtitia, at triſti damnata injuria vultu
Ingemit, & vinclis, cæcoque furore domatur.
Hic etiam herbarum vires demonſtrat Apollo
Atque Machaonia multi erudiuntur in arte.

Quin

Quin etiam templis facundo Voetius ore
Intonat, aut cathedram divinis vocibus implet
Sacra manu tractans caſtâ, & myſteria pandens
Cœlica, quæ venerans æterno dignus honore
Mente fidem colat ille, viamque affectet Olympo,
Hic quoque Nympharum domus eſt clariſſima; cunctas
Dixeris eſſe Deas, tanta eſt præſtantia formæ.
Et Paris hic Helenam quærat: Laërtius Heros
Penelopam, inveniat Dux & Trojanus Eliſam.
Hic ego te memini longos abſcondere Soles,
Et terere obſcuræ vigilata ſilentia Lunæ,
Volvendo aſſidue divina oracula legis.
Nec minus interea, ſed caſtæ, caſtra Diones
Cura ſequi, atque animo tibi deſignare puellam,
Quam ſanctus pietatis amor, quam cura pudoris
Conciliet, tædas agitabas mente jugales.
MACHTILDIS *tibi ſola placet, tibi ſola furoris*
Dulcis cauſa tui. Placito quis pugnet amori?
Quis velit inſano penitus de corde faventem
Excuſſiſſe Deum? Proh quam feliciter ardet;
Quem non laſcivis urit Venus improba tædis.
Nec puer Idalius furiali vulnerat arcu;
Sed quem divina accendit vis altior auræ;

Quam bene conveniunt, & corde morantur
in uno
Diſcordes aliàs, torva cum Pallade Cypris!
Nec ſemper varios hominumque Deumque la-
bores
Æternis regit imperiis, aut fulmine terret
Jupiter, aſt animo vinclis curisque ſoluto
Junonem alterno amplectens indulget amori.
Fruſtra etenim, fruſtra puer, & pernici-
bus alis
Fingitur & cæcus, pharetraque arcuque timendus
Plurimus humanas qui mentes afficit ardor.
Quin mage terrenas ſuperans Vis enthea vires
Nos agitat, pectus divinis motibus implens.
Quis puero tribuat curas, animosque viriles,
Audeat armatum telis ut tangere Martem!
Herculeos ſibi turpe putet timuiſſe lacertos!
Quin etiam ſimilem doctus tractare pharetram
Non hujus tamen ille manus evitet Apollo?
Arma viros geſtare decet: depone ſagittas
Si puer es, capitoque nuces, crepitacula pulſa.
Quis tibi ventoſas puero fruſtra addidit alas,
Fecit & inſtabiles humani pectoris ignes?
Quo migret non fictus amor? finemque mo-
dumque
Neſcit amans quod amare juvat. Non gratior
aſtas

Per-

Pertæſis hyemem, feſſisque in gramine ſomnus.
Coecus erat cæcum primus qui finxit amorem,
Incertas hominum mentes, denſisque tenebris
Obſeſſas errare putans: quin Lynceus ille
Perſpicit, & doctè faciem depingit amatæ.
Conciliatur amor forma, quæ digna videndam
Se præbet, facilisque viros ad ſe allicit omnes.
Quod latet ignotum eſt: oculos, vultusque decoros,
Et teretes videat digitos, & eburnea colla
Qui prudenter amat. Raptor ſi cæcus adiſſet
Priamides Spartam, non tantum Græcia bellum
Moviſſes, Helenamque tuam Menelaë teneres.
Non ſecus ac vivos ducent de marmore vultus
Phidiacæ magna arte manus, qui paſcere ſenſus
Humanos valeant, atque oblectare tuendo,
Sive hominem referat, volucremve animalve figura:
Sic quoque lætitia mentem perfundit amantis
Non indoctus amor, molles penitusque medullas
Afficit, atque animos etiam pertentat inertes.
Ergo roſis pharetram variis & floribus imple,
Liliaque involvant arcum, ſuavesque Hyacinthi.
Dic mihi, num talem es, mi Jane, expertus amorem,
Cum primum calidus circum præcordia ſanguis

Ferveret, ac faciem MACHTILDIS *&*
ora videres?
O quam ſæpe aditus tentaſti & mollia fandi
Tempora! ſed tandem compellas talibus illam:
O quam te memorem virgo, namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem ſonat illa, ſed iſti
Fulgura ſunt oculi, flammæ, ſtellæque micantes,
Tu mihi ſola mei ſuperes medicina dolorū.
Quin age nunc miſerata mei, ſuccurre, minacem
Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter quid non? quæ non inſomnia noctu
Sum toties paſſus, teſtor fulgentia Phœbes
Lumina, quæ miſerum viderunt ſæpe iacentem
Aut mediis campis, aut ripa fluminis alti.
Quin etiam quæ nunc nitidiſſima lampas olympo
Splendeſcit, tentatque tuas nimis æmula laudes
Vincere, nec ſuperare poteſt, tamen hanc quoque teſtor,
Hæc mea verba etiam quamvis invita probabit.
Illa quidem oranti tacitas accommodat aures
Diſſimulare ſtudens, quamvis non poſſit, amorem,
Ipſa tamen ſimulat, tandem exorata pudicè

An-

Annuit, inque ſacri conſenſit uincula pacti,
Sanctaque virginea percuſſit fœdera dextra.
Quam felix gratusque dies! ut ſidere fauſto
Effulges noſtris exoptatiſſime terris!
Sirius ingenti tellurem verberat æſtu
Gitture flammivomo, rictusque oſtendit hiantes,
Nunc igitur celebrate choros, dulcique ſub umbra
O Divæ Charites, divinum pangite carmen:
Ipſe etiam ſacros Phœbus mihi condidit hymnos
Quos luſit cithara, foliis ornatus & auro.
Pierides etiam viridi cecinisse ſub antro
Dulce melos, ſaltaſſe etiam dicuntur, & iſtum
Exornaſſe thorum myrtisque roſisque ſuperbum.
Imo inter denſas, umbroſa cacumina, fagos
Saltantes Faunos, Sylveſtria numina, vidi
Egregios agitaſſe choros, cantante Thalia.
Vivite nec triſtis turbet nova gaudia mœror,
Nec celeri letho rumpant nova fœdera Parcæ.
Vivite felices, felices gignite natos,
Atque iidem gignant natos, ſerosque nepotes.
Tandem animas veſtras, triſti tellure ſolutas,
Vnitas celſo Deus inſerat altus olympo.

In Nuptias FRANCISCI CUPERI van HOLTHUISEN, J.U.D. Et JOHANNÆ MARGARETÆ van MUNSTER.

Auguſtinus, Confeſſ. lib. 6. cap. xi. §. 3.

Multi magni viri, & imitatione digniſſimi, ſapientiæ ſtudio cum conjugibus dediti fuerunt.

QVi negat Aonidum ſectantem caſtra ſororum
Caſtra ſimul Veneris dulcia poſſe ſequi;
Iſte, precor, ſerus cœlebs ut vivat in annos,
Ponat & in viduo frigida membra thoro.
Hunc, vos, Aonides, caſtris expellite veſtris,
Nec minus hunc caſtris pelle, Cupido, tuis.
Vera quidem in doctis, fateor, ſapientia libris;
Conjuge at in caſta non minus illa latet.
Quem juvat arcanos naturæ quærere motus,
Et mundi varias edidiciſſe vices;

Con-

Conjugis ille ſuum lateri conjungat amantis,
Et magnum in parvo corpore cernet opus.
Lumina qui cæli mirans & ſidera ſpectas,
Fronte ſua conjux ſidera bina gerit.
Si tibi luna ſua placeat variante figura,
Ingenio varium quid queat eſſe magis?
Cedit Atlantiades ubi gratæ munera vocis
Explicat, & varios lingua diſerta ſonos.
Imperioſa Jovis, Saturni triſtis imago eſt,
Phœbum læta refert, nil niſi tota Venus.
Ignibus illa ſuum felicibus urit amantem,
Quis flammas iſto corde latere neget?
Quod ſi audire volet ſævi quis murmura ponti,
Audiat hic dominæ juſſa ſuperba ſuæ.
Fertilis ingentes referet telluris honores,
Cum tua florebis prole referta domus.
Sæpius aërii veluti de vertice montis
Irriguas videas fundere flumen aquas:
Flumina ſic lactis, ſic flumina nectaris errant,
Quæ lactans geminis fundit ab uberibus.
Sic Themis alma, cui te totum, ſponſe, dicaſti,
Conjungit Veneris caſtra propinqua ſuis.
Altera, ſponſe, manus libros tenet, altera myrtos,
Ut Themidi gaudes ire, Cupido, comes!
Jura tibi dictans hic munere Cæſaris HAnna
Fungitur, accedit Tribonianus Amor.

Oſcula ſunt tituli, pandecta fœdera lecti,
In ſola totum Virgine Corpus erit.
Quisque ſuas proprio recitat de Codice leges:
Judicis at partes ſuſtinet alma Venus.
Eſte tamen procul hinc ingratæ murmura litis,
Eſte procul queruli jurgia rauca fori.
Sed veniant riſus faciles, mollesque ſuſurri,
Et ſibi quæ paſcit dulcia verba thorus.
Qualia ſollicito dixit Briſeis Achilli,
Aut Helene exoptans oſcula grata Paris.
Qualia Penelope lento perſcripſit Vlyſſi,
Aut comes extincto Laödamia viro.
Prima tuos lauro cingens Academia crines,
Contulerat ſtudiis præmia digna tuis:
At nunc fœmineas ſtudioſe ediſcito leges,
Hinc venient capiti myrtea ſerta tuo.
Hinc tibi proſperitas, hinc nomina ſera nepotum,
Et longæ dabitur poſteritatis honor.

In Nuptias WILHELMI WIMHELMII, L. A. M. Et GERHARDÆ KELDERS.

NOn tua limitibus circumdata, magne Cupido,
Regna,

Regna, nec in nullo pectore regnat Amor;
Arma tibi Mavors: Neptune tridente ſuperbis.
Et jactat citharam doctus Apollo ſuam:
Mirandaque potens virga Cyllenia proles:
Sunt ſua ſceptrigero tela triſulca Jovi:
Delia Venatrix pharetrata eſt: Pallada Patris
E cerebro armatam proſiluiſſe ferunt
Nulla, Cupido, tuas poſſunt ſuperare ſagittas
Arma, ſolent armis ſuccubuiſſe tuis.
Quamvis torva tuos Tritonia ſpernat amores
Pone ſequens Sophien Pieridumque chorum;
Sic tamen illa nequit proprios ſervare clientes,
Ægide munitos pectora tota licet.
Viſcera quin veſtrum pertingat ad intima telum,
Et grave quisque ſuo pectore portet onus.
Nec tantum, tibi ſuccubuit Priameïus hoſpes,
Cui nudæ ſe tres exhibuere Deæ:
Amphithryoniades iſtos quoque ſenſerat ignes,
Dum furit in thalamos, Deïanira, tuos.
Non ſunt tela tibi lernæis atra venenis,
Sed tua ſunt illis fortia tela magis.
Ille licet clava tutus, ſpoliisque Leonis,
Enume, et forti parta trophæa manu,
Non minus inſolitos ſenſit, mirosque labores;
Nec minor eſt decimus tertius ille labor.
Nec tantum veſtris Helene eſt proſtrata ſagittis,

Inter ſpartanas prima locanda nurus:
Sed quoque Pegaſeis vectus proluta fluentis
Phaonis forma Lesbia victa fuit.
Quam multis puerum Chiron inſtruxit Achillem!
Immites animos dum regit illæ lyra:
Artes ingenuas doctum quis crederet olim
Vincendum veſtris artibus eſſe Ducem.
Triſtes abducta Lyrneſſide flevit amores;
Ad veſtras artes compoſuitque ſuas.
Tu quoque cui totus ſe præbet Apollo videndum,
WILHELMI, *& pandunt totum Heliconа Deæ,*
Ecce Cupidineis trajectus corda ſagittis
Ingemis, inque tuo pectore regnat Amor.
Eja age bacciferas circum tua tempora myrtos
Nectito, namque tibi quam favet alma Venus!
Jungitur ambitæ tandem tua dextera dextra.
Et petit amplexus pulchra Gerarda *tuos.*
Eja, age virgineis felix ſatiare triumphis,
Et longam ſedent oſcula grata ſitim.
Non tua jam doctos diſcat mens enthea libros,
Sed cedat Veneris pulcher Apollo choro.
Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur.
Non bene cum triſti Pallade regnat Amor.

In Nuptias
HENRICI MEILINCII,
V. D. M.
Et
CHRISTINÆ HASEBROECK.

Cum nuper vacuus curarum ſolus in agris
Errarem ad ripas, Iſala Die tuas.
Sperabam tepidas Zephyris melioribus auras,
Vt tandem veri ſqualida cedat hyems.
Cumque memor veteres animus mihi volveret ignes
Queis olim juvenis pectus aduſſit amor:
Ecce Deas vidi (Facies vidiſſe Deorum,
Fas certe ſacris vatibus eſſe putant.)
Non quas Priamides in aquoſæ vallibus Idæ
Contulerat, teneras cum ſequeretur oves:
Sed juga Parnaſſi, ſed ſacrum Helicona colentes,
Dux erat Aonii fluvius Apollo Chori.
Audivi numeros, divinæ murmura linguæ,
Verbaque conceptis emodulata ſonis.
Quæ dum Melpomene facundo concinit ore,
Sic pulſat citharam Calliopea ſuam:
Ante Iovem fixis homines ſine legibus ævum
Degebant, nulli cura pudoris erat.
Cum caſa terrigenas capiebat parva maritos,
Et faciles lectos antra, nemusque dabant.
Nulli certa domus, certis ſine ſede Penates,
Errabat nulla lege coactus Amor.
Primus Hymen ſacras voluit decerpere myrtos,
Primus conjugii fœdera certa dedit.

Idem

Idem virgineos docuit caſtiſſima cœtus
Iura, ac ad certos verba regenda modos.
Hic vetuit vanæ mendacia turpia linguæ,
Ne nutu, aut oculis falleret ulla ſuis.
Neve gerat faciem fœdo medicamine pictam,
Neve peregrinas induat ulla comas.
Primus Hymen ſacris moderari legibus urbes,
Et dextras docuit jungere primus Hymen.
Qualis hyperboreo tellus ſubjecta Trioni
Vndique Parrhaſia eſt horrida tota nive:
Nuda comis arbor: Mœrent ſine gramine campi,
Quos tantum obliquo ſidere, Phœbe, vides.
Non reſonat lætis volucrum concentibus aër,
Sed triſtes ululant per loca ſola feræ,
Talis vita thori conſorte carentis, & almæ
Gaudia cui Veneris caſta negavit Hymen.
Hymen ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe,
Nam per te facies lætior orbis erit:
Qualis ad Euphratis ripas, aut Theſſala Tempe,
Aut ubi frugiferos Nilus inundat agros.
Qualem dives arat Capua, auruicina Veſevo
Ora juga, multis invidioſa bonis.
Hactenus auratis cecinerunt numina plectris,
Effugere aureis cætera cuncta meas.
Dicite Naïades circum vada læta puellæ,
Quæcunque Iſalicas hic habitatis aquas;
Quid fuit inſolitis quare fulgoribus æther
Arſerit, & ſuavi fragret odore nemus?
Quid ſibi percuſſis voluerunt carmina nervis,
Carmina, Caſtaliæ quæ cecinere Deæ?
Sic ego: ſic placide reſpondens una ſororum,

Ora

Ore renidenti talia verba dabat:
Meilingus, *divum interpres, ſanctusque ſacerdos,*
Cui ſedet in doctis ſuada venuſta labris;
Cujus ab eloquio diſcit Myſteria Princeps
Cœlica, Naſſovicæ gloria prima domus.
Ecce Cupidinea trajectus corda ſagitta,
Chriſtinam *læſo pectore totus amat.*
Hoc erat inſonuit modo quod concentibus aër,
Hinc illa Aony gaudia magna chori.
Nunc ſcio quid ſit amor: noſtris ſeu mentibus illum
Mittit ab ætherei ſedibus ipſe Deus:
Seu ſatus Iapeto divini particulam ignis
A prima nobis conditione dedit.
Hæc eſt conjugy vere Cœleſtis imago,
Quo junxit ſuperis inferiora Deus.
Chara Dei Soboles, magnum patris incrementum,
Qui de terreſtri ſanguine natus homo es:
Æterno noſtras tibi jungito fœdere mentes,
Et junctas ſerva Flumine, Chriſte, tuo.
Hos irrupta novos conjungat copula ſponſos,
Nec niſi ſupremo lumine ſolvat Amor.

In obitum GISBERTI VOETII, Et ANDREÆ ESSENII, Theologorum Ultrajectinorum.

VOetius *ingenti ſuperata mole laborum,*
Exigua tectus nunc requieſcit humo.

Sed

Sed tumulum longo circumſtant ordine manes,
Qui magna cineres relligione colunt.
Enumerant tanto vigilatas tempore noctes,
Et juvenem, & ſtudiis incubuiſſe ſenem.
Mirantesque ſtupent, indignanturque gementes,
Ac tantum Parcis hæc licuiſſe dolent.
At ſua Therſites *nunc vulnera cruda retractat,*
Quem dudum impuro pœnitet ore loqui.
Nec deſperatam *tentat defendere* cauſam
Amplius, erroris conſcia Roma *ſui.*
Jam tacet Arminius, *jam qui blaſphema* Socini
Et Pelagi renovant noſtra *recocta tacent.*
Rumpere Livor iners, vicit te Voetius, *& jam*
Ingenuæ laudem poſteritatis habet.
Spiritus anguſti tranſcendens limina mundi
Miratur magni celſa theatra poli.
Deſpicit imbelles, Doctorum jurgia, rixas,
Scindere qui pacem partis amore ſtudent.
Quin etiam triſti modulatus carmine leſſum
Eſſenius, *ſacri Duxque, Paterque chori:*
Vix bene deſierat: meditans cæleſtia, cælum
Suſpicit, & vilem ſpernere cœpit humum.
Hic quoque magnificos egit de morte triumphos,
Et carpit pleno gaudia læta ſinu.
Felices animæ! cœli inter ſidera junctæ,
Fœdera nunc vobis non peritura manent.
Ut ſua ſecuri narrare pericula nautæ
Gaudent, ſi in portu naviget acta ratis:
Sic vos emenſi narrate pericula mundi,
Quos ſupra mundum lætus Olympus habet.
Interea mæſto plangens Eccleſia vultu

Teſta-

Teſtatur lachrymis ſeria vota ſuis.
Heu tua, Trajectum infelix, Academia faſces
Submittens, tantis cladibus orba ruit.
Hanc tibi tempeſtas prædixerat horrida ſtragem
Quæ pridem denſis nubibus acta fuit.
Æolus inſano proſternens cuncta furore
Evertit turres, templa ſuperba, lares.
At tu, Chriſte Deus, *ſancta qui tecta Sionis*
Curas, & Solymæ mœnia celſa tuæ:
Tu populo diros clemens defende tumultus,
Et ſolidæ pacis fœdera redde piis.

In obitum
SEBASTIANI DAMMAN - CRUSII.
V. D. M.

D*Vm redit ad ſedes terram pertæſa beatas*
Numen amicitiæ (quam Dea rara!) fides:
Perfidiæ flagrans odio, fraudiſque doliſque
Ad nigras Orci dicitur iſſe domos.
Neu fidi infido fierent ludibria mundo,
Hæc ad luctificas eſſe locuta Deas:
Numina pauperibus magnos miſcentia Reges,
Affectus quorum pectora nullus habet:
Candorem quoniam mundus deridet & odit,
Vos etiam ſervis parcere nolo meis.
Quo magis in mundo fido quis pectore vivit,
Hoc citius noſtras ille ſubito domos.
Sic ait, & ternæ nutu aſſenſere ſorores:
Hæcque rata ex illo tempore fata manent.

Et quid te attoniti nobis miramur ademtum?
Cujus erat ſancto in pectore quanta fides?
Cruſius *occubuit, veræ pietatis imago,*
Et non fucatæ ſimplicitatis honor.
Cujus & incoctum generoſo pectus honeſto.
Indoluit ſibi non ſuccubuiſſe dolor.
Invidiæ ſcopulus, quem ſi quis dente maligno
Impetat, acquiret grande doloris onus
Ilia rumpantur Momis, procul eſte profani,
Quos in deſidiam lividus error agit.
Cruſius *Aoniæ quem dilexere ſorores,*
Quem fovit ſacro pulcher Apollo ſinu.
Cum quo Græcorum, cum quo Romana vetuſtas
Non unquam docto deſiit ore loqui.
Ille Palæſtinas primæva ab origine voces
Arceſſit, Latias edocuitque togas.
Maimonides illo gaudens interprete, ſcripta
Dictat, Idumæi quæ tenuere ſenes.
Hic cum Legifero Moſis cognomine fulget,
Et ſolus nugas noluit eſſe ſuas.
Fallor? an exoriens fauſtæ prænuntia lucis
Promittit fido lumine ſtella diem?
Incipit & grato diſpellere flamine nubes
Qui Patribus quondam Sol, clypeusque fuit.
Iam ſua Rabbini noſtris myſteria terris
Incipiunt Latio clarius ore loqui.
Nec ſua Talmudicis occultant ſcrinia chartis,
Et prodit vires Cabbala priſca ſuas.
Scilicet effluxit quod non reparabile tempus
Indiciis vates præcinuere ſuis.
Sceptraque Davidicos olim decorantia Reges,

Iam

Iam dudum longa morte ſepulta jacent.
Gloria Iacobidum, ſancti penetralia templi,
Proh pudor! æternis obruta ruderibus.
Hactenus haud potuit, quod vel domat omnia, tempus,
Pectora tam longis attenuare moris.
O utinam, poſito tandem velamine, Chriſtum
In Dominum toto crederet orbe fides!
Exultetque ſuo gaudens Iudæus honore,
Nec veniat cunctis gentibus ire comes.
Nam modo diſcuſſis divina luce tenebris,
Vnanimi mundus concinit ore Deum.
Ad ſacra jam nudus celebranda admittitur Indus,
Mittit divitias clara Sabæa ſuas.
Sub juga jam Seres, jam Barbarus ivit Araxes,
Germanus flexo procubuitque genu:
Romani rerum Domini, Graiique ſagaces,
Quæque procul Scythico terra ſub axe jacet:
Parthus ab Eoo, Lybico de littore fervens
Africa, ab occiduo ſidere venit Iber.
Quinetiam clauſtra Oceani perrupit, & orbis
Antea non notis venit ab usque plagis.
Interea jacuit caligine merſa profunda
Gens hæc cui leges credidit ante Deus.
Regni magnifica ſed ſpe ſe lactat inani,
Atque ſibi Attalicas credula fingit opes.
Talia fœcundo verſabas pectore, Cruſi,
Tradere & hæc chartis cura laborque fuit.
Te veniente die, te decedente canentem
Viderat in ſacris Calliopea choris.
Colligit omnigenos per prata virentia flores,

Atque implet calathos læta puella ſuos:
Inde ſibi multas varioque colore corollas,
Feſtivum artifici pollice texit opus.
Ex illis cupido gratum dat munus amanti;
Aut aptat capiti florea ſerta ſuo.
Sic & apes, æſtate nova, redolentia nactæ
Paſcua, per flores, & thyma ſumma volant.
Et tiliam, & ſalices paſcuntur, & arbuta paſſim,
Et caſiam, & gemitus, ô Hyacinthe, tuos,
Protinus at liquido diſtendunt nectare cellas,
Et fingunt dulci dædala tecta favo.
Haud aliter doctis, Cuſi *doctiſſime, chartis*
Invigilas, omni tempore fervet opus.
Sic tibi magnifici veterum monſtrantur Agones,
Quotquot habet Latium, quotquot & Hellas habet.
Sic tibi diſpoſitos diverſa per agmina ſervos
Quemque ſuo videas ordine, quemque loco.
Scilicet & ſervos certum eſt, vinctamque palæſtram
Vrgeri vitæ conditione pari:
Simonem Davus metuit, Ludusque laniſtam,
Sic habet hic dominos, nec minus ille ſuos.
Fortior in fulvam prodis luctator arenam,
Cui dedit aſſiduus brachia dura labor:
Triſtia continuo ſudore ergaſtula fumant,
Atria, piſtrinum, villa, cubile, domus.
Vulnera non trepido patiuntur plurima vultu,
Pollice quos verſo torva theatra necant:
Verbera non molli patiuntur plurima tergo,
Quos in piſtrino vincula dura ligant.

Retia

Retia Myrmillo fallax illudit, at hoſtem
Strangulat incautum decipiente manu:
Quis mihi ſervorum poſſit mendacia, technas,
Et bene conſutos enumerare dolos?
Pondere, menſura, numeroque cibaria certo
Præbet herus ſervis, præbet arena ſuis.
Quæ tandem pugnæ eſt niſi læta corona coronis?
At rude donatus dedicat arma Deo:
Vltima ſervorum ſpes eſt, ſi vertice raſo,
Accipiant facili pilea grata manu,
Hæc tibi victuris Cruſi *manus enthea chartis*
Tradidit, & Famæ tale dicavit opus.
Antiqui ritus, veterum monumenta virorum
Qui merito tangunt Solis utramque domum,
Hinc lucem accipient arcana volumina Moſis,
Hinc & Apoſtolica ſcripta notata manu;
Quam multa in denſis, triſti ſub nocte, tenebris
Obruta barbarica mole ſepulta jacent?
Ecce Machaonias hic Cruſius *expedit artes,*
Præluceus docta lumina grata face.
Sed tot congeſtos noctesque diesque labores
Proh dolor! exitio tradidit una dies.
Zutphana Dammanno, Cruſio*que ſuperba, videbat*
Amborum hoc uno fata nepote geri.
Zutphana Dammanno, Cruſio*que ſuperba, dolebit*
Amborum hoc uno fata nepote tegi.
Hunc ſibi quam voluit tranſcribi Franica civem,
Oſtentans Friſicæ culta lycea ſcholæ.
Sic quondam Fratrem leges & jura docentem

Mirata eſt docto terra Batava ſinu.
Ecce tibi Myrtos, viridantia ſerta, parabam,
Sperabas feſtos, ô Hymenæe, choros.
Sed nunc feralem quaſſat Libitina cupreſſum,
Inficit & cunctas præfica nigra vias.
Caſtalii laticis fons obturatur, & ora
Dedecorat lachrymis pulcher Apollo ſuis.
Vah lyra! vah cithara! vah læta carmina mentis!
Abjecit doctam Calliopea chelyn.
Ah! mihi ſurripior, gravi dum funus Amici
Me dolor, & mœſtus plangere juſſit Amor.
Iamque vale, ſalve æternum, mihi maxime Cruſi,
Poſteritas noſtri hoc pignus Amoris habe.

In Q. Curtium
A SAMUELE PITISCO.
illuſtratum.

Est locus in Suſis ubi regia mœnia ſurgunt,
Mœnia, Elamitæ quæ tenuere Patres.
Hic, gemina auratus taurino cornua vultu,
Eulæus cultos flumine lambit agros.
Illius ad ripas, facies vidiſſe Deorum
Dicitur Ebræis Daniel artus avis.
Nox erat, & feſſos ſomnus circumvolat artus,
Et canis, & variæ conticuiſtis aves.
Parrhaſiæque feræ dum flectit plauſtra Bootes,
Hæc, monſtrante Deo, ſomnia Vatis erant:

Hinc

Hinc aries ſterili conſiſtit margine ripæ,
Binaque ſublimi cornua fronte gerit.
Ex illis unum majus fuit: attamen illis
Pugnat, & invitos ſub ſua jura trahit.
Nunc ſeſe ad Zephyrum, nunc ſe vertebat ad Auſtrum,
Nunc illum Boreas ſenſit adeſſe gravem.
Aſt illinc, celeri glomerans veſtigia greſſu,
Corniger Heſperiis ſedibus hircus adeſt.
Hic ſibi dum totum currendo ſubjicit orbem,
Par levibus ventis, vix pede preſſit humum.
Continuo (horrendum) magna vi concutit hoſtem,
Arietis & frangit cornua bina ſimul.
Concidit hic, nullas potuitque reſumere vires,
Non illi auxilium qui ferat ullus adeſt.
Fortior inſurgit, viresque acquirit eundo
Hircus, nec toto cernit in orbe parem.
Frangitur at ſubito cornu ſublime: reſurgunt
Quattuor; haud tantis viribus illa tamen.
Horruit; & trepidas volvebat pectore curas
Vix capiens Vates quid ſibi viſa velint.
Explicat hæc ſacris ænigmata tecta figuris
Curtius, eventu conciliante fidem.
Hactenus Aſſyrii florentia ſceptra gerebant,
Perſarum tamen his gloria mixta fuit.

Barbara Maſſagetum, funeſtaque rura petuntur,
Senſit & Ægyptus, ſenſit & Hellas opes.
Quam cito Pellæus juvenis ſibi ſubjugat orbem
Bellò, addens annos ad duo luſtra duos?
Græcia ſervitium vidit, dominumque paratum,
Victaque jam diſcit jura ſuperba pati.
Granicus arma virum, galeasque, & fortia volvit
Corpora, purpureo ſanguine tingit aquas.
At matrem, natos, uxorem, caſtra Darii
Pyramus, & Cilicum tradidit Iſſus humo.
Vltima in Aſſyriis concurrunt prælia campis,
Arbella hac triſti clade notata fuit.
Beſſe, dabis pœnas: non digna morte peremti
Regis Rex alter protinus ultor erit.
Sub juga jam Porus, jam barbarus ivit Hydaſpes,
Iam Bacchi minor eſt, Herculeusque labor:
Venit ſumma dies, & ineluctabile fatum,
Quod te, Rex ingens, in Babylone manet.
Miſcuit hæc herbas, hæc miſcuit acre venenum.
Vixiſti, & tecum gloria tanta jacet.
Hæc tibi Chaldæi cecinere pericula Vates,
Sed Sophus abſurdos judicat hoſce ſenes.
Talia divino prædixit carmine Jaddus,

Numine

Numine qui ſacro exiitus actus erat.
Quid tibi Mæonidæ præconia, Magne, petebas?
Qui queat heroa bella ſonare tuba.
Manibus, ecce, tuis præbens ſolatia Rufus,
Te facit à ſera poſteritate cani.
Nec tibi Lyſippi ſtatuæ, nec pictor Apelles,
Sed vitæ genium Curtia penna dedit.
Chœrile, quid verſus incultos, & male natos
Jactas? indignus regia dona capis.
Cedat Alexandro Tydides, cedat Achilles,
Et cedat cujus Pergama victa manu.
Curti trans terras, trans altas æquoris undas
Auditur Latio lingua diſerta ſono.
Hanc dedit expoſitam docti tibi cura Pitiſci,
Poſſit ut à quovis clarius illa capi.
O tali fœlix interprete noſtra juventus!
Quæ colis Aonias, numina ſancta, Deas.
Hoc duce Parnaſſi conſcende cacumina montis,
Te manet hic Phœbi flexa corona manu.

De eodem Interprete,
Parodia ex puris iambis,
Ad Phaſelum Catulli.

PItiſcus *ille quem legetis, hoſpites,*
Ait fuiſſe lector impigerimus,
Ait fuiſſe ſcriptor integerrimus.

Neque ullius ſtudentis impetum viri
Nequiſſe præterire, ſive noctibus
Opus foret labore, ſive ſolibus.
Et hoc negat minax ſinus Batavici
Negare littus, Iſalamve Gelricum:
Genusque Friſonum inclytum & Tuiſconis:
Ubi Piticus *iſte deditus fuit*
Libris & artibus: Pitiſcum *in his locis*
Apollo proluit liquore Caſtalis.
Groninga frigida, & lutoſa Suſſana,
Tibi hæc fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait Pitiſcus, *ultima ex origine,*
Sacro ſtetiſſe dicit in cacumine:
Aqua imbuiſſe corculum ſacerrima.
Et inde tot per ora docta curſitans
Vitum, tuliſſe leva ſive dextera
Vocaret aura, ſive utramque miſcuit
Potens ſecunda temperare triſtibus.
Neque ulla vota Murcialibus Diis
Sibi eſſe facta, cum rediret a ſacris,
Ad hæc amœniora ſacra, literis.
Sed hæc prius fuere, nunc ſcholaſtica
Sedet quiete, ſeque dedicat tibi,
Apollo Præſes, & novem ſororibus.

In

In ſecundam ejus editionem.

QVi bene natus erat meliore renaſcitur aſtro
Curtius, & vultu ſplendidiore nitet.
Non ſecus ac patriis Macedo nutritus in armis,
Moribus, & Grajis veſtibus aptus erat.
Perſidis at poſtquam, ſpoliisque oneratus Eois,
Sidera ſublimi vertice ſumma ferit:
Creverunt & opes, & magnificentia crevit,
Crevit & immenſus cum gravitate decor.
Quam prope par ratio ſcribentis tali Quinti,
Ornati curis, docte Pitiſce, *tuis?*
Hunc dederas pulchro veſtitum membra decóre,
Et decuit, placuit veſtis, honeſta fuit.
Pulchrior aſt idem, multoque ornatior exit,
Dum placet artifices huic adhibere manus.
Qui non diſplicuit tenui velatus amictu,
Ditior ut prodit, qui, rogo, diſpliceat?
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo
Vis hominis, greſſus promovet usque ſuos:
Librorum haud diſpar ratio eſt, quos pectore pleno
Caſtalii laticis non genuiſſe ſat eſt:
Sed magis atque magis majores addere vires,
Et cura, & ſtudiis expoliiſſe juvat.

De Pace
BELGIO FOEDERATO
Poſt tumultum Gallicum, A. C. 1678. fœliciter reſtituta.

Ergo omnis longo ſolvat ſe Belgica luctu,
Et lachrymas abſtergat ovans, oculosque natanteis
Erigat, & feſſæ ſperata levamina terræ
Tandem pacifero videat deſcendere cælo.
Mutatus gemit, & damnat ſua prælia Mavors,
Sanguineosque oculos placidus, vultusque tremendos
Exuit, & ſtrictos indignans projicit enſes,
Ac nova reſtituit calcatæ fœdera pacis.
Heu decus! heu patriæ quondam florentis imago!
Poſt expugnatas urbes, Mauros que fugatos,
Undique concluſo munita Batavia vallo,
Hoſtibus inſultans, partisque ſuperba triumphis,
Ingentes congeſſit opes, penitusque repoſtas
Heſperidum gazas ſolido cumulaverat auro.
India miſit ebur, molles ſua thura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum: mirabile viſu.
Impiger extremum peragravit navibus orbem
Belga ſagax; tractusque maris, terrasque remotas
Divitiis ſpolians, patriis ſimul intulit oris
Infelix, quæcunque ſolent (heu!) ſyrmate longo
Te, fortuna, ſequi miſeræ contagia mentis.

Proti-

Protinus â noſtris Aſtræa fugata receſſit
Finibus, & ſecum comites ex ordine traxit
Virtutes, Charitesque, Fidem, Verum, atque Pudorem:
Succeſſere Doli, Cædes, Scelerata Libido,
Atque auri maleſuada Fames, & Lerna malorum
Luxuries, rebus comes indivulſa ſecundis.
Hinc ingens Superum tandem irritata Deorum
Ira, graves populis atque urbibus excitat hoſtes.
Ac veluti magno glomerantur in æthere moles
Absconduntque diem, paulatim nubila cœlo
Denſantur, crebrique micant è nubibus ignes:
Horrida tempeſtas ruit atro turbine: Cæca
Mobilitate viget, viresque acquirit agendo.
Nec mora, nec requies: tum multa grandine nimbi
Culminibus crepitant, terris nox incubat atra:
Sic fera Barbaries penitus commota trementem
Irruit in patriam, commiſto turbine gentes
Undique confluxere, haud uno ſurgit ab hoſte
Martis opus. Quondam Trojanam excindere gentem
Aulide jurarunt Danai, cum fœdere pacto
Græcia Dardaniæ eſt lento colliſa duello.
Vicini, factis inter ſe legibus, omnes
In Batavos nunc arma gerunt. Hinc navibus æquor
Sternitur, & pelago tot caſtra natantia Nereus
Miratur, Tameſisque graves de gurgite claſſes
Evomit, & faciles in prælia dira Britannos.
Weſtphalus hinc, acri ſtimulatus corda dolore,
Admovet inſanas acies. Violentia Franci
Sæva movet populos, & Grandia lilia quaſſans
Borbonius, cunctos vel nutu concitat uno.

Non ſecus ac vitreo mundum concluſerat orbe
Arte Syracuſius miranda: Hic fœdera rerum
Hic Solis, Lunæque vices, Legesque Deorum
Motibus adſpiceres certis ad mutua ferri
Munera, dum proprium mentitus ſignifer annum
Percurrens, æquo diſterminat ordine menſes.
Incluſus fictis dominatur Spiritus aſtris,
Et varium ſolo ſic temperat æthera nixu,
Inſtar Regis opus mirum ratione gubernans.
Hoc Araris ſenſit potor, rapidique Garumnæ
Accola, quique bibunt Ligerim, quos Sequana nutrit.
Hic tandem extremas ſonitus ſic perculit Arctos,
Pene ut concuſſo rueret cum cardine mundus.
Intremuere poli: Gotthi, Dominique Trionum
Horribili penitus cuncta involvere tumultu.
Sic igitur totis commoti viribus orbis
Europæ, in ſolos fremuit Bellona Batavos.
Quis mihi nunc captas urbes, aciesque fugatas
Explicet? aut ſtratos occiſo milite campos?
Sanguinis innocui rivos? gemitusque cadentum?
Et læti victoris onus? Flammasque furentes
Vulcano ſuperante domos? Quis talia fando
Francorum, Britonumve, aut duri miles Iërnæ
Temperet a lacbrymis? ah! quis renovare dolorem
Infandum cuperet, ſævique incommoda Martis?
Proh, fortes quondam Belgæ, manesque beati!
Quicunque Auriacos olim, qui caſtra ſecuti
Naſſovica, Heſperios ſoliti terrere Philippos
Sæpius, & meritis patriam decorare triumphis!
Nulla relicta foret Belgarum nominis umbra,
Ni

Ni Pater Omnipotens, ſtellanti nixus Olympo,
Certis naufragium manibus commune levaſſet:
Noſter & Auriacus jam jam ruitura ſubiſſet
Pondera, ceu Cœlum caſurum fulcit Atlas.
Gaudet Narda capi, victas Pater Iſala ſedes
Reſtituit patriæ, Vahalim ſed Gravia tandem
Reddidit, hinc alium Mars eſt delatus in orbem.
Ut victor quondam ſcandens Capitolia Brennus,
Æternam gentem juratus tollere, fruſtra
Omnia conatur, lances removente Camillo;
Extulit optatum libertas priſtina ſignum,
Cum Trajectinis excedere finibus hoſtes
Vidit Rhenus *ovans, doctæ vidiſtis Athenæ.*
O quam te memorem divinæ Palladis ædes!
Heic ubi ſe patulis felix Academia valvis,
Vicinis circum fruſtra ringentibus, effert.
Hæc pridem complexa ſinu, & mirata tonantem
Voetiaden, *myſtasque alios, fandique potentem*
Æmilium, *titulis neque nunc concedit avitis.*
Ante alias felix: Ubi docti Græviuſ *oris*
Caſtalios latices pleno de fonte miniſtrat.
Inde Sicambrorum ſedes, terrasque Tubantum
Deſerit hoſtilis rabies. Sint Marte triumphas
Zutphana. Sed Tungris tempeſtas ſæva minatur.
Moſa pater, Scaldisque pavent, dominosque ſu-
perbos
Lyſa tremit, Morini ſtagnarunt ſanguine campi.
Haud ſecus ac Libycis graſſatus Hannibal ar-
mis
Heſperiam proprio ſubmerſit pene cruore.
Poſt clades Thraſimene tuas, Trebiaque dolores,
Horri-

Horrida funeſtum jam ceperat Allia nomen:
Poſt quam victrices taxarunt funera Cannæ,
Cum tibi magnificas ſponderes, Punice, gazas,
Cum jam jam pedibus calcares colla Quiritum,
Æneæque Deos, atque alta mœnia Romæ:
En tibi Scipiades bellum tranſmittit in Afros,
Nec pulſare times celſæ Carthaginis arces.
Poſt Fabios, Paulos, Marcellos, atque Nerones,
Exereris belli fulmen, vindexque parentis,
Qui face Sidonios ferroque ſequare colonos.
Jam tibi, ſed fruſtra, Tarpejas Hannibal arces
Promittis, Tyriis dum vix defendere muris
Vix datur Æneadas: Sic noſtræ Scipio terræ
Martem diverſas Belgis avertit in oras.
Diſcuſſis tandem bellis, ac hoſte remoto
Lætior exoritur Titan; Pax omnia reddit.
Jam ſaturas Melibœus oves torrente lavabit,
Compellentque greges Corydon & Thyrſis in unum.
Interea gracili modulatur arundine carmen
Tityrus & patulæ recubat ſub tegmine fagi
Formoſam reſonare docens Amaryllida ſylvas.
Pax lætas faciet ſegetes, avidoque colono
Paret gratus ager: nec culta novalia ſævus
Diripiet miles. Peregrinas navita merces
Advehit, & plenis ſulcat vada ſalſa carinis.
Securas errare boves jam cernis, & ipſum
Surgere te ſacris ornatum, Pinde, Camœnis,
Dum choreas lauro ducit redimitus Apollo,
Vndique & ingenuas paulatim ſuſcitat artes.
Hinc mens digna polo, cœleſti impulſa furore,

Ardet

Ardet lauriferos Parnaſſi ſcandere colles,
Infima deſpiciens, dum ſummis Spiritus aſtris
Inſeritur, ſupra ſtellas altamque Dianam
Subvehitur, victo livore. Imo ardua quamvis
Sit via, non renuit mens indefeſſa laborem.

Sic poſtquam patrios proles Clymeneïa currus
Conſcendit, fruſtra tentat retinere volantem
Æthontem, Pyrœusque vagas abjecit habenas;
Ardet Athos, ſævitque dies, & ſtagna propinqui
Evacuant radii, ſiccæ eſt mare campus arenæ:
Aſt ubi depoſito nati de funere luctu
Colligit inſanos, & adhuc terrore paventes
Phœbus equos, rediit tandem meliore magiſtro
Machina, concentuque poli, circumdata ponto
Deſiit ingratas effundere terra querelas.

Tu qui flammiferos æternus legibus orbes
Perpetuo nixus ſolio ſic turbine verſas,
Vt poſitus ſummo Arctophylax videatur in axe
Siccus, & indomitus frenum patiatur Orion:
Qui numeris elementa ligas, ut frigora flammis
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut merſas deducant pondera terras:
Tu genus humanum poſitis hoſtilibus armis
Concordi ſic pace liga, ut compagibus arctis
Claudantur belli portæ: Tuque impie Mavors
Exceſſo, & Stygio procul hinc te abſconde profundo.

In WILHELMI WILHELMII

Ἀλγοποιεῖν δεκάφυλον.

QVæſiit Æëtes nati crudeliter artus
Diſcerptos manibus, ſæva Megæra, tuis:
Alcidæ dilectus Hylas, Proſerpina matri
Perdita ſollicitæ cura laborque fuit.
Tu vero totam quæris, doctiſſime, gentem,
Quæ latuit ſeclis innumerabilibus.
Excutis Armenios, Arabas, Garamantas & Indos,
Germanos, Italos, Æthiopas, Morinos,
Ac penitus toto diviſos orbe Britannos,
Quique tuam late, Græcia, vaſtat humum.
Tigris & Euphrates, Rhenusque tricornis, & Iſter
Non ſiſtant mentis fulmina dia tuæ:
Quin etiam ignotum pridem delatus in orbem,
Ante tibi tellus quam tuus ardor abit.
Deſinito inſanas tandem jactare latebras,
Gens qua fallaci credulitate peris.
Fabula Sambation lapſis exaruit undis,
Nec jam lux illi ſeptima claudit iter.
Chriſte, tui tandem populi miſerere vagantis,
Et reduces patrio ſiſte repente ſolo.
Japhetus quondam Semo cum fratre tetendit,
Nunc cum Japheto tendito, Seme, tuo.

BAR-

BARTHOLDO WENTHOLT,
cum J. U. D. renuntiaretur.

WEntholdi, *Patriæ decus, ſeveræ*
Wentholdi, *Themidis future Myſta*:
Sunt falſo titulo ſuperbientes
Multi, qui temere ambulant togati
Per circos, fora, porticus, theatra,
Imo in quadriviis, & angiportis,
Sic auro digitum indicem decoro
Ornatum, ſtolidâ ſtupente plebe;
Oſtentant ſine fine, vanitatis
Immenſæ indicium: Inſtitutiones,
Pandectas, titulos crepante linguâ;
Ac ſi Trebonianus immigraſſet
In pectus vacuum eruditionis,
Aut Aſtræa, polo redux, ſuave
Sic vellet docuiſſe ſomniantes.
O rem ridiculam, & nimis jocoſam!
Infelix hominum miſerrimorum
Sors; quos vulturis vorace roſtro
Mactant, dilaniant, agunt, feruntque.
Sed longe meliore nata mens eſt
Wentholdi, *tibi ſorte: literarum*
Tu pectus ſaturum, ſcientiarum

Non uno genere elegantiorum
Repleſti, duce me, vagatus omnem
Doctæ per Sophiæ orbitam, artiumque
Quam vaſtum pelagus beatiorum.
Poſt ſubſellia lætus altiora
Conſcendens, apicem ſcientiarum
Juris notitiam ſeverioris,
Bis ſenas tabulas Decem-virorum,
Plebis ſcita, ſenum ſtatuta Patrum,
A Prætoris honore jus Quiriti
Edicto poſitum, volente Rege
Quod ſcriptum, ſapienter atque ſi quod
Reſpondens docuit peritus artis,
Aut quod moribus approbavit uſus
Hauſiſti: Ofilio, Catone, Varo,
Paulo, Sulpitio, Marco, Vlpiano,
Pompejo, Labeone, Javoleno,
Gallo, Trebatio, ſacris Magiſtris.
Nunc cinctus merito frequente turba
Quæſitum juvenum decus canentum
Incedis, titulosque gratulantum:
Quos inter veterem preces Magiſtrum
(Nec tu deſpicies, ſcio) precantem
Audis, ſed trepide haſitante lingua:
Wentholdi, *Patriæ decus, ſevera*
Wentholdi, *Themidis ſacratæ Myſta.*

AN-

ANDREÆ van DAM, de Agrimenſione diſputanti.

TErminus antiqua Capitoli ſede locatus
Cedere ſupremo noluit æde Jovi:
Immotus patriis idem defixus in agris
Stat lapis, & lites non ſinit eſſe feras.
Munera diverſa domini de parte frequentant,
Ille dabit portam, nec minus ille ſuam.
Ne tamen inſanis naſcantur jurgia rixis,
His chartis Dammi, plurima, docte, caves;
Leida fave, invenùque caput Parnaſſide lauro
Cingito, qui tutos limite præſtas agros.

In diſſertationes JACOBI PERIZONII, de Prætore & Prætorio.

AVriaci nuper victricia ſigna canebas,
Et tria pacifera regna ſubacta manu;
Ac debellatum ſine cæde & ſanguine Regem
Albionem turpi deſeruiſſe fuga.
Atque ut gaudentes hæc libertate Britanni
Euſebien priſco reſtituere loco.
Auriacum Mariamque ſacro diademate cinctos
Hinc ſolio Reges impoſuere ſuo.
Ex animo feſtos Belgæ cecinere triumphos,

Dum Gallus querulum fundit ab ore melos.
Hæc te magnifice ſtupuit Franecra tonantem,
Jacobe, *Aonii gloria ſumma chori.*
Rem tibi non aliter ſignantia verba ſequuntur,
Quam nive brumali flumina fœta ruunt.
At nunc Romanos iterum perquirere mores,
Et juvat antiquas edocuiſſe notas.
Juraque Prætoris, Prætoria caſtra, cohortes,
Et ſacra militiæ, Cæſareamque domum.
Atque ut Tarſenſis Chriſti præconia Miles
Fecerit; ipſe viros inter & arma docens.
Namque hic captivis extollens vincula palmis,
Expoſuit patriæ jura ſacrata ſuæ:
Scilicet eſſe ſibi civem juſſiſſe Quirites
Monſtrat, & in tabulis nomina ſcripta refert.
Quod ſine cæde manus, quod nunquam triſte bidental
Moverit, aut patrios minxerit in cineres:
Sed quod terrigenis cœli myſteria pandat,
Inde ſibi cauſas eſſe, caputque mali.
Talibus orabat, cuncti ſimul ore fremebant
Romulidæ, & nutu tam pia dicta probant.
Iſta Perizoni, *renovatis ponere chartis,*
Iſta juvat cultu ſplendidiore legi.
Non eſt quod metuas, ne quenquam nauſea vexet,
Talia vel decies nam repetita placent.

Ad

Ad eundem cum ad Profeſſionem Hiſtoriarum, Eloquentiæ, & Gr. L. Lugdunum Batavorum vocatus eſſet.

QVi modo Friſiacis Muſarum cultor in oris,
Ducebas ſacros, Dux Iacobe, choros.
Præſule quo faciles exultavere Camœnæ,
Mirantes citharæ fila ſonora tuæ.
Idem nunc Batavis eadem modulabere terris,
Hic novus en! Helicon, hic tibi Pindus erit.
Hic tibi præluſtres oſtentant nomina Douzæ,
Hic BaudI genius, Lipſiadæque canit.
Scaligeri manes, SalmaſI nobilis umbra,
Ingentesque animæ Voſſius, Heinſiades.
Tu quoque, Gronovi, quem me juvenilibus annis
Olim audiſſe, juvat nunc meminiſſe ſenem.
Cum tam præclaras ſtupuit Daventria dotes;
Iſalaque attonitas in caput egit aquas.
Hinc tibi majori licuit decurrere gyro,
Ad ſe cum tantas Leida vocaret opes.
Nunc tibi, nunc cathedræ eſt, nunc famæ filius hæres;
Vt clarum a claro ſanguine ſanguen habet!
Clare Perizoni, veſtigia tanta Deorum
Jam premere, atque æquis paſſibus ire para.
Horum tentabis numeros ſuperare canendo,
Aonia feriens carmina culta lyra.
Leida, Sacerdotem venerans amplexibus arctis,
Excipe, nunc veſtri Dux erit ille chori.
Seu tibi Caſtalias præbebit largiter undas,

Eliciet ſacras ex Helicone Deas.
Seu mundi plectro graviore canetur origo,
Atque ut quæque ſuis tempora nota notis.
Ut ſibi ſuccedant magno molimine regna,
Utque ea poſt ortus interitura cadunt.
Utque altam potuit ſtruxiſſe Semiramis urbem
Nunc jacet heu! uno tanta ruina loco.
Perſica ceſſerunt Macetum juvenilibus armis,
Protinus at tantas Roma voravit opes.
Interea variis Eccleſia ſancta procellis
Cingitur, at nunquam mergitur illa ratis.
O nimium felix, Muſis devota juventus!
Hoc Duce contingunt hæc tibi noſſe, frui.
Euge Perizoni, tibi Chriſtus adaugeat annos,
Augeat & vires; ſerus at aſtra petas.

GODEFRIDO BIDLOO,
Ad Profeſſionem Antomicam in eandem Academiam vocato.

Eſt aliquid ſuperi flammantia mœnia mundi,
Sidereasque alta ſcandere mente domos.
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis arcton,
Aſtrorum ac varias enumerare vias.
Et natale ſolum pluviarum, & fulminis ortus,
Scire, & quas gremio terra recondit opes.
Plus tamen eſt parvi ſecreta recludere mundi,
Numine cœleſti quem gerit intus homo.
Ignea vis animi totos diffuſa per artus
Præſidet, & ſummi Numinis inſtar habet.

Hinc

Hincjuvat arcanos cordis penetrare receſſus,
Et quæ purpurei ſanguinis orbis agat.
Multa ſuper ſtomacho juvat, & ſuper hepate multa
Diſcere, tum cerebri quæ fovet ipſe ſinus.
Quid venæ, ac nervi, geminique in pectore folles,
Et quæ ſub craſſo plurima ventre latent.
Membraque præterea quibus inclyta fabrica conſtat,
Corporis: hanc mira condidit arte Deus.
Nam ſublime caput, ſumma regione locatum,
Hoc vultu cœlum quod tueatur habet.
Hinc aures gemenæ, geminique hinc luminis orbes,
Mira volubilibus lingua diſerta ſonis,
Brachiaque in teretes digitos abeuntia, quorum
Munere multiplici ſe probat arte gravem.
Cruribus, ac plantis hæc fabrica nixa columnis
Et ſtat, & hinc alium ſe movet usque locum.
Talia victuris Bidlous *dogmata chartis*
Edocuit, famæ tradidit illud opus.
Ille Machaonia dudum celeberrimus arte,
Quem mors, morborum quem timet ægra cohors.
Mirantur multos, ſibi quos Libitina dicarat,
Ereptos avidis funeribus eſſe viros.
Haga ducum pridem, ſed nunc quoque Regia ſedes,
Hunc Phœbi comitem nunc tibi, Leida, dedit.
Pande, precor, patulas felix Academia valvas,
Hoc etiam titulis hoc decus adde tuis.
Lætior hinc triſtes poteris ſarcire ruinas,
Quas Nucki *fato es vulnere paſſa gravi.*
Fallor? an exultat Hygieia? an ridet Apollo?
Ominor hinc cœptis omina fauſta tuis.

In Euangelium æternum JOHANNIS VLAK.

PRimus Adam vetita dum carpit ab arbore fructum,
Proh dolor! humanum perdidit omne genus.
Alter Adam lapſis voluit ſuccurrere rebus,
A morte humanum liberat ille genus.
Hoc Euangelium primo Deus intulit orbi,
Et priſci natis hæc cecinere Patres.
Tradidit arcano quæcunque volumine Moſes
Quid niſi de Chriſto gaudia vera docent?
Et præcurſor idem digito monſtravit Janus,
Idque quod a tergo eſt, idque quod ante videns.
Diſſipat obſcuras, nebulis cedentibus, umbras
Phoſphorus, & nitido protulit axe diem.
Invidet, & variis corrumpit tanta tenebris
Gaudia, qui Stygii Rex tenet ima lacus.
At tu, divini prælucens lampada verbi
Flacciade, tenebras diſcutis, atque dolos.
Cujus flexanima mirantur fulmina linguæ
Vſipes: o noſtri lauſque decuſque chori.
Quin tandem verbis advertite talibus aures,
Vos quibus eſt ſacri cura gerenda gregis.
Nulla ſalus bello, ceſſet furialis Enyo,
Nosque licet ſero, pax bona reſpiciat!

In Exercitationes Hiſtorico-Criticas SAMUELIS BASNAGII.

AVgiæ Alcides ſtabulum purgaverat, unde
Sordes Alpheis eluit unus aquis.
Cæſaris *annales purgare* Caſaubonus *orſus*;
Viribus at ſordum copia major erat.
Quis queat infandas artes, mendacia, fraudes,
Quis queat innumeros enumerare dolos?
Pontificis ſolium fulcire Baronius ardet,
Scilicet hinc mendax naſcitur hiſtoria.
Ut quondam Alcides feſſo ſucceſſit Atlanti,
Baſnagi, *Herculeæ ſuſcipe mentis opus.*
Neve reformida ſtabuli ne ſordibus unquam
Fuſceris, nomen clarius inde feres.
Amphitryoniades odiis Iunonis iniquæ
Excluſus terris, ſidera ſumma tenet.
Baſnagides, *odiis agitatus Regis iniqui*
Exul, in æthereas nititur usque domos.
Cumque Caſauboniâ Baſnagia *gloria ſurgit,*
Nobile par junctis paſſibus aſtra petit.

In Phoſphorum Philoſophicum JOHANNIS FLENDERI.

HEi mihi! quam denſis mortalia corda tenebris
Preſſa gemunt! puteo defoſſum inquirere
Verum

Democritus docuit, magno ſudore parandum:
Hinc pauci, heu! nimium pauci dignoſcere poſſunt
Quid timeas, fugias, quid ſit ratione *ſequendum:*
Seu miſer errorum nebulis immerſus homo vix
Pectus humo tollit, duaſque in luminis oras
Erigit infuſam divinæ particulam auræ; &
Frigidus obſiſtit circum præcordia ſanguis;
Obtunditve aciem mentis graviſſimus error:
Seu rerum natura parens (an ſæva noverca?)
Cuncta ſinu gravido, ſpeluncisque abdidit atris,
Ac nube obductâ prohibet penetrare latebras,
Quas, gremiô tellus, quas Tethys omnibus undis,
Maximus & vaſto quas Iupiter æthere condit:
Quàm procul à noſtra ſed cognitione removit
Corporeâ quæ mole carent? quæ cernere tantum
Mente datur? Primum hoc, quod tempus ab ævo
Ire jubet, firmumque manens dat cuncta moveri,
Mundi Mens æterna & inenarrabile Numen.
Vos quoque felices cœli *Omnipotentis* Alumnos,
Seraphicos regina choros Sapientia laudat:
Vobis æterni fas circumſiſtere Regis
Eſt ſolium, & nutus hinc obſervare verendos;
Atque piis, cœlum ſpectantibus, addere vires,
Auxilium dubiis, rebus ſolamen in arctis:
Cùm ſubit illius lætiſſima lucis imago,
Quæ Vobis nos junget; & æthera pandet apertum,
Quando hominum angelicis vox commiſcebitur hymnis,
Aſpectuque Dei, ſublato fine, fruemur,
Cor micat, & penitæ exultant in pectore fibræ,
Et pariter totam pertentant gaudia mentem.

Ignea

Ignea Vis Animæ, *totos diffuſa per artus,*
Quæ gerit effigiem moderantis ſingula Mentis,
Non terrâ contenta ſuâ eſt, ſed in ætheris arces
Evolat, & tacito ſcrutatur ſidera motu:
Nam qui ſublimis vigor, & qui cœlitùs ortus
Corpoream hanc agitat molem, ſuper aëra & ignem
Scandit ſæpe polos, juvat hunc habitare beatas
Sedes Divorum, & primæ ſe jungere Cauſæ:
Illic inſuetum miratur lumen Olympi,
Sub pedibusque videt ſociatas flamine nubes,
Sidera, & humanas terrentia fulmina mentes:
Non hunc delectant terreſtria gaudia, verùm
Nititur humanas tranſcendere celſior arces
Spiritus, & cœlo terras conjungere; fruſtra
Huic natura velit cogentes ponere leges;
Ipſe bonum quodcunque ſibi rectumque videtur
Eligit, & reprobat ſi quæ contraria ſentit,
Conſiliô, monſtrante viam: *modo cogit in unum*
Omne hominum genus, & quod non numerabile certè eſt
Colligit, & ſecum numerat; rurſusque quod unum eſt
Dividit in partes; nunc has nunc accipit illas;
Alternatque vices, & nullo fine quieſcit,
Æternumque agitans ſe ſe, non interit unquam.
Felices Animæ, *quibus hæc cognoſcere prima*
Cura fuit, ſuperasque domos penetrare, remotasque
Ingenii Vires mente indagare ſagaci:
Corporis hæc quamvis tenebris & carcere cœco
Incluſæ lateant, tardè moribundaque ſecum

Mem-

Membra trahant, tamen immunem ſanctumque reſervant
Aethereum ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.
Talia Doctorum Flenderus *fercula menſis*
Exhibet; his dapibus, Lector, *ſatiare, videbis*
Abdita naturæ: quin & ſurgentis Eoo
Luciferi *radios paulatim a'beſcere cœlo,*
Cernet & æternum propius mens enthea Numen.

ANTONIO BYNÆO,
Ad SS. Theologiæ Profeſſionem vocato.

Muſarum, Bynæe, *decus, certiſſima Phœbi*
Gloria, Caſtalii grandis alumne chori.
Cui ſeſe multa manifeſtas luce videndas
Præbuerunt faciles ex Helicone Deæ.
Sanctorum, Bynæe, *decus, certiſſima Chriſti*
Gloria, cœleſtis grandis alumne chori.
Cui ſeſe multa manifeſtum luce videndum
Præbuit in Solymis, inque Sione Deus.
In templis mirata tuæ Daventria linguæ
Fulmina, ubi virides Iſala lambit agros:
Limina nunc docti pandit tibi clara Lycei,
Atria magnificæ relligioſa ſcholæ.
Huc agite, o Juvenes, ſanctiſſima pectora, quorum

Men-

Mentes erectas entheus ardor agit.
Eja Palæſtinos tanto Duce ſcandite colles,
Eja, Palæſtinis ora rigentur aquis.
Vobis ſe Moſes, ſe ſiſtent ordine Vates,
Pulſabit citharam Ieſſiadesque ſuam.
Quin & bis ſeni myſteria cœlica teſtes
Clarius & propius conſpicienda dabunt.
Altius ingentes Daventria ſurrige turres,
Lætior exundans volvere, Sala Pater.
Rumpere livor edax, magnum BYNÆUS *habebit*
Numen, & hoc merito: rumpere livor edax.
Fallor? an exoriens fauſtiſſima quæque minatur
Titan? nec vanum, credite, numen habet.

In Q. Horatium ab EDUARDO a ZURCK, illuſtratum.

QVod vetus Actæis comœdia riſit Athenis,
Quosque ſales Satyri non ſine dente ſerunt:
Quod Stoa Zenonis, doctisque Epicurus in hortis,
Chryſippus quod cum Crantore cunque docent:

Vexavit

Vexavit mira numeroſus Horatius arte,
Stultorum ridens ſomnia vana Saphum.
Cedat Ariſtophanes, Cratinus, & Eupolis, atque
Qui ſale Romanam perfricuere togam.
Quinetiam doctum tornat, formatque poëtam;
Qui poſſit colles ſcandere, Phœbe, tuos.
Hic canit & Lydes, teneros & Phyllidis ignes,
Tum Galatea tuos, Lydia ſive tuos.
Præterea citharam rebus gravioribus implet,
Dum canit Heroum maxima facta Ducum:
Auguſti laudes, & Mecænatis honores
Et Druſi, Lyricis luſit & ille modis.
Cum fremitu, ut celſis decurrens montibus amnis,
Fervet, & immenſo Pindarus ore ruit:
At mage ſublimis majori tollitur aura
Ille Venuſinus non moriturus olor.
Et ſapere, & fari recte hoc, hoc diſce magiſtro,
Quiſquis amas ſophien, dicere quiſquis amas.
Hujus tu ſcandes, Zurcki *clariſſime, pennis,*
Ut ferias docto vertice ſumma poli.
Si revocare gradum, ſuperas evadere ad auras
Si virga poſſit Flaccus Atlantiada:

Hic

Hic tibi Phœbeas decerperet undique frondes,
Necteret ut capiti laurea ſerta tuo:
Hic citharam digitis, hic pollice tenſa feriret
Barbita, ſic grates ſolveret ipſe tibi.

In Opera Poſthuma JOHANNIS VISSCHERI.

QUi magno vivus ſpirabas pectore Chriſtum,
Viſſchere, *o ſacri gloria prima gregis:*
Iſala quem dudum ſtupuit, quemque Amſtela: ſacros
Hic etiam cineres condit habetque tuos:
Nunc, velut Aſſyriis nutritus odoribus ales,
Poſt fata exuviis naſceris usque tuis.
Nam, tua quæ ſanctis ſonuit vox enthea templis,
Auditur chartis hic rediviva novis.
Cynthia quæ reparat rurſus ſua cornua condit,
Et mœſto terras tegmine nigra tegit.
Quos volucres frater lætos emiſit apertis
Carceribus, feſſos æquore mergit equos.
Vere novo violæ ſurgunt, & mille colorum
Germina, quæ Boreæ frigore pellet hyems:
Sed Viſſchere, *tibi vita hæc poſt fata vireſcit,*
Quam tamen haud ullo frigore lædet hyems.

Παρεγ-

Παραμυθητικὸν,

ad

THEODORUM JANSSONIUM,

ab Almeloveen M.D.

a crudeliſſimo morbo reviviſcentem.

ACcipe Zutphanicæ gratantia vota Thaliæ,
Artis Apollineæ Pieridumque decus.
Tempus erat diro miſcebant prælia Marte
Cum de ſtaminibus Vitaque Morsque tuis.
Morborum cum ſæva cohors, cum lurida febris
Exederent artus igne latente tuos.
Lugebant Charites, & tondebatur Apollo,
Flebat & impexa Calliopea coma.
Pandere quis poſſet naturæ arcana latentis,
Et miſeris medicas nunc adhibere manus?
Docta quis excuteret veterum monumenta ſophorum?
Aut quis diſcuteret quæ docuere novi?
Quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut fontes, Caſtalis unda, tuos?
Horrebant rigidum cœleſtia numina fatum,
O rerum facies triſtis, inanis, iners!
At vero tandem Lacheſis (mirabile dictu)

Creditur

Creditur atroces abſtinuiſſe manus.
Protinus immites relegebant fila ſorores;
Et nebant vitæ ſtamina certa novæ.
Felicem hinc ſeriem fatorum, hinc aurea ſecla;
Et tibi Neſtoreos auguror ire dies,
Vive diu felix, gaudeto gaudia Gouda,
Iſſela tum noſtra gaudet, ovàtque Sala.
Accipe Zutphanicæ gratantia carmina Muſæ
Artis Apollineæ Pieridumque decus.

In Hiſtoriam Stephani Protomartyris; ab ARNOLDO MONENIO illuſtratam.

Ecce, novi cernis cunabula triſtia mundi,
Imbuit hæc anima purpurea Stephanus:
Qui patrum annales divino concinit ore,
Quos ſibi cœleſtis fœdere junxit amor.
Quique Palæſtinas peregrini viſere terras,
Ægyptique jugum qui potuere pati.
Deſertàsque domos Arabum, tot inhoſpita ſaxa
Emenſi, ſedes incoluere datas.
Interea ingratam mordaci rodere vero
Quam gentem aggreditur; talia ferre negat.

Inde

Inde faces & tela volant, furor arma miniſtrat;
Contegit & latam ſaxeus imber humum.
Ipſe Deo plenus Chriſtum conſpexit, ab alto
Auxiliatrices porrigit ille manus.
Chriſtias infandis variiſque laboribus inde
Crevit, & invitis hoſtibus aucta fuit.
Scilicet ut duris contuſa bipennibus ilex
A ferro, atque ipſo vulnere ducit opes.
Fortior a fuſca ſurgit gladiator arena,
Victorem & victa proruit ipſe manu.
Talia facundo cecinit MONENIUS *ore,*
Concio quæ grata gratior aure bibit;
Qui pridem doctis Paulum ſiſtebat Athenis,
Et qui Davidicum pectine pulſat ebur.
Nunc eadem, Lector, calamo deſcripta diſerto
Accipe, & has memori pectore conde dapes.

VERSA
Ex anthologias Græcorum epigrammatum Libro II.

Tit. 6. Εἰς Ἀστρολόγους. Epigr. 7. Palladæ.

Dic ubi dinumeras cœlos, & climata terræ,
Exiguum ex vili pulvere corpus habens:
Ipſum te primo metire, & noſce teipſum,
Tunc terræ & magni ſcribe theatra poli.

Corpo-

Corporis exiguum ſi non metiris acervum,
Qui potes immenſos dinumerare polos?

Tit. 13. Εἰς δυσειδεῖς Epigr. 1. Lucillii.

NVnquam adeas fontes, inſtructus, Olympice, tanto
Naſo, nec liquidas inſpice fontis aquas.
Narciſſus viſæ correptus imagine formæ
Emoritur, roſtri mors tibi forma tui.

Tit. Eod. Epigr. 5. Leonidæ.

NAſutus piſcem nunquam Soſipolis emit;
Nam victum gratis huic mare ſuppeditat.
Non captat lino, tremula nec arundine, naſo
Hamum indit ducens agmina cuncta maris.

Tit. eod. epigr. 8. Ammonidæ.

HErculeas ultra fugies, o Parthe, columnas,
Hanc modo ſi nudam videris Antipatram.

Tit. 22. Εἰς ἰατρούς. Epigr. 5. Leonidæ.

QVinque lavans agros, totidem purgabat Alexis,
Et totidem viſens, unxerat & totidem.
Omnibus his nox una; una & medicina, ſepulchrum,
Et veſpillo, orcus, planctus, & unus erant.

Tit. 24. Εἰς Κιθαρῳδούς. Epigr. Leonidæ.

SImulus hic pſaltes vicinos morte peremit
Tota nocte canens, non tamen Originem.
Fecerat hunc ſurdum natura, ut longior eſſet
Vita, nec auditus triſte ſubiret onus.

Tit. 25. Εἰς Κλέπτας. Epigr. 1. Lucillii.

CYprida maternis e fluctibus emergentem
Dicitur aureolam ſurripuiſſe Dion.
Et factum ſolido ex auro ſubtraxit Adonim,
Furaces ſequeris, parve Cupido, manus.
Nunc omnes dicunt bene qui fecere Laverna:
Cedimus, huic furi non ſumus, ecce, pares.

Tit. eod. epigr. 4. Lucillii.

PHœbum furatus, qui furum crimina monſtrat,
Eutychides, dixit: Fas tibi pauca loqui.
Artem nunc arti, manibusque oracula confer,
Et furi vatem, Numen & Eutychidæ.
Venditus indomitæ propter molimina linguæ,
Emtori narres quod tibi cunque placet.

Tit. eod. epigr. 8. Ejusdem.

HEſperidum Jovis ex hortis tria mala Meniſcus,
Ut quondam Alcides, aurea ſuſtulerat:

At

At poſtquam captus, mira bine ſpectacula vulgo,
Vt quondam Alcides, vivus in igne perit.

Tit. 32. Εἰς Λεπτοὺς. Epigr. 10. Ejusdem.

GAius hic pluma levior, ſi quando nataret
Suſpendit plumbum de pede, vel lapidem.

Tit. 33. Εἰς Πονηρούς. Epigr. 1. Ammiani.

SIt tibi terra levis, ter o miſerande Nearche,
Te facile ut poſſint eruere inde canes.

Tit. eod. epigr. 13. Antiochi.

Difficile eſt animam depingere, pingere corpus
Eſt facile; at contra res habet illa tibi.
Nam natura tuæ ſcelerata piacula mentis
Oſtendens, vivis exprimit illa notis.
Corporis ac formam deformem pingere nullus
Suſtinet: at quare? nemo videre cupit.

Tit. eod. epigr. 14. Ejusdem.

E Gallis flores quis quæſo ſperet? Erinnys
Hinc oriens hominum perdidit omne genus.

Tit. 40. Εἰς Ποιητάς. Epigr. 1. Polliani.

SVnt Furiæ in Muſis quæ te fecere Poëtam,
Hinc fundis multos, ſed ſine mente, ſonos.

Nunc igitur, quæſo, quam plurima ſcribito, nam ſic
Promes ſtultitiæ plurima ſigna tuæ.

Tit. 45. Εἰς Παροιμιαστάς. Ammiani.

FInes Herculeas extendis ad uſque columnas,
Terra pars reliquis te tamen æqua manet:
Atque obolum nil præter habens, abjectus ut Irus,
In terram jam non diſſoluëre tuam.

Tit. 47. Συμποτικὰ ἀστεΐσματα.

Epigr. 27. Palladæ.

QVis ſcit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Dii ſuperi? mors ſua quemque manet.
Hoc bene cum notum tibi ſit, mortalis, Jaccho,
Qui lethe lethi, pocula plena bibe.
Ludito, & exulta, vita præſente beatus,
Cætera Fortunæ cuncta regenda dato.

Tit. eod. epigr. 45. Incerti.

OPtimus in Baccho modus; ultra nec bibe citra:
Triſtitiæ cauſa eſt, hic quoque ſtultitiæ.
Namque tribus nymphis mixtus, ſit quartus at ipſe,
Sic erit ad thalamos aptior ille tuos.
Altius at ſpirans fulmen jaculatur amorum,
Et facile in ſomnum ſolvitur ipſe gravem.

Tit. 48. Εἰς τολμηρὲς. Epigr. Palladæ.

NIl nimis, e ſeptem dixit ſapientibus unus,
Hoc tu non credis, Geſſie, & hoc pateris!
Cor tibi cum ſapiat, probra es ſtultiſſima paſſus,
Dum nimis inſane ſidera ſumma petis.
Perdidit inſanus ſonipes ſic Bellerophontem,
Dum ſtulte aſtrorum diſcere vult canones.
Hic ſed equo fidens, ſimul & florente juventa;
Geſſius at trepido corde cacare ſolet.

Epigr. 2. Ejusdem.

O Homo! ne cupias Deus immortalis haberi,
Nec magni imperii frena ſuperba petas.
Geſſius exemplo eſt: ruit alto a culmine præceps,
Fortunam modicam dum nequit ille pati.
Quam vanum eſt mortale genus! ſibi concitat iras.
Ad finem fati eſt neſcia mens hominum.

Epigr. 3. Ejusdem.

BAucalus ut Geſſi mortem cognovit, & ipſum
Quàm miſere claudum, talia verba dedit:
Geſſi, quid paſſus deſcendis ad oſtia Ditis,
Nudus, contemtus, funere non ſolito?
Geſſius indignans clamorem ſuſtulit altum;
Et luxas mortem, Baucale, ferre ſolet.

Epigr. 4. Ejusdem.

PErdiderunt, Geſſi, promiſſis te duo Vates,
Te fore ſublimem Conſulibusque parem.

Epigr. 5. Ejuſdem.

GEſſius Hammonis Jovis ut mendacia novit,
Et vitæ vidit fata ſuprema ſuæ.
Ille mathematicas artes damnavit, & ipſum
Seſe, atque auctores Aſtrologos alogos.

Tit. 50. Εἰς φειδωλὺς. Lucillii.

MUrem Aſclepiades intra edes vidit avarus,
Hic, mi, quid quæſo, muſcule, dixit, agis?
Ne damnum metuas, arridens muſculus inquit,
Quæritur haud cibus, at manſio ſola mihi.

Tit. 52. Εἰς φιλοσόφυς. Epigr. 1. Lucillii.

NUdipedem, & Cynicum te vane Meneſtrate, dicunt,
Et rigidum: quis enim talia quæſo neget?
Sed rapis & panes, rapis & fragmenta ciborum,
En baculum! nam quis te negat eſſe canem.

Lib. 3. tit. 22. Εἰς Ναυαγήσαντας.

Epigr. 4. Leonidæ.

NAufragus hic ſitus eſt, ſitus eſt at ruſticus illic,
Plutoni terris eſt domus, eſtque mari.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A.

ABrahamus Becker. pag. 30, 31, 32
Abrah: de Matter. 29
Abrah: de Roy. 29
Abrah: Sacrificans. 298
Abrah: Waerden. 385
Abyſſini. 392, 393
Academia Ciceronis. 62
Achabus. 326
Adamus. 138
Adamus Halberſtadienſis. 311
Ἅδης. 121
Adventus Chriſti. 264, 265
Adultera. 327
Afflictiones. 227, 228
Agabus. 118
Ager ſcripturarius. 441
Agni oblati Chriſti typi. 89, 90, 91
Agnus Dei Chriſtus. 91
Agnus Dei ex cera. 97
Agnus paſchalis. 91-96
Aharon. 185
Ajus Locutius. 272
Alciatus. 74, 75
Alcibiades. 72

INDEX.

Alexander M. 337
Altare. 128
Americani. 375
Ammannus. 23
Anacharſis. 72
Anaſtaſius Silentiarius. 337
Ἀνατολή. 180
Ancora. 336
Angeli miniſtri N. T. 173-176
Angeli ventos tenent. 183-186
Angelus Chriſtus. 264
Angelus Politianus. 341
Animalia 4. doctores notant. 100. 218
Animæ viſæ. 125, 126
    Earum immortalitas. 126
Antiphanes. 435
Antiſtius Reſtio. 380
Antonius Hoppenbrouwer. 35
Apis. 345, 346
Apocalypſis quando ſcripta. 84, 85
Aqua Spir. S. 246, 247, 248
Aquarii. 381, 382
Aquila. 101, 338, 343
Arcus. 105
Ariſtobulus 18
Athenæ. 62

Athenienſes. 301, 302
Attagas. 380
Atramentum. 371
Averkampius. 18
Auguſtus. 58, 303, 337
Auris perforata. 379, 380
Azyma. 288, 289

B

Babylonii. 372
Bacchanalia. 302
Barba. 340, 341
Bellum. 115
Bernhardus Cruſius. 28
Bernh: Stedemejerus. 27
Bernh: Weſekius. 19
Bethlehem. 58
Bion Boryſthenites. 380
Bochoris. 429
Boeckholt. 13
Bonaventura. 165
Boves. 345
Bõ. 367
Brachmanesi 383
Britanni. 373, 374
Buccina. 417, 418
Bucephalus. 367
Burchardus Lomejer. 29

C.

CÆſo Quintius. 71
Caïnus. 318, 350, 351, 352
Calvinus. 262
Caroloſtadius. 13
Carolus Gelriæ Dux. 306
Carolus II. Rex Neap. 308
Carpocratiani. 392
Catholiciſmus eccleſiæ N. T. 207
Cato Uticenſis. 437
Character indelebilis. 358, 359
Childericus Franc. Rex. 348
Chriſtus Propheta aperit librum. 98, 99 Altare. 128 Sol. 148-157 ter lachrymatus, bis miratus, ſemel iratus. 166, 167 An poſt baptiſmum feſta obſervaverit? 293 Paſcha. 269 ejus & miniſtrorum ſimilitudo & diſſimilitudo. 178, 179.
Choenix. 117, 118
Cicero. 71, 336, 337
Clavis. 114 Clavis candens. 377. ſcientiæ. 408 ſcribarum. 413-417
Clementia. 326
Coelum. 254
Color albus. 103 rufus. 113 niger. 116 pallidus. 120

Con-

Concordia eccleſiæ. 217
Conſcientia. 164, 165, 167, 321
Conſtantinus M. 67, 367, 371
Cormandelenſes. 383
Cornelius Lambergius. 29
Corona. 106.
Corzani Reges 338
Crux. 391 Crux aurea. 386
Cybeles Sacerdos. 386
Cynægirus. 274

D.

DAn. 198, 199
David Georgius. 13
David Rex. 114, 185, 306, 317
Decimæ. 444
Delia feſta. 304
Demetrius Phalereus. 72
Denarius. 118
Deus judex. 166, 169 Dei facies. 166 ira. 167, 168
Dies cœnæ Dominicæ. 307, 310
Δίχοροι. 337
Diſtinctio rerum. 330, 331
Domini appellatio. 224, 225
Dominica in albis 210, 211 palmarum. 308
Dominicus. 104

Do-

ꝗmus Florentii. 11
aco. 337, 338

E.

ECcleſia Luna. 157 templum. 231-234
Eduardus VI. Angliæ Rex. 377
ἀγωγεῖς. 422, 423
ias. 76, 185
iſæus. 76
iallage generis neutri pro maſculino. 418
igelbertus Engelen. 41, 42
igelbertus Schutte. 8
ɔheſii. 71, 432
ɔhraïm. 199, 200
ɔiɛreti lucerna. 62
ɔimenides. 384
ɔiſcopi. 317
[uus. 102, 344, 366, 367
ienes. 427 Eumenes. 435
communicatio. 417, 418

F.

FAbius Maximus. 337
Facies. 335
imes. 118 & ſitis. 240
irellus. 262
ſtus Hommius. 25
cus. 159

Flo-

Flores. 336
Fons Chriſtus. 244, 245
Franciſci ſtigmata. 394, 395

G.

GAnda. 73
Gellius de Bouma. 27
Geloni. 373
Genius loci. 65
Gerhardus Keppelius. 18
Gerhardus Kreynck. 5
Gerhardus Zerbolt. 10, 11, 12
Gerh: de Zutphania. 9, 10
Germanicus. 435
Gerſon Bucerus. 22
Gladius. 114
Glauço. 274
Gordianus. 333
Græci quarta decimani. 277, 278, 279
Graebe. 438
Γραμματο-εισαγωγεῖς. 421, 422
Guilielmus Baudartius. 20

H.

HAbſpurgici comites: 338
Hadrianus Dammannus. 24
Hannibalis inſomnium. 114
Hedera. 388

Hen-

Henricus de Roy. 29
Henricus Fabricius. 27
Henricus VII. Angliæ Rex. 377
Henricus Zutphanienſis, inter Anabaptiſtas. 13. martyr. *ibid.* concionatus Bremæ. 14. in Meldorp. 15. ejus elogium. 16.
Herberhus ab Arckel. 4
Hermodorus. 32
Hermolaus Barbarus. 72
Herodis. 301
Hieronymus ab Alphen. 36
Hieroſolymitana fames. 118
Hircanus. 316
Hiskias. 168
Hiſpanorum crudelitas. 7
Hobbeſius. 342
Homerus. 73, 76, 342
Homo. 101
Horatius. 314, 315

I.

JAcobus Patriarcha. 343
Jacobus VI. Brit. Rex. 338
Jacobus Cujacius. 73
Jannes & Jambres. 427
Januariæ Kalendæ 304

Jeremias Propheta. 77
Jeſus. 339
Ignis ſymbolum Spir. S. 269, 270, 271
Imago Dei. 356
Inſula Dei. 4
Inſulæ. 162
Intellectus agens & patiens. 356
Invidia. 79
Joabus. 322, 323, 324
Joachim. 384
Johannes Altius: 34
Joh: Baptiſta Taxis. 20, 217
Joh: Bogermannus. 22
Joh: Bouillet. 28
Joh: Flenderus. 47, 48
Joh: Fredericus Saxo. 338
Joh: Jetzer. 395
Johannes Judæus Romanis ſe dedit. 163
Joh. a Laſco. 19
Joh: Lomejer. 32
Joh: Mauritius Naſſovius. 50
Joh. Viſſcherus. 29
Joh: Vlak. 32
Joh: Voorthuſius. 18
Jonathan. 314
Joſaphatus. 405, 412

ſua. 400

ıda. 197

ıdæi rejecti. 111 ſignati. 340

ıd:ces. 420.

ılianus. 161

K.

Ophe. 368

Κοππαλίαι. 368

κοππαφόροι. 368

L.

Abarum. 392

achrymæ. 248

aurea Tullius. 444

eo. 88, 101

eproſus. 293, 294

euctrica pugna. 17

evi. 197, 198

eviticus cultus. 161

iterati. 370

o 3

othus. 83

ovanium. 3, 4

una eccleſia. 157

una decima quarta. 287

utetia. 4

ycurgus. 70

M. No-

M.

M. Nota. 377
M. Magi. 396, 397, 427
Magiſtri. 402
Maimonides. 282
Manaſſe. 199
Mardochæus. 431
Marius. 304
Martinus Leo a Coolwijck. 29
Mauritius Naſſovius. 7
Medea. 75
Mercurius. 427
Meſa Moabitarum Rex. 364, 365
Mneſtheus. 438
Mneuis. 349
Milites. 381
Milo Crotoniates. 274
Montes 162
Mors. 121
Moſes. 184, 400, 426
Mulitudo credentium. 204, 205

N.

Natales Imperii. 305, 306
Nazaretha. 58
Neanthus. 62
Nicolaus vander Meer. 36-39
Nicanor Grammaticus. 370
Ninivitæ. 168
Noachus. 83
Noctua. 378
Νομικοὶ. 409
Notelopolis. 4
Notæ pecudum. 361, 362, 363
Notitiæ communes. 355
Novilunium. 286, 287
Novitas N.T. 252, 253
Numerus fidelium parvus. 194, 195

O.

OLor. 310
Orphei lyra. 62
Oſtraciſmus. 71
Oves. 343, 344
Ovum. 333

P.

PAlma. 212
PApyrius. 315
Paſcha quo die celebrandum. 280 & ſeqq.
Paſtor. 200, 243, 244 נוקד 364
Patria. 57, 58
Paulus Apoſtolus. 59, 60, 76, 77, 110, 111
Paulus Burgenſis. 281
Paulus Jovius. 73
Pelorii. 302
Pericles. 272, 273
PerſecutionesChriſtianorum. 226, 227
PerſeiMacedonum Regis filius. 438
Perſarum Reges. 77
Perſica poma. 74, 75
Peſtis. 120, 121
Petrus *Apoſtolus*. 109, 110
Pertrus Ardinois. 29
Petrus Gellins Faber deBouma. 19
Petrus Plancius. 30
Petrus Scriverius. 425
Phalereus Demetrius. 72
Phariſæi. 217, 218
Philemon. 445
Philidas. 435
Philippus. 110, 367
Picti. 375
Pontifex Max. 210
Pontifices minores. 437

Porcus eximius. 362
Πραγματικοί. 442
Πράκτωρ. 434
Preces ſanctorum. 268
Presbyteri 218
Prophetæ inviſi. 76, 77, 78
Protogenes, 78
Pſylli. 343
Petolomæus Philopater. 388
Puſtulæ. 353
Pythagoras. 355

Q.

Q. Cæcilius Epirota. 58
Q. Cæcilius Metellus. 71
Q. Sertorius. 66
Quintius. 315

R.

Rabbinorum fides. 281, 282
Reges Perſarum. 430
Regnum Chriſti. 108
Remmia Lex 367
Rhenus. 343
Ritus paſchales. 291, 92
Rotula. 369
Rupes. 239

S.

Sacrificia Chriſtianorum, 235 236 Caini. 318
Sagittæ, 105
Salus. 214, 215
Samaria. 110
Samæna. 378
Samii. 378, 379
Samphorai 369
Samuel. 78 Baſnagius. 39, 40, 41 Pitiſcus. 44, 45, 46
Satietas ſpiritualis. 240
Saturnalia. 302
Saulus. 167, 306 327
Scaphiſmus. 156

Scævola. 443
Scipio Africanus. 71
Scribæ aulici 419
Scribæ multiplices. 401 & ſeqq.
Scribarum & Phariſæorum diſcrimen. 406, 407, 408
Sebaſtianus Damman. 22. 27
Sebaſtianus Damman-Cruſius. 34
Sedere. 259
Seleucus. 336
Semihorium. 257
Servi 302 Dei 190, 191 Hebræorum. 379
Sigilla confirmantia & claudentia. 97
Sigillum Spirit: S. 187, 192, 358
Signum in anima. 359, 360, 361
Silentium. 255 256, 257
Silius Italicus. 62
Simeon. 198
Similitudo. 332
Simon. 110
Simon Judæus Romanis ſe dedit. 163, 164
Siſyphus. 369
Sixtus. V. Pp. Rom. 307
Σκληρώσις. 238
Socrates. 72, 301, 432
Sol juſtitiæ. 148-157 nocens. 241
Somnium. 114
Spiritus S. vento comparatus. 182
Spurii. 342
Statii. 129
Stationes Sacerdotum & ſervorum. 208
Stellæ. 158, 159, 336
Στικτή. 350
Stil-

Stilpo. 72
Stoici. 355
Stola. 209, 229, 230

T.

T Nota. 377
T. Tabitha. 110
Tamerlanes. 369
Tarquinius Collatinus 71
Templum typus eccleſiæ. 231, 232, 233
Tempus. 254
Terentius Corax. 438
Terræmotus. 145, 146
Thallus. 446
Theodoricus Gothus. 377
Theodulphus Aurelian: Epiſcopus. 308
Theophilus Imp: 370
Theſeus. 58
Thomas Aquinas. 175
Thomas Gyſe. 41
Thraces. 372, 377
Thuribulum. 266
Tiberius 304
Tiro. 444
Tirones. 382
Tonitru. 272
Trajanus. 114
Tribus Iſraëlis. 196
Triſippion. 369
Tuba. 260

V.

V Nota. 377
V. Venetiæ. 3
Venti Cardinales. 183
Verbum Dei obſignatum. 98
Veronenſis ſenex. 63, 64
Verruca. 337
Veſpatianus. 63
Veſtales. 3[illegible]3

Velites